MARS
MARS
Cicero.
1
LL
in
O
16

1

1564.

D. IV. 44.

Sum Jacobi [illegible]

Cito arcessit lachryma malitio malo —

f. 50 50

150

L.L.o.16 ex Lib. Congr. Missg. Coll. S.ti Caroli Pariſ.

M. T. CICERO-

nis ad C. Trebatium Iuriſcon-

SVLTVM TOPICA.

In eadem

Seuerini Boëtij commentariorum libri VI.
Ioannis Viſorij commentariorum libri III.
Bartholomæi Latomi Enarrationes.
Ch. Hegendorphini Scholia.
Antonij Goueani Commentarius.

Quibus iam præter aliorum editionem acceſsit Commẽtarius incerti authoris: cum annotatiunculis quibuſdam Vitt Amerpachÿ, in fine libri adiectis.

ex Lib. Mſſ. pariſ

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

PARISIIS,
Apud Thomam Richardum, ſub Bibliis aureis, è regione collegÿ Remenſis.
1554.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy il eſt permis à Thomas Richard, Imprimeur & Libraire de l'vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer certain Commentarius incerti authoris, *ſur le liure de Ciceron intitulé* M. T. Ciceronis ad C. Trebatium Topica: *lequel n'a eſté par cy deuant imprimé: & defendu par ledict ſeigneur à tous autres imprimeurs & Libraires ou perſonnes quelzconques, de non imprimer ne faire imprimer, vendre ne diſtribuer en ſes pays, terres & ſeigneuries, autres que ceulx qui auront eſté imprimez ou faict imprimer par ledict Richard, ſur les peines contenues es lettres du Roy noſtre ſire. Et ce iuſques au temps & terme de ſix ans, à cõpter du iour & dacte qu'ilz ſeront paracheuez d'imprimer: cõme plus à plain eſt contenu par les lettres patentes ſur ce dõnées à Paris le ſixieſme iour de Iuing, l'an mil cinq cens cinquante trois. Ainſi ſigné, Par le conſeil Mole, & ſeellé ſur ſimple queue de cire iaulne.*

Ioannes Visorius Coenomanus

REVERENDO IN CHRISTO PA-tri Domino Rhenato Belleyo, Antistiti Cœnomanorum grauissimo S. D.

VM ego studiis meis (Pontifex grauissime) quietem impetrare vellẽ, quæ multos annos bonis authoribus meæ iuuentuti explicandis impenderam: noua mihi rursus (ídque insperatò) prouincia priore multò difficilior iniungitur. Nam in pristinum philosophicum (quod illæsa tamen sacrosanctæ sapiẽtiæ maiestate dictum velim) detrudor, vbi molam illa trusatili Plautina longè difficiliorem (tametsi lubens, aut certè non inuitus) verso. Quam circumagere nõ eò mihi durum videtur, quòd laborem ipsum inanem aut vanum futurũ arbitrer: vt qui non ignorem, sapiẽtiæ radices amaras esse, fructus verò suauissimos. Sed molestum est ei facultati incumbere, quã vix millesimus quisque sectetur, probet nemo, negligant omnes: aut certè siqui sacris eius initiati sint, eos instituti sui pœniteat, vt qui protinus, nescio quo genio afflati, militiæ philosophicę desertores fiant. Quos vt reprehendẽdos esse nõ negarim, ita nõ omnino ratione destitutos crediderim. Reprehendendos quidem, quòd philosophiam vitæ ducem, virtutis indagatricẽ, expultricémque vitiorũ, necnõ societatũ parentẽ custodémq; vigilantissimã despiciant, vt ad artes quæstuarias aduolẽt. Quotus enim quisq; ad rubricas hodie non dicã properat, sed festinat? Non ego ius ciuile (cuius sum amantissimus) arguo, sed illos improbo, qui vixdum iactis Grammatices rudimẽtis ad illud cõcurrũt, ὡς ἀνίπποις (vt aiũt) πόδιν adeunt. Verũ sicut hos meritò arguere possumus, ita nõ possumus illos iure reprehendere, qui non aliena modò, sed & sua sapientes insania facti sunt. Ij nãque quòd bonas horas malè collocarint, cùm sua tempestate philosophiæ nõ germanæ illi quidem, neque synceræ, sed illegitimæ & adulterinæ vacarent, idẽ hodie fieri rati sunt, verẽtúrque ne idipsum liberis suis, quod olim sibi

contigit, accidat. Propterea ſtatim vt liberos ſuos aliquid in literis humanioribus promouiſſe ſentiunt, eoſdem contẽpta Philoſophia quamprimum vel ad Pontificiũ, vel Cęſareum ius audiendũ mittunt. Hæ cauſę ſunt (Antiſtes prudentiſsime) quę me mouebãt, ne philoſophiam profiterer: vetus barbaries, qua philoſophia ſcatebat, hominum contemptus, & auditorũ infrequẽtia. Cæterùm vt duas priores omittam, de poſtrema dicã, quę me (ſi quid aliud) à philoſophia prorſus auocabat. Cum enim ordinis mei cõplures viderẽ, qui deſtituti auditoribus, quos ius ad ſe vocabat, mutæ ſolitudini ſurdíſque parietibus canere cogerentur, pertimeſcebã ne eodẽ miſeriæ redigerer, quò redactos alios audiebã: nec mehercule iniuria timebã. Non enim præceptores idem mẽtis & ſpiritus in dicendo ſingulis tantũ, vel paucis præſentibus concipere poſſunt, quod illa celebritate inſtincti concipiunt: & vt ingenuè fatear,

Gaudeo quòd ſpectent oculi me mille loquentem.

Contrà tacita quædam eſt dedignatio, vim dicendi tãtis comparatam laboribus ad vnum auditorem demittere. Itaque diu mecum cogitabundus, quî poſſem huic morbo mederi, tandem rationem iniui, qua futurum cõfido, vt vulnus, quod pertimeſcebam, ſanari poſsit. Negligebatur philoſophia, quòd barbarè loqueretur. ego (ſi quid poſſum) adnixus ſum, vt latinè loquatur. volabatur ad leges, operam dedi, ne mei iuuenes adhuc implumes eò volare cuperent: non quòd ab inſtituto ſuo quenquam abduxerim, effeci tamen, vt qui alioqui à philoſophia vixdum ſalutata, protinus deſciuiſſent, hodie ſub duce ſapientia ſtrenuè mereãt. quos cùm legũ ſtudio teneri facilè cernerem, optimum factu duxi, ſi Topica Ciceroniana illis prælegerẽ: partim quòd in eis multa de iure ciuili deſumpta paſſim reperiãtur, quorum fideli explicatione mihi meos obligarem magis & deuincirem atq; demererer: partim quia latina, nec magis dialectica quàm oratoria ſint, ita vt lectorem ſtudioſum in amorem ſui cõtinuò rapere poſſint: partim denique, quòd quæ pluribus libris Ariſtoteles obſcurè (ſicut omnia) tractauit, paucis cõtineant. Quæ qui didicerit, arma ſemper habebit quibus & ſe tueri, & aduerſariũ lædere nullo negotio poſſit. ſiquidem illa locos (vnde no-

men habent)explicãt,de quibus argumẽta cuiuſq; rei vel confirmandæ vel refellendæ,ſtudioſus lector pro voto depromat:quibus cùm fuerit inſtructus,nihil tam dubium erit, quod certum non efficiat:nihil contrà tam verũ,quod controuerſum nõ reddat,ſi velit. Ea porrò(vt fructũ quem ex his relaturi ſumus,oſtendam)cùm magnæ parti ſtudiorum humanorũ (quandoquidem pleraq; in ambiguo hærent)apprimè ſunt vtilia, tũ verò eis præcipuè conferũt,qui conſilio Rempub.gubernant,quos de pace, bello,cæteríſq; ciuitatis negotiis,in rem prẹſentem ſẹpe ſenatui, ſæpe populo fidẽ facere oportet: qui in iudiciis itẽ accuſare, defendere,petere,abnuere,quiq́; populum docere iuſtitiã,religionem,pietatem in profeſſo habẽt. Inſuper non hos tantũ armare, ſed & prouidentiã animi,& rectè cõſulendi quoq; aperire viã videntur. Poſtremò eadem illa præſtant,vt perſpicere poſsis,quid in quaque re poſitum ſit,vt cõſentanea repugnantiáque, & quò quidque ducat,quídque euenire poſsit colligas. Tãta igitur vtilitate motus,quantã ego ex eorum prẹlectione iuuentutẽ meam conſequuturã non deſpero,plus ego laboris quàm à me mei requirerent, ſponte ſuſcepi. Nã qui Ciceronis Topica tantũ prælegere conſtitueram,eadem meis qualibus qualibus commẽtariis illuſtraui,ídque egi,nõ vti aliquid melius(quî poſſem enim?)Seuerino Boetio ſcriberem, ſed vt explicatius omnia traderem, quæ vir ille ſolis ſcribens dialecticis ſatis inuoluit. Quapropter ego me ad captum iuuentutis magis accommodaui: neque ſolis dialecticis prodeſſe volui, ſed etiam pro virili conatus ſum, vt artis oratoriæ candidatis aliquid conferrem:breuiter ita familiari ſum vſus expoſitione, vt voculas etiam ipſas quæ videbantur obſcuriores,more grammatici declarare non dubitarim. Cæterùm non hæc modò præſtiti,verùm etiam exempla iuris ciuilis, quibus Tullius ad iuriſconſultum ſcribens vtitur,difficilia ſatis explicaui: & vt ſtudia iuuentutis magis alerem, locos ipſos ſelectis è claſsicis authoribus ſententiis, illuſtriores reddidi, ne quis ius ciuile ſe ignorare cauſaretur. In his autem omnibus non ſum eum ordinem ſequutus,quem Boetius:ſed diſpoſitionem Ciceronis imitatus,meos commentarios in tres tantum libros diſtribuendos curaui:nec ab re.ſiquidem Tullius locos omnes primũ

diuiſit,ſuáque ſingulis nondũ declaratis exẽpla ſubiecit, deinde latius & fuſius eos omnes quo diuiſi fuerunt ordine, nobis expo ſuit. Tum quia omne argumentum ad quęſtionem probandam adfertur. Tertio loco de quæſtione nulla locutus eſt. Hanc ego Ciceronis diuiſionem videns, commentarios meos in tres libros partiri malui, quàm in ſex, vel etiam in ſeptem fruſtra lacerare, à medio loci vnius noui libri initium ſumẽs: ſed rectè an ſecus egerim, aliorum ſit iudicium. Ego me liberis hominum ſentẽtiis lubens cõmitto: neque diffido, quin æquus lector omnia æqui boni conſulat. Has meas vigilias tibi conſecratas velim (Põtifex ſanctiſsime) non quòd te dignas eſſe iudicem, ſed vt tuo patrocinio fultæ, liberius & tutius in hominum manus veniãt, neque an cipites vulgi cenſuras reformident. Id enim omne lectorẽ æquũ probaturũ arbitror, quod probaueris: & quicquid obeliſco ſignaris, id eundem atro calculo notaturũ mihi facilè perſuadeo. Neminem tã impudẽtẽ puto, qui à tuo iudicio vel latũ culmum recedere velit, cũ te eũ eſſe norint omnes, qui parẽ vitæ ſanctimoniã cum incredibili eruditione copularis, ita vt dubitent doctiórne ſis an melior. Sanè, vt quod de te audio, ſemel dicam, hęc eſt vna omniũ vox cõmunis, O fœlix Cœnomania, quæ tantum talémq; antiſtitem tandem adepta eſt. antiſtitem, inquam, illum Rhenatum Belleyum, qui vir pręter ſummam doctrinam, etiam optimus eſt, & integerrimus: in quo formando natura ſuas vires omnes explicuiſſe nõ immeritò dicitur. Audi, ſanctiſſime pontifex, quid de te boni omnes ſentiant, quo ſis in precio, quanti fias apud omnes. Verùm ne ſolus de te tacere videar, quid ſentio dicam. Cùm tuam fratrúmq; tuorum tibi chariſſimorum, Equitis, inquam, illius generoſiſſimi regij legati, Ambianorũq; proconſulis, & purpurati Pariſiorũ antiſtitis prudentiam, cõſilium, fortitudinem, literas, fœlicitatem intueor, vos ego mirãdo prouidentiæ diuinæ munere, generi humano regendo conceſſos eſſe credo. Ita vt Franciſcus ille Galliarum rex potentiſſimus, id non ignorans, Gallias ſuas veſtris conſiliis regi voluerit, vos mehercule præmiis vobis dignis ſuo loco decoraturus. Sed finem facio. Interim faxit Deus, vt tuis optatis omnia reſpondeant. Bene vale, Pariſiis ex Burgundionum gymnaſio.

Probatiſsimo viro Ioanni Morino primario grammaticorum in collegio Nauarræ, Bartholomæus Latomus Regius profeſſor S. D.

Magnæ negligentiæ ſuperior ætas damnãda eſt, Morine vir ſpectatiſsime, quòd in diſſerendi artibus tractandis, Ciceronem optimũ authorem à ſcholis alienum habuerit. Nam vt oratoria omittam, quæ ille nõ vno libro, ſed pluribus præceptis ac ſermonibus diſertiſsimè explicauit, hæc Topica certè, quæ dialecticorum propria ſunt, de inueniendi ratione, ita ſcripſit, vt ex ipſis quæ ad hanc diſſerẽdi partem pertinent, magno compendio & breuitate cognoſci poſsint. Expreſsit enim ſentẽtiam Ariſtotelis, quam ille octo libris latè copioſeque perſecutus eſt: in qua explicanda cum omnem rationem præceptionis certis capitibus comprehenderit, primùm illius nos admonere voluit, eandem rem pluribus, & paucis verbis tractari poſſe. Deinde cum ſit magna & incredibilis ingenij noſtri vis, illud etiam ſignificauit, demonſtratis fontibus, ex quibus manarẽt omnia, ſtudioſos, ſi modò ingenium & animaduerſionem attuliſſent, facilè ex eiſdem per ſe hauſturos eſſe, & ea etiam quæ dicta non eſſent, ſine negotio intellecturos. quod cum ab illo prudentiſsimè iudicatum ſit, tum in omni præceptione & doctrina idem puto nobis obſeruandum eſſe, vt conſulatur cõpendio diſcẽtium, & ſtudium eorum atque opera omni ratione prouehatur. Itaque dubitandum non eſt, quin ad eandem rationem vir doctiſsimus, ſi ſuperuixiſſet, aut ſi impeditus nõ fuiſſet Reipub. temporibus, iudicãdi quoque partem nobis traditurus fuerit puram ac defæcatã, vt cætera omnia: neque abundantem ſupra breuitatis alueos, ſed modo & genere tractationis intra vtilitatis fines comprehenſam. Nam quæ ab aliis, præſertim recentioribus, exceptis paucis, in hoc genere tradita ſunt, quàm immenſæ prolixitatis ſint, quàm denique confuſa & perturbata omnia cõmentis nouarum & inutilium præ-

ceptionum, quid attinet hoc loco commemorare? præsertim apud te, qui cum multam in his studiis operam posueris, ipse testis optimus ac iudex esse potes. Me certè delectat huius seculi fœlicitas, quo excitato linguarum studio, atque optimis quibusque authoribus in lucem reuocatis, tantum splendoris atque ornamenti in literis efloruit, vt profligata superiorum temporum barbarie, quæ longè latéque velut caligo quædam omnia obduxerat, sit hac nostra ætate quod cum veterum doctrina & humanitate conferri possit. Sed quod pertinet ad Topica, scripsit hunc librum Cicero ad Aristotelis sententiam, magna breuitate, vt quæ ab illo latissimè fusa sunt, in compendium redigeret: commoditate verò tanta, vt quæ singulari ingenio inuenta ab illo, atque in lucem edita sunt, hic primùm in artẽ inclusisse, ac certiore via constituisse videatur. Sed cùm in eisdem adhuc offendat obscuritas quædam, partim ab exemplis, quæ ex iure ciuili sumpta sunt, partim ab ipso præceptorum genere, quod in rerum omnium vim, naturam, ac proprietatem incumbens, non vsquequaque expositum est iis, qui primùm ad hæc studia accedunt: rem gratam me studiosis facturum esse arbitratus sum, si quæ priori hyeme, cùm enarrarem hunc librum in scholis, dictaueram auditoribus meis, ea post Boëtij commentarios, qui verbosiores sunt, in publicum emitterem, non quòd meliora me prolaturũ esse sperarẽ, quàm ab illo tradita sunt, sed si quid aut breuitati studentium hac opera mea, aut cogitationi præceptorum conferre possem, id vt à me debitum publico nomine, communia studia delatum sibi atque acceptum haberent. Sed vtcunque hæc sint, hunc fructum editionis, quicunque futurus est, tibi nuncupo, pro tua singulari in me beneuolentia, vt cùm hac occasione admonitus fueris officij tui in re literaria prouehenda, quæ tibi magno cum onere & authoritate in hoc ampliſsimo gymnasio commissa est, tum intelligas me alio genere muneris, quod vtrique nostrum aptius esset, studium atque sedulitatem erga te meam testari non potuisse. Vale. Calend. Iunij. M. D. XXXVIII.

Sampronij diuinatio de cæsare
Idus Martię cæsarij fermẽt periculose

Marci Tullij Ciceronis

TOPICA AD C. TREbatium Iurisconsultum.

MAiores nos res scribere ingressos, C. Trebati, & iis libris quos breui tẽpore satis multos edidimus, dignores, è cursu ipso reuocauit voluntas tua. Cùm enim mecum in Tusculano esses, & in bibliotheca separatim vterq; nostrũ ad suum studium libellos quos vellet euoluebat, incidisti in Aristotelis Topica quædam, quę sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuò à me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi cùm exposuissem, disciplinam inuenièdorum argumẽtorum, vt sine vllo errore ad eam rationem via perueniremus ab Aristotele inuenta, libris illis contineri: verecundè tu quidem, vt omnia, sed tamen vt facilè cernerem te ardere studio, mecum vt tibi illa traderem, egisti. Cum autẽ ego te non tam vitandi laboris mei causa, quàm quòd interesse tua arbitrarer, vel vt eos per te ipse legeres, vel vt totam rationem à doctissimo quodã rhetore acciperes, hortatus essem: vtrunque, vt à te audiebam, es expertus: sed à libris te obscuritas reiecit: rhetor autem ille magnus, vt opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minimè sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, præter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoscendũ est, q̃ no modò rebus iis quæ ab illo dictæ & inuentæ sunt, allici debuerunt: sed dicendi quoque incredibili quadam cùm copia, tum etiam suauitate. Non potui igitur tibi sæpius hoc roganti, & tamen verenti ne mihi grauis esses (facilè enim id cernebam) debere diutius, ne ipsi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim

M. T. CICERONIS TOPICA

cùm tu mihi meisque multa sæpe cauisses, veritus sum, ne, si ego grauarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed dum fuimus vnà, tu optimus es testis, quàm fuerim occupatus. Vt autem à te discessi in Græciam proficiscens, cùm opera mea nec Resp. nec amici vterentur, nec honestè inter arma versari possem, ne si tutò id quidem mihi liceret: vt veni Veliam, tuáque & tuos vidi, admonitus huius æris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cùm mecum libros nõ haberem, memoria repetita, in ipsa nauigatione conscripsi, tibíque ex itinere misi: vt mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed iam tempus est ad id quod instituimus, accedere.

ANITII MANLII SEVERINI BOETII

Viri clarissimi & illustris ex consulum ordine ad Patricium Rhetorem, in Topica Ciceronis præfatio.

EXhortatione tua, Patrici rhetorum peritissime, quæ & præsentis honestate propositi, & futuræ ætatis vtilitate cõiuncta est, nihil antiquius existimaui. Cui muneri libentius acquieui: non quòd ad instruendum te, cõmentarios in M. Tullij Topica laborare me crediderim (ridiculus quippe forem, si Mineruam docere vellem, vt aiunt, literas) sed vt ex disciplinarum liberalium sumptum penu, nostræ apud te semper pignus amicitiæ permaneret. Quod enim munus ex animo diligẽtibus iucundius inueniri potest, quàm quod ipsius animi partes format & instruit? Nam cætera ferè caduca, imbecilla, labãtia, &, si ad fortunæ vicem spectes, penè semper aliena sunt. At verò opulentiam literarum nec præsens imminuit ætas: earúmque authoritatem ipsa etiam cuncta cõficiens auget potius & confirmat vetustas. Accipe igitur opus non efficientiæ securitate, sed amicitiæ præsumptione susceptum: apud quam nescio quónam inter suos pacto etiã garrire non dedecet: simul quia prælato à nobis munere, cũ tuorũ aliquid operũ postulauero, iniurius fueris, si negabis. Sed cum in M. Tullij Topica Victorinus rhetor plurimæ in disserendi arte notitiæ, commenta conscripserit: non me oportuisset melioribus forsitan attentata contingere, ni esset aliquid, quo se noster quoq; labor exercere atque parare potuisset. Quatuor enim voluminibus Victorinus in Topica conscriptis, eorum primo in declarandis tantum libri principiis occupatur. addit etiam, siqua in eodem volumine prædicenda fuisse perpendit: vt ab exordio voluminis Topicorum, quod est, Maiores nos res scribere ingressos, Trebati: vsque ad eum locum qui est, Sed iam tẽpus est ad id quod instituimus, accedere: primi voluminis Victorini expositio terminetur. Secundo volumine de iudicãdi atque inueniendi dialecticæ partibus, & de locorum atque argumenti definitione pertractat, vt ab eo loco Topicorũ, qui est, Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicãdi: vsque ad eum locum, qui est, Itaque licet definire locum esse argumenti sedem: Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem: secundi libri cõmentariorum explanatio subsistat. Tertius uerò atque quartus, discretionem locorum inter se, eorúmque exẽpla multiformiter persequuntur: ita vt tertius quidem Tulliana sibi de iure proponat exempla: quartus verò eosdem locos per alias rursus similitudines monstret, ex Virgilio, vel Te-

rentio poëtis:oratoribus,Cicerone,& Catone: vt quod præceptis ostẽditur,multipliciter exẽplis colluceſcat.neq; ab eo loco qui eſt in Topicis,ſed ex his locis,in quib⁹ argumẽta incluſa ſunt,expoſitio progreſſa,eum tranſcẽdit locũ,qui eſt,Valeat æquitas,quę paribus in cauſis paria iura deſiderat. Quanta verò pars reliqua Topicorũ ſit, ipſius voluminis magnitudo demonſtrat, quã Victorinus neq; attingit,neque attingere potuiſſet ita rebus minimis immoratus, niſi opus multa librorum pluralitate diſtenderet. Nos verò & hãc ipſam particulam quam Victorinus attigit,diligenter(vt poſſumus) aggrediamur:& longius expoſitione progreſsi, cum Topicorum habemus fine conſiſtere. Quare de tota operis propoſitione conueniens ſumamus exordium. Sed antè quàm de Topicæ facultatis ratione pertractem,prœmium,quo ad Trebatium M.T.vtitur,paucis abſoluam.

PROOEMIVM.

OMNE proœmium,quod ad cõponendum intẽdit auditorem,vt in rhetoricis diſcitur,aut beneuolentiam captat,aut attentionem præparat,aut efficit docilitatem. his tribus partibus ſibi Cicero Trebatium format. Nam quòd ſe à magnarum rerum inchoatione reuocatum, ad amici contulit voluntatem,fauorem velut Trebatij iudicis,beneuolentiæ partibus emeretur. Maiores autẽ res ſunt,à quarũ ſcriptione,ad amici ſtudium verſus eſt moralis philoſophiæ tractatus. maior eſt enim morum ratio,quàm peritia diſſerendi. Id autem tempus fuiſſe coniicimus , quo propter turbulenta Reip.tempora,in otium ſe contulit,atque philoſophiæ diſciplinas.Sed quia nobis audientium mentes veritatis quoque opinio præſumpta cõciliat:in eo etiam præparandæ beneuolentiæ partibus vtitur,quod in cõmemorandis veraciter iis quæ Trebatius nouerat,facit illis fidem,quæ poſterius euenire,& Trebatio ignota eſſe potuerunt. hæc autem ſunt,quòd in Tuſculano ad ſuum ſtudiũ vterque libros euoluerit : quodq; Trebatius caſu in Ariſtotelis Topica inciderit : quòd titulum operis admiratus,à M.Tullio inſcriptionis ſententiam perquiſierit.Illud etiam,quod ei Cicero ſe expoſuiſſe cõmemorat,inueniendorum argumentorum illis libris ſcientiã contineri,vt ſine vllo errore ad argumentorum inuentionem via quadam & recto filo, atque artificio veniretur . Quæ res breuiter enunciata,velut intentionem operis monſtrat,& docilem perficit auditorem. In hoc nanque videtur eſſe comprehenſum,quæ ſit intentio Topicorum,quòd ait diſciplinam eſſe argumentorum,nõ vt inueniantur(id enim natura ſuppeditat) ſed vt ſine vllo labore,ac ſine vlla confuſione,non caſu ad ea mens, ſed quadam viæ ductione perueniat. Poſt beneuolentiæ hanc captationem, Trebatij laudem ſubiungit,quòd eius verecundiam in his cõmemorat expetendis,quæ ſi poſtulanti amico Cicero præſtitiſſet,& gloriæ præmium ferret,& gratiæ.Sed quòd petenti Trebatio vt ei Topica traderet,minimè conceſsit,id non proprij laboris fuga, ſed Trebatij potius cauſa factum eſſe cõtendit,vt in eo quoque Trebatij veluti tunc repulſi,ſubiratus forſitan animus nunc nõ ſit alienus. Intererat verò Trebatij,vt vel per ſe ipſe legens, exercitatior fieret:vel ei perfectius , ſi qua dubitaret, rhetor doctior expediret.Vtrunq; verò à Trebatio ſe narrat audiuiſſe. Nã & expertũ eum,vt per ſe ipſe legeret, ſed obſcuritate reiectum: & illum rhetorem,à quo Topicorum explanationem petiſſet , illa ſeſe Ariſtotelica ignorare confeſſum. Quæ res,per operis difficultatem neceſſe eſt auditorem reddat attentum:ea quippe non negligentes inſpicimus,quæ nõ facilis eſſe intelligentiæ ſuſpicamur.In quo etiam Cicero minimè ſe miratum eſſe commemorat ,quòd is philoſophus à rhetore neſciretur,qui multis etiam philoſophis videretur incognitus.quorũ etiam iure culpat ignauiã:quos ad Ariſtotelicæ philoſophiæ diſciplinã non inuentorum vtilitas,non orationis nitor illexerit.In quo etiam maioris perſpicaciæ creſcit attentio : quia facilè ad ſtudium mentes, aliorum ſegnities culpata conuertit.in quocunq; verò attentio fuerit, non poterit abeſſe docilitas. In his etiam laus quædã Trebatij latenter inducitur:magnum eſt enim,philoſophis in ſuo quaſi munere ceſſantibus, hũc Trebatium ne proprio quidem ſtudio præditum,alienæ ſcientiæ ſecreta rimari.Iam verò ſequẽtia multò etiã clarius beneuolentiam petunt:velut hoc,quod elegantiſsimè dictum eſt,veritum ſe eſſe,ne ſi modeſtè poſtulanti verecundiæ pernegaſſet, ipſi quodammodo iuris interpreti fieri videretur iniuria. Et q̃ præcedens Trebatij meritum percepti beneficij memor exequitur : id verò eſt,quod vel ipſi, vel iis quos ipſe defenderit, plura cauiſſet.Fuit igitur,vt ait,verendum,ne ſi reſtituere gratiam noluiſſet, aut ingratum id,aut ſuperbum eſſe videretur.Ingratum quidem,ſi magna Trebatij merita,quibus

ipse vsus fuerat, paruo æstimare videretur: cum nullam ei gratiam restituendam putaret: superbum verò, si sperneret. Ad idem cætera reuertuntur: Quòd eiusdem testimonio nititur, dũ fuerit in Vrbe, se, ne debitam redderet gratiam, occupationum necessitate constrictum: Quòd, vt venerit Veliam, amicorum Trebatij conuentione cõmonitus, ne tacitæ quidem eius flagitationi deesse voluisset: & quòd licet librorum copia nulla suppeteret, de memoriæ tamen repetitæ promptuariis in ipsa nauigatione conscripserit: eique ex itinere miserit, vt beneficij cumulo, parendi etiam celeritas adderetur. Quæ cum omnia benignum captare Trebatij videantur assensum, quædam tamen breuitas Topicorum, memoriæ repetita, attentionis necesse est animaduersione fungatur. Ipsa nanque memoriæ repetitio, breue monstrat esse quod colligit, quódque diligentiæ sibi fuerint mãdata Trebatij: & quòd ad excitandam sui memoriam quasi pignus amico aliquod atque monumentum voluisset extare. Cui adiicit illud, Etsi admonitore non egeas: ne offendat animum sedulitate admonitionis, si, quem cõmonendum credit, obliuionis videatur arguere. Hæc omnia, vt dixi, beneuolentiæ partibus plena sunt. Sed de proœmio satis dictum est: nunc ad consequentia transeamus. Nec si quis hæc apud Victorinum latius tractata repererit, nos neglectæ integritatis stringat inuidia. nam nec in singulis (vt ille facit) verbis hærere volumus, & ad ampliora huius operis festinamus.

IOANNIS VISORII COENOMANI IN M. T. Ciceronis Topica Argumentum.

MArcus Tullius eo tempore Rempub. reliquit, & se totum ad rhetoricen philosophiámque tractandam contulit, quo Iulius Cæsar vnicus in vrbe Roma dominus, oppressa libertate populi tyrannidem exercuit. Qua tẽpestate cum Cicero in suo Tusculano multos libros rhetoricos edidisset, & iam philosophicos aggressus esset scribere, Caius Trebatius Iurisconsultus eum è cursu suo, id est à philosophia morali, quam tunc tractabat, ad Topicen sibi tradẽdam reuocauit. Quod negotium Cicero primùm recusauit, vt qui maioribus rebus & dignioribus (nẽpe philosophicis libris scribendis) detẽtus esset. Verùm paulò pòst interfecto Cæsare, cùm iam Antonius omnibus bonis ciuibus esset formidolosus, præcipuè Ciceroni, qui Cassij & Bruti interfectorum Cæsaris amicus erat, omnésque boni eius impotentiam ægrè ferrent, Cicero patriã sibi relinquẽdam esse existimauit. Itaque relicta Italia migrauit Athenas. Qui simulatque Veliam venit, Trebatij meminit: nam ea vrbs erat amicissima Trebatij. Itaque vt primùm Velia nauigare cœpit, instituit Aristotelica Topica conscribere, quem librum Rhegij scriptũ, Trebatio misit cum hac epistola, quæ libro septimo Epistolarum Ciceronianarum reperitur: Vide quanti apud me sis, & si iure id quidem. nõ enim amore te vinco. Veruntamen quod præsenti tibi propè subnegaram, non tribuere certè id absenti nõ potui. Itaque vt primùm Velia nauigare cœpi, instituí Topica Aristotelica cõscribere, ab ipsa vrbe cõmonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegij scriptũ, quàm plenissimè res illa scribi potuit. Sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem literis sine interprete & sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longè abieris. Num ius ciuile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquã plurimi sunt, doctorem tamen luménque desiderãt. Quanquam tu si attentè leges, si sæpius, per te omnia consequêre vt certè intelligas. Vt verò etiam ipsi tibi loci proposita quæstione occurrant, exercitatione consequêre. In qua quidem nos te cõtinebimus, si & salui redierimus & salua ista offenderimus. Vale, quinto Calendas Sextiles, Rhegij.

PRAEFATIO.

Maiores nos res.) id est, philosophiam, præcepta morum componendorum, vitæq; formandæ rationem. Nam eo tẽpore Cicero Tusculanas quæstiones in suo Tusculano (à quo Tusculanæ dictæ sunt) composuit, sicut in principio quæstionũ Tusculanarum apertè docet. Item Officia paulò pòst, nempe post interfectum Cæsarem, scripsit, vt in illis testatur. Et iis libris.) Scilicet rhetoricis. id enim temporis libros de Oratore ad Quintum fratrẽ, præterea Partitiones oratorias ad filium: & Ora-

torem ad Brutum, necnon libellum de Optimo genere oratorũ scripserat. *In Tusculano.*) Tusculanus ager Ciceronis, à Tuscia regione Italiæ in qua erat, dictus est. Tuscia verò ea est regio, quæ nunc Hetruria dicitur, vt Cato scribit, nempe quicquid inter Macram & Tyberim fluuios diffunditur. *Incidisti in Aristotelis Topica quædam.*) Topice, scientia localis est, quæ inueniendorum argumentorũ viam docet. de qua postea plura dicemus. Eius facultatis octo libros Aristoteles scripsit: qui omnia quæ de re quaque quæri possunt, ad vniuersalia capita, definitionem, genus, proprium, & accidens reuocans: primo libro de his quatuor in vniuersum loquitur: secundo verò, tertio, quarto, quinto, sexto, & septimo de singulis. nempe secundo & tertio de accidente, quarto de genere, quinto de proprio, sexto & septimo de definitione: at in octauo argumentantem & respondentem dialecticum suis armis instruit & munit. *Sed à libris te obscuritas reiecit.*) Aristoteles vsqueadeò fuit obscurus in scribendo, vt similis τῆς λοξίας, id est oraculi diceretur. de quo Rodolphus in hunc modũ loquitur: Sed videtur mihi dolendum esse, sedisse illud animo grauissimi hominis, vt non simpliciter & apertè proferret quæcunq; inuenerat: vt præter laborem quem ipsa rerum esset habitura obscuritas, alia nobis etiam ex ipso obiiceretur difficultas, quo necesse haberemus mentem ipsius velut oraculi suspẽsam, & ambiguam indagine perquirere. Themistius itaq; primo Physicorum author est, longè aliter omnia foras esse edita ab illo quàm sint domi tradita: dementiaq; simile esse, siquis legendis libris ipsius, speret illius se sententiam consequuturum. Sed quid Themistium dico? ipse de se locupletissimus est testis. Scribit enim quadam ad Alexandrum epistola, edidisse se quæ ad philosophiam pertinent, sed perinde tamen, nisi qui ab eo audierint, eadem ista ac si edita non essent, futura. *Quibus eo minus est ignoscendum.*) Cicero in libris de Oratore ad Q. Fratrem, & in peroratione Partitionũ oratoriarum scribit eloquentiam sine philosophia teneri non posse: proinde oportere omnem oratorem esse philosophum. Nam siue laudet vel vituperet, scientiã moralem tenere debet: siue suadeat vel dissuadeat, necesse est vt naturas regionum, locorũ, & temporum calleat. deniq; siue accuset vel defendat, oportet vt definiat, diuidat, distinguat, interpretetur, argumentetur, confirmet & refellat: quæ sanè omnia vna philosophia nos docet. *Sed dicẽdi quoq; incredibili copia.*) Cicero vocat Aristotelem fluuium vehentem aurum, necnon aureum flumen eloquentiæ. Sanè Cicero multis in locis testatur, Aristotelem eloquentiam cum philosophia iunxisse. Insuper Quintilianus lib. 3. tradit, eundem pomeridianis scholis artem oratoriam præcipere cœpisse, qui Isocratis rhetoris gloria motus, notum quidem illum (vt traditur) versum ex Philocteta frequenter vsurpauit: αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, Ισοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν. *Vt autem à te discesi in Græciam.*) Cicero Antonij consulis impotentiam (vt diximus) ægrè ferens, abeundum omnino statuit, ea spe, eoq; consilio, vt Athenas migraret, toto tempore quod supererat Antonij consulatus illic futurus, & tunc demum rediturus, cùm Pansa & Hirtius cõsulatum iniissent. profectus itaque est, & in Siciliam delatus. Cùm in Græciã traiicere vellet, vento ad Leucopetrã Calabriæ promontoriũ relatus fuit: vbi nouum consiliũ redeũdi Romam cepit, cùm mutatam Antonij voluntatẽ intellexisset. Sed in vrbẽ properè reuersus, nihilo meliora reperit, quàm proficiscens reliquerat: imò apertè Antonius tyrãnidem iam affectabat. *Vt veni Veliam.*) Velia oppidum est Lucaniæ in Italia. *Aeris alieni.*) Aes alienum metaphoricẽ ss, pro re debita Tullius vsurpat. *Tibique ex itinere misi.*) Puta ex Rhegio oppido Siciliæ, quod Italiæ proximum est. Nam est aliud Rhegiũ in Italia, quæ Gallia Cisalpina dicitur, non longè à Mutina. nomen oppido datum est à dehiscendi argumento. Nam & ῥῆγμα Græci rupturam nominant: quo nomine Iustinus ait abrupta Græcè pronunciari, qui tamen Rhegium non oppidum, sed promontorium facit. Ab illo Rhegio Rhegini, ab hoc verò Regienses.

LATOMVS. Maiores nos res scribere ingressos.) Præfatio est ad Caium Trebatium, in qua commemorat, qua occasione adductus sit ad scribẽdum hunc librum: & in eo studium suum erga Trebatium ostendit. Fuit autem iurisperitus Trebatius, clarus temporibus Ciceronis, ad quem cùm scriberet Cicero, omnia exempla ex iure ciuili sumpsit, vt haberet rationem eius ad quem scribebat. *Maiores res.*) Philosophiam intelligit, ad quã tractãdam se contulerat, occupata à Cæsare Repub. Scripsit autem libros de Finibus bonorum, & Tusculanas atque Academicas quæstiones: Item de Natura deorũ, de Diuinatione, de Fato, de Repub. de Legibus, & libros Officiorum.

In Tusculano.) Villa erat Ciceronis hoc nomine, quòd esset in agro Tusculano. *Rhetor autem ille magnus.*) Ironia est in quendam, qui se magistrum dicendi profitebatur. *Dicendi copia.*) Copiam rerum intellige, nõ verborum, quoniam Aristoteles verbis pressus & adstrictus est. Ca-

uisses.)id est,consuluisses:quod aduocatorum est, qui in causis litigatoribus suggerunt. Nam sicut hodie,ita & quondã iurisperiti consulti de iure respondebant,quod cauere dicebatur.ex quo responsa prudẽtum sunt appellata,quæ cesserũt in partem iuris ciuilis. Est etiam cauere,satisdare,item satisdationem ab alio accipere,item vitare. In Græciam proficiscẽs.)Post interfectum Cæsarẽ,cum ad tyrannidẽ eius aspiraret Antonius,& veteranos solicitaret, haberetque palã circa se armatos homines.Nã tunc Cicero impetrata libera legatione,proficiscebatur in Græciam, vt vitaret armæ Antonij donec consulatus illius finiretur.Vt veni Veliã.)Oppidum fuit Calabriæ cũ portu, iuxta Palinurum. In ipsa nauigatione.)Cum nauigaret à Velia,sicut ipse commemorat libro septimo Epist.ad Trebatium.Mentionem facit eiusdem itineris Philip.1.

HEGENDORPH. Maiores nos res.) Hic Trebatius iurisconsultus in bello ciuili inter Pompeium & Cæsarem,Pompeium secutus,cùm victo Pompeio in bello diutius perdurasset,in exilium ire iussus est.At Ciceronis opera Cæsar eum ab exilio reuocauit,ita vt consilio eius vteretur,& tribunatu militari eum ornaret,sine tamen onere militari. Meminit huius Trebatij Suetonius in Cæsare.Extant ad eum plurimæ Ciceronis epistolæ,longè salsissimæ,in libro Epistolarum septimo.Et huius Trebatij mentio fit in Pandectis,de Origine iuris.

COVEANVS. C.Cæsare fortiter quidem,sed parùm fœliciter à Reipub gubernatione semoto,cùm M.Antonius Cos.nihil per senatum,omnia solus ageret,& veteranis Cæsaris vrbem iam impleuisset,cedendũ sibi ex Italia M.Tullius existimauit.Et cùm liberam olim legationem à Cæsare impetrasset,ea tum vti optimum ratus est. Quo in itinere Topica hæc ad C.Trebatium Ruffionem Iureconsultum familiarem suum conscripsit. Topica.) Topica Aristotelica librum hunc inscribit idem ipse Tullius in epistola ad Trebatium, cuius est initium, Vide quanti. Itaq;,inquit,vt primùm Velia nauigare cœpi,institui Topica Aristotelica conscribere, ab ipsa vrbe commonitus amãtissima tui. Maiores nos res scribere ingressos.)Philosophiam dicit ad quam scribendam quam ob rem,& quo tempore animum appulerit,scribit ipse cum locis aliis compluribus,tum in proœmio libri de Natura deorum:Sin autem,inquit,quis requirit,quæ causa nos impulerit,vt hæc tam serò literis mandaremus:nihil est,quod expedire tam facilè possimus.Nam cùm otio langueremus,& is esset Reipublicæ status,vt eam vnius consilio atque cura gubernari necesse esset:primùm ipsius Reipub.causa Philosophiam nostris hominibus explicandam putaui,magni existimãs interesse ad decus & laudẽ ciuitatis,res tam graues,támque præclaras latinis etiam literis contineri.Hortata est etiam vt me ad hæc conferrẽ,animi ægritudo,fortunæ magna & graui commota iniuria: cuius si maiorẽ aliquam leuationem reperire potuissem,nõ ad hãc potissimum confugissem.Ea verò ipsa nulla ratione melius frui potui,quàm si me nõ modò ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Et iis libris, quos breui tempore satis multos edidimus,digniores.) Legendum puto, ET digniores iis libris quos.&c. vt ablatiuus(iis libris)ad verbum (scribere) referatur.Breui enim tempore cõplures in Philosophia libros edidit,qui ferè enumeranturur in proœmio lib.2.de Diuinatione. Iudicium autem hoc nostrũ confirmat ipse Tullius in proœmio lib.1.de Nat. deorum,his verbis scribens, Multum autem fluxisse video de libris nostris,quos complures breui tempore edidimus,variúmque sermonem,partim admirantium,vnde hoc philosophandi nobis tam subito studiũ extitisset:partim quid quaque de re certi haberemus,scire cupientium.Breue autem hoc tempus fuit,quo Cæsar regnauit: id quod intelligimus ex literis M.Bruti,& C.Cassij Prætor. ad M.Antonium Cos.in quibus scriptum sic est:Tu etiam atque etiam vide quid sustinere possis: neque quandiu vixerit Cæsar,sed quàm non diu regnarit, fac cogites. Sententia itaque mihi hæc esse videtur, Ingressum philosophica scribere, tu me ad hæc Rhetorica,res minus dignas,reuocasti. Quo inscriptione commotus.) Non intelligebat Trebatius,quidnam Aristotelica illa inscriptio sibi vellet.Neque mirum videri debet, Iurecõsulto propria Dialecticorum verba fuisse ignota. Vt sine vllo errore.)Hoc ars à natura differt. Via ab Aristotele inuenta.)Via ab Aristotele inuenta hæc est: Locos argumentorum & probationum dictis quatuor(dicta Græci κατηγορούμενα vocant)diuisit,intra quæ omnem quæstionem cadere esset necesse:tum autẽ locos dedit, quibus quatuor illa dicta & constitui, & euerti possent: vt in partẽ vtranque de re omni proposita disputaremus. quod quidẽ disputãdi genus princeps ipse quoque instituit Aristoteles, quemadmodum in Oratore, & lib. 5. de Fin. testatur M.Tullius.

Magnus,vt opinor.)Ironiam nullam hoc loco video: magnus enim Rhetor esse poterat,vt Ari-

ſtotelica ignoraret, quæ paucis admodum philoſophis nota erant. Iuris interpreti.) Prudentes homines leges 12. tab. reſponſitando initio interpretabantur, vti ſcribit Cicero 1. de Legib. vnde Iureconſulti Iuris interpretes dicti ſunt. Quæ prudentũ interpretatio, iuris ciuilis pars facta eſt, quẽadmodum ſcribit Pomponius. Iureconſultum autem Cic. 1. de Orat. ſic definit, eum qui legum & cõſuetudinis eius qua priuati in ciuitate vterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus ſit. Ne ſi ego grauarer.) Legendum puto, Eo grauarer. Cic. 2. de Orat. Non eſſem tam inurbanus ac penè inhumanus, vti eo grauarer, quod vos cupere ſentirem. Superbum videretur.) A quo reſponſum ferre nõ poſſumus, ſuperbus Cic. dicitur: ſic enim ad Valerium Iureconſul. ſcribit: Quanquam qui iſtinc nunc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quòd nihil reſpondeas: partim contumelioſum, quòd malè reſpondeas. In Græciam proficiſcens.) Cum libera legatione, animo ſcilicet redeundi ante Cal. Ianuarias, vt in Senatu Cal. ipſis adeſſe poſſet: quo die nouus Cos. vti ſcribit Varro, ad Senatum de Repub. referebat. Vide primam Philip. & lib. vlt. epiſt. ad Atticum. Vt veni Veliam.) Veliam venit Cic. xvj. Cal. Sept. ibíque diem vnum conſtitit. vide epiſt. ad Atticum, cuius initium eſt, Octauo Idus. Verùm in Græciam proficiſcens, quomodo Veliam venit? Iter in Græciam tritum per Brũduſium erat: quod tum metu Macedonicarum legionum M. Tullius vitauit. vide 1. Philip. Tuáque & tuos vidi.) Trebatij paternæ poſſeſſiones Veliæ erant. Vide Epiſt. Ciceronis ad Trebatium, cuius eſt initium, Amabilior mihi Velia.

Ex itinere miſi.) Rhegio. vide epiſt. ad Trebatium, cuius eſt initium, Vide quanti. Ad memoriam noſtrarum rerum excitarem.) Tullius abiens, Trebatio ſua negotia commendauit: ſcribẽs ſiquidem ad Trebatium illa epiſt. quam paulò antè citaui, Amabilior, Sed, inquit, valebis, meáque negotia videbis.

COMMENTARIVS DOCTISSIMI cuiuſdam viri In M. T. Ciceronis Topica.

Ad C. Trebatium Iuriſconſultum Topica.) Põponius iuriſconſultus celeberrimos tres fuiſſe iuriſconſultos Ciceronis tempore ſcribit, Trebatium, Cornelij maximi diſcipulum, Caſſelio peritiorem: Caſſelium, Trebatio eloquẽtiorem, & vtroq; doctiorem Offilium. Ad eum Trebatium ſcripſit Cicero Topica, quorum inſcriptio eſt metaphorica. quemadmodum enim loco continetur corpus, ita loco continetur argumentum. Vnde per metaphoram topicen appellant rationem inueniendi. Maiores.) Hæc epiſtola, quæ vice præfationis eſt, officium Ciceronis declarat, cauſam ſcribendi, excuſationem dilationis, petitionem paris affectus. Ipſa protaſi beneuolentiam colligit. Cæterùm cùm antea multos libros de philoſophia ſcripſiſſet, vt cõmemorat lib. 2. de Diuinatione, maius tamen opus, nimirum, vt opinor, Officia, (ſic enim colligere licet ex ſexta epiſtola libri 16. ad Atticũ) intermiſit, vt officium Trebatio præſtaret. Cùm enim.) Aetiologia hæc habet expoſitionem, quæ complectitur ſcribẽdi cauſam. Porrò Cicero in Tuſculana villa duo extruxerat gymnaſia, Academiã & Lyceum: in quibus mane docebat Rhetoricam, poſt meridiem philoſophabatur, more Ariſtotelico. Illic etiam bibliothecã extruxerat pulcherrimam, vt meminit in epiſtolis ad Atticum. Quã tibi.) Breuiter Topicorum argumentum explicat, quæ res & attentionis eſt & docilitatis. Cæterũ in vetuſto codice pro inuenta legitur inuentam, vt ad rationem referatur. adnotandum porrò ante Ariſtotelem dialecticam non ſatis in artem fuiſſe redactã: itaq; idipſum primus Ariſtoteles præſtitit, & locos quos appellamus topicos primus reperit. Quanq; enim Stoici de locis ante Ariſtotelẽ pauca dixerant, inueniẽdi tamen rationem ita expoliuit, vt reperiſſe videatur. Cùm autẽ.) Explicat cauſam recuſationis iuſtam, conſiliúmq; quod Trebatio dederit: cuius fruſtratione colligitur neceſſariò ſcribenda Ciceroni Topica, niſi officio deeſſe velit. A libris te obſcuritas reiecit.) Libri Ariſtotelis aut ſunt exoterici, id eſt externi, aut acroamatici, id eſt auſcultatorij, de interiori philoſophia, & diſputationibus dialecticis: & hi ſunt omnium difficillimi & obſcuriſſimi, quorum è numero ſunt libri Topicorum. Quod quidem.) Locus eſt ex cõparatione. olim porrò Ariſtoteles magis in nomine erat, quàm intelligebatur à philoſophis. Primus Alexander Aphrodiſeus tempore Antonini philoſophi Ariſtotelem aperuit ſcriptis commentariis, & relictis diſcipulis qui Ariſtotelẽ ſcriptis ſuis explicarunt. Quibus eò minus.) A præſtãtibus Ariſtotelis virtutibus, rhe-

torem ignarum inceſſit. Ita Cicero de Ariſtotele iudicabat, vt diceret aureum fundere orationis flumen, in epiſtola ad Fannium, & 4. Acad. Ariſtotelica pigmenta cùm dicit, ſignificat floridum Ariſtotelis & ſuaue dicendi genus. Idem quinto de Finibus, Peripateticos ornatiſſimos & copioſiſſimos appellat. & 1. Academica, abundantiam Ariſtoteli tribuit. Non potui igitur.) Hac cõcluſione ponit ſcribendi inductionem ab amici poſtulatione, & quòd eam rationem inueniendorum argumentorum ab illo commodius diſcere non poſſet. Seruatur tamen decorum in reddenda perſonæ verecũdia. Iuris interpreti.) Iuris interpretem appellat Trebatium, vel q̃ (vt ait Põponius) complures in iure ciuili libros conſcripſerit, qui tamen propter difficultatem minus frequẽtabantur: vel quòd publicè ius interpretaretur & reſpõderet, vt facere ſolebant antiqui iuriſconſulti, quorum reſponſa partem fecerunt iuris. Etenim cùm tu.) Addit quoq; cauſam ab officiis reponendis: quorum obliuiſci, eſt ingratum: vt amici poſtulationem contemnere, ſuperbum. Cauiſſes.) Budæus in poſter. annot. in Pand. ait cauere eſſe hominis iuriſprudentis, qui conſultori rationem & formulam præſcribit contrahendi & paciſcendi, ne rem ſuam & conditionem faciat deteriorem. vnde cautores formularum à Cicerone Iuriſconſulti nuncupantur. Sed dum fuimus vná.) Hæc pars eſt apologetica. Quòd enim tardius munus perſoluat, ſe excuſat: atq; excuſatio accipi debet, cùm & occupatus fuerit, & primam ſcribendi occaſionem arripuerit. Vt autem.) Hoc ideo ait, quia ſtatim poſt mortem Cæſaris in ſenatu concordiam ſuaſerat, & legem ἀμνηστίας, id eſt obliuionis iniuriarũ, reuocauerat, ſempérq; author pacis fuerat. Veliam.) Velia, quæ & Helia à paludibus dicta eſt, vrbs Calabriæ erat in cliẽtela Trebatij: multos igitur amicos illic habebat, multos clientes, multas poſſeſſiones. Loci igitur occaſio reuocauit promiſſum in memoriam. Vt mea diligentia.) Hic locus habet adhortationem. eſt enim æquum, vt ab amico cui beneſeceris officium repetas: ne tamen videretur notare Trebatium, quadam occupatione indicauit eius ſedulitatem.

Idem Cic. lib. 4. de Finibus.

Dialectice.

Topice.

Loci, ſedes argumentorum.

Argumentum.

Cùm omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, vnã inueniendi, alteram iudicandi: vtriuſque princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit: Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam quam Dialecticen appellant. Inueniendi verò artem, quę Topice dicitur, quæ ad vſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraque ſumma vtilitas eſt, & vtranque, ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea quæ prior eſt, ordiemur. Vt igitur earum rerum quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco, facilis inuentio eſt: ſic cùm perueſtigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Sic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes è quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, Locum eſſe argumenti ſedem: Argumentum autem, rationem quæ rei dubiæ faciat fidem.

BOETIVS. Cùm philoſophia maximis in rebus operam ſuam ſtudiúmque conſumat, cúmque & in naturalibus inſpectionem, ſpeculationémque adhibeat, & in moralibus actionem: & ſic formare geſtiat mores, vt vera vitæ ratio perſuaſerit: euenire neceſſe eſt, vt ſecũdum id quod ratio tenendum, omittendúmve, quod faciendum aut non faciendum eſſe decreuerit, vel iudicium conſtituatur, vel exercendæ vitæ dirigatur intentio. Erit igitur neceſſarium, vel in naturali ſpeculatione, vel in moralium actionum cogitatione, vt certa ratio, vel quod in rebus ſpeculãdum

est inueniat, vel quod in actum viuendi duci oporteat, antè perpendat. Hæc autem ratio nisi via quadam processerit, sæpe in multos necesse est labatur errores. Quod ne passim fieret, atque vt certis regulis tractatus insisteret, visum est antiquæ philosophiæ ducibus, vt ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitus antè discuterent: vt his purgatis atque compositis, vel in speculatione veritatis, vel exercẽdis virtutibus vteremur. Hæc est igitur disciplina, quasi differendi quædam magistra, quam Logicen Peripatetici veteres appellauerunt: hanc Cicero definiens, differendi diligentem rationem vocauit. Hæc vario modo à plerisque tractata est, varióque etiam vocabulo nuncupata. Vt enim dictum est, à Peripateticis hæc ratio diligens differẽdi, Logice vocatur, continens in se inueniendi, iudicandíque peritiam. Stoici verò eandem hanc rationem differendi paulò angustius tractauere. nihil enim de inuentione laborantes, in sola tantum iudicatione consistunt: déque ea præcepta multipliciter dantes, Dialecticam nuncupauerunt. Plato etiam Dialecticam vocat facultatem, quæ id quod vnum est, possit in plura partiri: veluti solet genus per proprias differẽtias vsque ad vltimas species separari: atque ea quæ multa sunt, in vnum generum ratione colligere. hanc igitur Plato Dialecticam dicit. Aristoteles verò, Logicam vocat: quam (vt dictum est) Cicero definiuit diligentem differendi rationem. Et huius vno quidem modo, trina partitio est: omnis nanque vis Logicæ disciplinæ, aut definit aliquid, aut partitur, aut colligit. Colligendi autem facultas triplici diuersitate tractatur: aut enim veris ac necessariis argumentationibus dispositio decurrit, & disciplina, vel demonstratio nuncupatur: aut tantum probabilibus, & Dialectica dicitur. aut apertissime falsis: & sophistica, id est, cauillatoria perhibetur. Logica igitur quæ est peritia differẽdi, vel de definitione, vel de partitione, vel de collectione, id est, vel de veris ac necessariis, vel de probabilibus, id est, verisimilibus, vel de sophisticis, id est, cauillatoriis argumẽtationibus tractat. has enim collectionis partes esse prædiximus. Atq; hæc est vna Logicæ partitio: in qua Dialecticã Aristot. vocat facultatẽ per probabilia colligendi. Rursus eiusdem Logicæ altera diuisio est, per quam diducitur tota diligens ratio differendi in duas partes: vnam inueniendi, & alteram iudicandi. id autem videtur etiam ipsa Logices definitio monstrare. nam quia Logica, ratio differendi est, non potest ab inuentione esse separata. Cum enim nemo præter inuentionem differre possit: differendi ratio, inuentionis est ratio. Rursus quoniam Logice, diligens ratio differendi est: ab ea non potest abesse iudicium. ipsa enim diligentia rationis in differendo posita, iudicium est. Neque enim potest quisquam diligenter differre, nisi iudicauerit quale sit id, quod in disputationem sumitur. quòd si ad differendi ordinem diligentia rationis adhibetur, non est dubium quin hoc iudicium ad inuentionum varietatem sit accommodatum. His igitur ita expeditis, videndum est, hæ diuisiones quánam se cognatione contingant. Inuentio quippe cæteris omnibus, veluti materiæ loco supponitur, hoc modo. Nisi enim inuentio fuerit, non potest esse vel definitio, vel partitio: quoniam vnumquodque, generum vel differentiarum inuentione aut diuidimus, aut etiam definimus. Iam verò si absit inuentio, nequit esse collectio. Non erit igitur necessaria, nec verisimilis, nec sophistica. hæc enim tria inuẽtioni seperueniunt, vt vel necessarium, vel probabile, vel cauillatorium sit argumentum. Necessitas verò, & probabilitas, & cauillatio, formæ quædam sunt. quæ dum inuentionibus assistunt, necessaria, vel probabilia, vel cauillatoria faciunt argumenta. Eadem quoque ratio partitiones definitionésque complectitur. Indiscreta nanque inuẽtionis potestas, cum definitiua, tum diuisibilis appellari potest, cum definiendis, partiendísve rebus adhibetur. Quæ hoc modo ex inuentionis materia, & differentiarum suprà positarum forma composita, rursus iudicationi materia fiũt. nã prior illa partitio Logicæ tribus partibus segregata, ita partes explicat, vt habeat inuentionem materiam singularum, ipsa verò iudicationi materiam præstat. Etenim cum definit aliquis vel rei propositæ diuisionem facit, inuenit quidem diuisioni definitioníque differentias accommodatas: sed an recte vel definiat vel diuidat, iudicatione perpendit. Ita priores Logicæ partes secundæ diuisionis membra coniungunt: vt materiam quidem sui habeant inuentionem: iudicationi verò fiant ipsæ materia. Quod in reliqua etiam colligendi parte contingit. nam & ea quæ de probabilibus tractat, habet inueniendi suppositam materiam, quæ verisimilia reperit argumenta, & de huiusmodi argumento iudicatio perpendit. est enim iudicium hoc ipsum internoscendi, quòd non necessaria inuentio est, sed verisimilitudinem tenet. Illa quoque pars, quæ de necessariis argumentationibus aptatur, habet subiectam materiam necessariæ inuentionis. eiúsque est iudicium, vt cum necessaria sunt quæ inuenit, necessaria quoque esse perpendat. Nec non cauillandi pars, vtra-

que in se continet: quandoquidem & inueniri falsa possunt, & falsa esse iudicatione discerni. Quo fit vt prior Logices diuisio, secundam etiam continere videatur. nam definitio, partitio, atque collectio, inuentionem continent & iudicium: quia neque existere præter inuentionem, neque agnosci præter iudicium possunt. Sed cum omnis inuentio iudicationi subiecta sit, cúmque prioris definitionis partes sine vtroque esse non possint: euenit vt prima partitio inuentionem iudiciúmque coniungat. Secunda verò hæc diuisio, qua Cicero etiam partitur Logicam, segregat huiusmodi facultates, & inueniendi materiam à iudicationis parte secernit. Iudicium verò, in colligendi ratione proprias partes habet. nam omnis argumentatio, omnísque syllogismus propositionibus struitur. omnéque compositum duo in se quædam retinet, quæ speculanda esse videantur. Et quidem vnum, quæ illa sint, ex quibus id quod compositum est, intelligatur esse connexum: aliud verò quánam sit suarum partium coniunctione compositum. vt in pariete, si quidem lapides ipsos, quibus paries structus est, inspicias, quasi materiam spectes: si verò ordinẽ compositionémque iuncturæ consideres, tanquam de formæ ratione perpendas. Item in argumentationibus, quas propositionibus compaginari, atque coniungi suprà retulimus, gemina erit speculationis, & iudicandi via. Vna, quæ propositionum ipsarum naturam discernit, ac iudicat vtrum veræ ac necessariæ sint, an verisimiles, an sophisticis applicentur: & hæc quasi materiæ speculatio est. altera verò pars, iudicij est, quæ inter se propositionum iuncturas compositionésque perpendit: hæc quasi formam iudicat argumentorum. Quæ cum ita sint, hoc modo fit in continuum ducta partitio: vt ratio diligens disserendi, vnam habeat inueniendi partem, alteram verò iudicandi. Tum de ipsa inuentione, tum de inuentionis collocatione forma est argumentationis. Atque ea quidem pars, quæ de inuentione docet, quædam inuentionibus instrumenta suppeditat, & vocatur Topice. cur autem hoc nomine nuncupata sit, posterius dicam. Illa verò pars, quæ in iudicando posita est, quasdam disserendi regulas subministrat, & vocatur analytice. & si de propositionum iunctura consideret, analytice prior: si verò de ipsis inuentionibus tractet, ea quidem pars vbi de discernendis necessariis argumentis dicitur, analytice posterior nuncupatur. ea verò, quæ de falsis atque cauillatoriis, id est, de sophisticis, elenchi. De verisimilium verò argumẽtationum iudicio nihil videtur esse tractatum idcirco, quoniam plana est atque expedita ratio iudicandi de medietate, cum quis extrema cognouerit. si enim quis diiudicare necessaria sciat, idemque falsorum argumentorum possit habere iudicium: verisimilia, quæ in medio collocata sunt, discernere non laborat. Expeditum igitur est, vt arbitror, quid sit quod ait Cicero, rationem diligentem disserendi, duas habere partes, inueniendi vnam, alteram iudicandi. Illud etiam diligentius expositum est, quæ sit ratio quam Stoici Dialecticen vocant: ea est enim quæ iudicandi peritiam tenet, & quòd eodem nomine Plato partiendi per differentias, atque ad genus reuocandi facultatem vocet. quódque eodem nomine Aristoteles nõ totam disserendi artem, vt Stoici: sed eam tantum nuncupet, quæ de proposita quæstione verisimilibus colligat argumentis: atque ideo perfectius Aristoteles de Logica tractauit, quoniam de duobus, vltra quæ nihil est tertium, disseruit, de inueniendo scilicet, & iudicando: cum Stoici, inuentione neglecta, iudicationis tantum instrumenta tradiderint. atque ideo iure eos increpat Tullius: quoniam id maximè reliquêre, quod & natura prius, & vsu potius erat. natura quidem: quia fieri non potest, vt de inuentione iudicetur, nisi ipsa inuentio prius extiterit. Ad vsum verò: quia longe vtilius est nuda, & præter artem prolata naturali inuentione susceptum sæpe tueri negotium, quàm inueniente alio mutum ipsum inerméque & tacitum versare iudicium. Dat verò Tullius de vtroque sententiam: & ait summam pariter vtilitatem in vtroque consistere: & se de vtraque, si otium fuerit, velle disserere. Ab ea autem quæ prior est, id est, inuentione, quam Topicen appellari diximus, ordiendum putat.

VT igitur earum rerum.) Post diuisionem Logicæ disciplinæ, quam diligentem disserendi rationem esse definiuit: de Topice, quæ inueniendi ars esse prædicta est, expedire contendit. Ac primùm quid sint loci, termino definitionis includit, eiúsq; artis, quæ Topice dicitur, sub exẽpli quadam claritate intentionem designat. Est enim Topices intentio, argumentorum facilis inuentio. Nõ igitur inuenire docet Topice, quod est naturalis ingenij: sed facilius inuenire: omnis quippe ars imitatur naturam: atque ab hac materia susceptа, rationes ipsa, viámque conformat: vt cum facilius id quod ars quæque promittit, tum elegantius fiat: velut parietem struere, naturalis ingenij est, sed arte fit melius. Argumentũ ratio est, quæ rei dubiæ faciat fidem. Multa enim sunt quæ faciunt

fidem: sed quia rationes non sunt, ne argumenta quidem esse possunt. vt, visus facit fidē his quæ videntur: sed quia ratio non est visus, ne argumentum quidem esse potest. Differentiam verò vnam sumpsit, eā quæ faciat fidem: omne enim argumentum facit fidem. Si igitur iunxerimus genus ac differentiam, & idem argumentum dicamus, quod rationem quæ facit fidem: num tota argumenti natura mōstrata sit? Minimé. Quid si eius rei, de qua nemo dubitat, aliqua ratione facere quis fidem velit: num idcirco illa, quòd fidem faciat, vocabitur argumentum? Nullo modo: argumentum nanque est quod rem arguit, id est, probat. nihil verò probari, nisi dubium, potest. Nisi ergo sit res ambigua, & ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumētum esse non poterit. Addita igitur alia differentia, quæ est, rei dubiæ: facta est integra definitio argumenti, ex genere & duabus differentiis constans. genere quidem: ratione. vna verò differentia, quòd faciat fidem: altera verò, quòd rei dubiæ: vt sit tota definitio, id esse argumentum, quod sit ratio rei dubiæ faciens fidem. Quæ cum ita sint, necesse est vt vbi dubitatur aliquid, ibi sit quæstio. Quòd si argumentum præter rem dubiam esse non poterit: nullo modo esse præter quæstionem potest. Quæstio verò est dubitabilis propositio. Propositio verò, est oratio verum falsúmve designans. Omnis igitur propositio, siue constanter atque pronunciatiuè proferatur, vt siquis dicat, Omnis homo animal est: siue ad interrogationem dirigatur, vt si quis interroget, Putásne omnis homo animal est? retinet proprium nomen, & propositio nuncupatur. At si eadem velut dubitabilis proferatur, fit quæstio: velut si quis quærat, an omnis homo animal sit. Quot autem modis quæstio diuidatur, nunc explicandi locus non videtur accommodus: sed in iis libris dicemus, quos de Topicis differentiis formare molimur. Ad quæstionem igitur, id est, ad dubitabilem propositionem omnis intentio dirigitur argumenti: non verò vt totam comprobet quæstionem, sed vt partem eius ratione confirmet: neque enim tota quæstio defenditur, sed vna eius quælibet pars argumentatione firmatur. nemo enim defendit cælum rotundum esse, & non esse: si enim ita quis defenderet, totam quæstionem videretur probare. Sed cum ita consideratur, Vtrum cælum rotundum sit, an non sit: in vna tantum consistit quæstionis parte defensio, siue quæ affirmat, siue quæ negat. Omnis enim quæstio contrariis cōtradictionibus constat. Nam si qua res ab altero affirmetur, negetur ab altero: totum hoc, cōtradictio nuncupatur. vt si quis dicat, Cælum rotundum est: alter neget dicens, Cælum rotundum non est. Cælum rotundum esse, & non esse, cōtradictio perhibetur. Dubitabilis verò propositio, quā quæstionem esse prædiximus, & affirmationem in se continet, & negationem. hoc ipso enim quia dubitabilis est, contradictionem videtur includere. cùm enim dubitat quis vtrúmne cælum rotūdum sit, siue adiungat an non sit, siue reticeat, ipsa dubitatio partem secum alteram trahit. si enim vnam partem propositio tueatur, dubitabilis non est, atq; idcirco nec quæstio. Cùm igitur omnis quæstio duas habeat partes, affirmationis vnam, alteram negationis: necesse est vt sit semper ex alterutra parte defensio, vt vnus quidem affirmationis partem, negationis alter defendat: & hic quidem, ad astruendam affirmationem, ille verò ad destruendam, quæ potuerit argumenta perquirat. Nihil verò interest vtrum quis affirmationem ponat, an destruat negationem: aut negationem defendat, an oppugnet affirmationem. Age enim, sit quæstio, Vtrum cælum rotundum sit. Si quis eam sibi quæstionis partem assumpserit, qua esse defendit: ad eam constituendam cuncta necesse est sibi comparet argumenta: atque in hoc affirmationem quidem ponit, sed destruit negationem. si quis verò id neget, ac dicat non esse cælum rotundum: sumpsit sibi partem alteram quæstionis quæ fuerat reliqua, id est, negationem, in eáque consistit: & ad hanc approbandam perquisitis vtitur argumentis. itaque negationem ponit, & labefactat affirmationem. Quæ cùm ita sint, demonstratum arbitror, non totam quæstionem, sed eius aliquam partem ad defensionem venire. Sed quod quisque defendet, ad id quoque argumenta perquirit. Ad partem igitur quæstionis astruendam destruendámve argumenta sumuntur. atque hæc quidem siquis minus intelligit, non ea à nobis obscurè dicta esse causetur. Si enim quæ in dialectica, vel à nobis dicta Latina oratione, vel à Græcis scripta sunt, ignorabit: mirum est siquam partem eorum quæ dicimus, aduertere valeat: nedum stupeamus quòd non omnia comprehendat. Sed quoniam dubitabilem propositionem, quæstionem esse prædiximus, euenit, vt quas partes habeat propositio, easdem etiam quæstio retinere videatur. Omnis autem simplex propositio duas habet partes in terminis constitutas. Simplex verò propositio est huiusmodi, Omnis homo animal est. Terminos verò voco simplices orationis partes, quæ continent propositionem, vt animal & homo. Hi verò sunt prædicatus atque subiectus. prædicatus est in

propositione maior terminus collocatus: subiectus verò minor. Maior verò terminus de subiecto dicitur, minor autem de maiore nullo modo prædicatur. vt animal, quoniam maius est quàm homo, de homine prædicatur. dicitur enim, omnis homo animal est. homo verò de animali non dicitur. nemo enim verè dicit, omne animal homo est. Hac igitur ratione internoscere possumus qui terminus in propositione maior, qui verò sit minor. Omnis autem quæstio, vt dictum est, quoniam dubitabiles partes habet, & ad easdem comprobandas argumenta sumuntur, necesse est vt quicquid in quæstionibus comprobetur, id argumẽtorum ratione firmetur. Argumentum verò nisi sit oratione prolatum, & propositionum contextione dispositum, fidem facere dubitationi non poterit. ergo illa per propositiones prolatio ac dispositio argumenti, argumentatio nuncupatur, quæ dicitur enthymema, vel syllogismus. cuius definitionem in Topicis differentijs apertius explanabimus. Omnis verò syllogismus vel enthymema propositionibus constat. omne igitur argumẽtum ex syllogismo vel enthymemate profertur. Enthymema verò est imperfectus syllogismus, cuius aliquæ partes vel propter breuitatem, vel propter notitiam prætermissæ sunt. Itaque hæc quoque argumentatio à syllogismi genere non recedit. Quoniam igitur syllogismus omnis propositionibus constat, propositiones verò terminis, terminique inter se differunt eo quòd vnus maior, alter minor, fieri non potest vt ex propositionibus cõclusio nascatur, nisi per terminos progressæ propositiones, extremos terminos alicuius tertij medietate coniunxerint. id facillimo demonstratur exemplo. Sit enim quæstio, Vtrum homo substantia sit, an minimé. Sumo mihi quæstionis partem alteram comprobandam, ea est, hominem esse substantiam. In hac igitur duo sunt termini, substantia atque homo: quorum maior, substantia, homo verò, minor. quod ex eo quoque poterit ostendi, quoniam posterius substantia in prolatione profertur. vt in hoc ipso quod dicimus, homo substantia est, prius hominem, posterius substantiam nominamus. Vt igitur substantiam atque hominem iungamus, necesse est mediũ terminum reperiri, qui vtrosque copulet terminos. hic sit animal, fiátque vna propositio, omnis homo animal est. In hac igitur propositione, animal prædicatur, homo subiicitur. Rursus adiungo, Omne autem animal substantia est. In hac rursus animal supponitur, substantia prædicatur. Itaque concludo, Omnis homo substantia est: ac per hoc, homo quidem semper subiectus est: Animal verò ad hominem quidem prædicatum est: ad substantiam verò subiectum: Substantia verò ipsa semper prædicata permansit. Vnde fit, vt minor quidem sit homo, maior verò homine substantia, medius autem terminus animal. Quoniam igitur extremi termini medij interpositione copulantur, eóque modo quæstionis inter se membra conueniunt, adhibitáque probatione soluitur dubitatio: nihil est aliud argumentum, quàm medietatis inuentio. hæc enim vel coniungere, si affirmatio defendatur: vel disiungere, si negatio vindicetur, poterit extremos. Quæ cum ita sint, duarum propositionum, & tertiæ cõclusionis, Maior quidem propositio dicitur ea, quæ maiorem terminum cõtinet, id est, in qua maior quidem prædicatur, medium verò supponitur: vt omne animal substantia est: Minor verò propositio, quæ medium quidem terminum prædicat, subiicit autem minorem: vt omnis homo animal est. Sed quoniam à maioribus necesse est minora descendere: eius conclusionis, quæ ex duabus propositionibus nascitur, illa quasi propria effectrix propositio videtur esse, quæ prima est: hæc autẽ est, omnis homo substantia est. quod qui priores, posteriores{que} nostros analyticos quos ab Aristotele transtulimus, legit, minimè dubitat. Sed si quis quæ illic scripta sunt nesciens, ad hæc legenda proruperit, etiamsi rationem rerum quas nõ intelligit, minime comprehendit: ita tamen vt dictum est, esse confidat, séque id in Aristotelis analyticis vberius inuenturum esse, si legerit, arbitretur. Natura igitur rerum fert, vt vbi quid maius ac minus, etiam ibi maximum quoque aliquid ineſſe necesse sit. Quo fit vt sint quædam maximæ propositiones: quomodo minores, maioréque esse monstrauimus, quarum natura ex simplicium propositionum partitione sumenda est. Omnis enim simplex propositio, vel affirmatiua est, vel negatiua: earúmque aliæ sunt vniuersales, vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est. aliæ particulares, vt quidam homo iustus est. aliæ indefinitæ, vt homo iustus est, homo iustus non est. aliæ singulares, aliquid atque indiuiduum continentes, vt, Cato iustus est, Cato iustus non est. Harúmque omnium aliæ sunt dubitabiles, aliæ indubitatæ. Supremas igitur ac maximas propositiones vocamus, quæ & vniuersales sunt, & ita notæ atque manifestæ, vt probatione non egeant, eáque potius quæ in dubitatione sunt, probent. Nam quæ indubitata sunt, ambiguorum demonstrationis solent esse principia: qualis est, omnem numerum vel parem esse, vel imparem, & æqualia relinqui si æqualibus æqualia detrahantur: cæteræq; de quarum nota veritate

nō quæritur. Maximas igitur, id est, vniuersales ac notissimas propositiones, ex quibus syllogismorū conclusio descendit, in Top. ab Aristot. conscriptis, locos appellatos esse perspeximus. q enim maximæ sunt, id est, vniuersales propositiones, reliquas in se, velut loci corpora, cōplectuntur. quòd verò notissimæ atq; manifestæ sunt, fidem quæstionibus præstant, eóq; modo ambiguarum rerum continēt probationes. Has autem aliquoties quidē in ipsis syllogismis atq; argumentationibus inhærere cōspicimus: aliàs verò, in ipsis argumētationibus minime cōtinentur: vim tamen argumētationibus subministrant: vt si velimus ostendere, regnū esse melius, q̄ consulatum, dicemus, Regnū, cū sit bonum, diuturnius est, q̄ consulatus. Omne verò quod est diuturnius bonū, melius est eo quod parui est tēporis. regnū igitur melius est consulatu. Hic igitur maxima propositio, atque vniuersalis, & per se cognita, neq; indigens probatione, argumentationi inserta est. ea verò est, Omnia quæ diuturniora sunt bona, meliora esse his quæ sunt temporis breuitate cōstricta. Ac si velimus ostendere, non esse inuidū qui sapiens sit, dicimus, Inuidus est, qui mœret aliena felicitate: nō autem sapiens est, quē felicitas aliena contristat: non est igitur inuidus sapiēs. Hic maxima propositio argumentationi non videtur inclusa, sed extrinsecus posita, syllogismo tamen vires ministrat: hæc verò est, Quorū diuersæ sunt definitiones, diuersas esse substantias. Quisquis igitur vel Aristotelis Græca, vel nostra ab Aristot. trāslata Topica perspexerit, has illic propositiones, locos inueniet nūcupari: quæ sunt maximæ, atque vniuersales, vel per se necessariæ, vel per se probabiles ac notæ. Sed quoniā has propositiones plures, ac penè innumerabiles esse necesse est: restat adhuc, quò amplius ratio speculationis ascendat. Possumus enim diligenti tractatu cōsiderationis adhibito, omnium maximarū atq; vniuersalium propositionū differētias perpēdere, atq; innumerabilē maximarū propositionū ac per se notarum multitudinē, in paucas atq; vniuersales colligere differentias, vt & alias dicamus in definitione consistere, alias in genere, atq; alias alio modo: quod paulò pòst apertius demonstrabo. Omnes igitur maximæ propositiones quæcunq; sub definitionis, verbi gratia, ratione cadunt, vno definitionis nomine continebūtur. Et sicut illæ reliquarum propositionū loci esse dicebantur, q̄ eas intra suū ambitū continerent: ita ipsarū maximarū atque vniuersaliū propositionū, quas minorū propositionum locos esse prædiximus, illæ differentiæ, etsi nō verē, tamen quadam velut imagine, loci esse videbuntur, in quas fuerint cōuenienti ratione reductæ. Sed istæ locorū, id est, propositionū maximarū differentiæ, quas etiam ipsos locos nominamus, possunt subiectarum propositionum etiam genera nuncupari. Nā differētiæ continentes etiā genera communiter possunt videri: vt irrationale cùm à rationali, velut diuisibili differētia dissideat: tamen equi vel canis & differētia specifica est, & ad eos locū generis tenet. nanq; animal irrationabile, equi genus est. Ita etiam in maximis propositionibus. Nam q̄ aliæ sunt ex toto, aliæ ex partibus, hæ inter se cōparatæ, differentiæ diuisibiles sunt. ad ipsas verò maximas propositiones differentiarum continentiæ, velut generis loco sunt. Nam propositionis ex toto venientis genus est, id ipsum quod vocatur ex toto. Item propositionis à partibus ductæ, quanuis notæ, atq; manifestæ, genus est, quòd à partibus, & cæteræ differentiæ earū propositionum, quæ cùm sint maximæ, tamen iisdem vidētur includi, velut quædam genera sint. Quæ verò sint hæ differentiæ, paulò posterius disseram. de his igitur nunc locis tractare Tullius instituit, qui maximas propositiones, quas superius diximus, id est, per se notas atque vniuersales continent, atq; includunt. Hæ verò sunt maximarum differentiæ propositionum. De vniuersalium igitur enunciationum, per seq; notarum differentiis disserit, vt sit integrè locus argumenti sedes. Nam si argumentum omne per propositiones ad conclusionem vsque perducitur: omnes verò reliquæ propositiones in prima maximaq; propositione continentur, ipsaq; prima ac maxima propositio tum est pars argumentationis, id est, syllogismi, tum extrà posita argumentationi vires ministrat: vt vtroque modo, quoniam perficit argumentum, pars argumentationis esse videatur: non est dubium quin hæ differentiæ quæ propositiones maximas continent, eædem omnes etiam contineant argumentationes: vt maximarum propositionum differentiæ iure loci argumentorum, & quasi quædam vltimæ sedes esse videantur. Nam ex his quatuor significationibus appellationum duarum, argumentationis scilicet atque argumēti, vnamquamlibet esse necesse est. Aut enim elocutio & contextio ipsa propositionū cum maximis propositionibus, vel extra syllogismum positis, vel in eodem inclusis: argumētatio vocatur. Argumentum verò mens & sententia syllogismi. Aut elocutio ratiocinationis cū maximis propositionibus & sententia syllogismi, argumentū esse dicetur: vt idem sit argumentū quod argumentatio. Aut argumentatio quidē vocabitur, tota contextio syllogismi cum sententia: sed ar-

gumentũ maxima propositio. Aut integer ratiocinationis ordo, præter maximas propositiones, argumẽtatio dicetur: sententia verò argumẽtationis, argumentum. reliqua verò maxima propositio, locus. Sed cùm hæc ita sint: siue quis ipsarum propositionũ contextionẽ, & vsq; ad conclusionem continuum ductum, cum maxima propositione, vel extrà posita, vel propositionibus ratiocinationis inclusa, argumentationem vocare velit: argumentum verò sententiam, mentémq; ratiocinationis: nihilominus locos intelligimus maximarum propositionum differẽtias: siue quis ratiocinationis totius vim atque sententiam totam cum maxima propositione, vel intrà, vel extrà posita argumentum vocet: non est dubiũ quin totius ratiocinationis locus ille sit, qui est maximæ propositionis differentia: continet enim maximam propositionem, in qua propositiones cæterę continentur. Siue argumentationẽ quidem totã ratiocinationis contextionẽ vocari placeat: argumẽtum verò maximam propositionem: rursus rectè locus putabitur maximæ propositionis differentia, quæ argumentum claudit & continet. Quòd si argumentum quidem, sensus ipse totius ratiocinationis intelligatur: argumentatio verò integra ratiocinationis prolatio: extrà verò & ab vtrisque diuersum valens velut locus quidam consideretur: sic quoque maximarum differentiæ propositionum loci esse videbuntur. Nam cum differentia ipsa maximam propositionem contineat, eiúsque sit locus: maxima verò propositio argumentationi vel argumento vires ministret: non est dubium quin ea toti argumẽto locus esse videatur, quod totum intra se maximæ propositionis ambitũ claudit. Demonstratum igitur est quæ sint argumentorum sedes, id est, vbi argumenta claudũtur: hæ sunt autem propositionum differentiæ, quæ vocantur loci. quid etiam argumentum, quoniam rei dubiæ faciens fidem. quæ sit verò res dubia, id est pars altera quæstionis. quid sit quæstio, id est, dubitabilis propositio. quid sit simplex propositio, id est enunciatio, quæ prædicato & subiecto termino contineatur, verum falsúmve designãs. quæ omnia meminisse oportet. Maximarum enim propositionum differentiæ, quas locos esse prædiximus, ab his ducuntur terminis qui prius in propositione sunt, posterius in quæstione considerantur, prædicato scilicet atq; subiecto. Ex his etiam quæ superius dicta sunt, quid distent Topica Ciceronis atq; Aristotelis, apparuit. Aristoteles nanq; de maximis propositionibus disserit: has enim locos argumentorum esse posuit, vt nos quoque suprà retulimus. Tullius verò locos, non maximas propositiones, sed earum continentes differentias, vocat: ac de his docere contendit.

VISORIVS. Cùm omnis ratio diligens disserendi.) Cicero Dialecticen intelligit: éstq; verborum circuitu (quem περίφρασιν Græci, circunlocutionem Latini vocant) vsus. Nec enim nomen latinum habebat, quod Græco responderet, nisi disputatricem vel disputatoriam, sicut rhetoricẽ oratoriam & oratricem, transferre voluisset. Sed eiusmodi traductiones Fabius secundo libro reprehendit, quippe quæ verius epitheta, id est, apposita sint, quàm appellationes, neq; nomen rei, neq; substãtiam, sed qualitatem solùm significent. Sanè quemadmodũ literatura, censura, quæstura, dictatura dicitur: ita disputatura vel disertura dicendum foret, si certissima dicendi magistra consuetudo pateretur. Verùm Tullius nouitatem verbi non satis vsitati reformidauit, sicut in Partitionibus oratoriis rhetoricen neq; eloquutoriam, neq; elocutricem, neq; eloquuturam, sed doctrinam dicendi, sermonis ambitu vocauit, & vtrobiq; quod vno verbo non potuit, pluribus expressit. Sed hæc fortasse παρέργα. quapropter ad institutũ redeamus. Diligens disserẽdi ratio (quam dialecticen vocauimus) propriè breuiter & dilucidè sic definiri potest, Ars sermocinalis probabiliter dicẽdi rationem tradens. probabiliter enim dicere, & diligenter disserere, pro eodem accipimus. Est autem probabile, quemadmodum Aristoteles primo Topic. scribit, quod vel omnibus videtur, vel plurimis, vel sapientibus, hísque vel omnibus, vel spectatis & probatis: vt omnibus videtur Deum esse religiosè colendum, exhibendam parentibus pietatem: complurimis, vt esse parãdas opes, honores expetendos. Deinde sapiẽtibus omnibus, meliorem esse diuitiis eruditionẽ. Compluribus verò sapientibus, tametsi non omnibus, virtutem maximè esse eligendam. Denique spectatis: vt quod Plato, quod Aristoteles dixit. Vnde liquet id esse secundum Aristotelem probabile, quod neque dubitationis omnino, neque fidei prorsus est expers. Credibile & verisimile idem facimus. Est enim verisimile (sicut in Partitionibus oratoriis Cicero definit) quod plerunque ita fiat: vt adolescentiam ad libidinem procliuem esse. Credibilium tria genera Quintilianus facit: vnũ firmissimũ, quod sæpe accidit, vt liberos à parentibus amari. Alterum velut propensius, vt eum qui rectè valeat, in crastinum peruicturum. Tertium non repugnans, vt domi factum esse furtum ab eo qui domi fuit. Rodolphus autẽ Agricola probabile latius quàm Aristoteles & Cicero cepit, pro eo omni quod aptè & con-

sentaneè de re proposita dicetur. Nã de re quæ non solum à fide, sed etiam à facultate funditus abhorret, probabiliter dici (teste Rodolpho) potest. Vt Lucianus probabile fecit, homines posse in aues mutari: & apud Macrobium, fuerítne prius ouum an gallina. quorum vtrumuis sumas, incredibile videtur, de vtroque tamen credibiliter disseritur. Insuper Heraclitus idem bonum & malum esse probauit. Denique noua Academia, nihil posse sciri, verisimile reddidit. Quo fit, vt probabile vocetur, quicquid pro conditione rei propositæ quàm aptissimè ad fidem dicitur. Duas habeat partes.) Cicero dialecticen duas in partes, videlicet inuentionem & iudicium, distribuit. nec iniuria. Nullus enim diligẽter disserere potest, nisi prius de quo sit disputaturus inueniat. deinde quod inuenerit, examinet, perpendat & exploret. Nam inuentio certos locos continet, è quibus argumẽta cuiusque rei vel cõfirmandæ vel refutandæ depromas. Iudicium verò formulas argumẽtandi, id est, syllogismos, ἐπαγωγὰς, vel si mauis inductiones, item enthymemata, & paradigmata (quæ latinè dicuntur exempla) tradit. ~~Est autem inuentio~~ (sicut in Rhetoricis eam Cicero finit) ~~rerum verarum vel verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant. At iudicium prudentia quædam est, quæ nos admonet, vt argumenta contraria vitemus, profutura quæramus, cõmunia negligamus, propria studiosè paremus, stulta relinquamus, acuta venemur, quæ quid è quoquo fiat, quid cuique sit consequens, quid contrà repugnans videt, quæ quando sit aduersarius perfecta cogendus argumentatione, quando truncata fallendus, quando confidens hostis directo ductu, quando timidus obliquo sit capiendus~~, docet. A iudicio (vt sexto libro Quintilianus ait) consilium non multum distat: nisi quòd illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus & omnino nõdum repertis aut dubiis. & quòd iudicium frequentissimè certum est, consilium verò ratio est quædam alte petita, plerunque plura perpendẽs & comparans, habẽnsque in se inuentionem & iudicationem. Eandem fermè distributionem dialectices, quã nunc Cicero, Quintilianus libro quinto facit, cùm de dialecticis loquens inquit: Illi homines docti, & inter doctos verũ quærentes, minutius & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum confessúmque perducunt, vt qui sibi & inueniendi & iudicandi partes vendicent, quarum alterã τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Vtriusque princeps Aristoteles fuit.) Aristoteles octo libris Topicorũ excogitandi argumenti viam docet, quemadmodum superius admonuimus: in Analyticis verò libris formam argumentandi, hoc est certam argumenti explorandi regulam tradit. Stoici in altera elaborauerunt.) Stoici de iudicio dialectico multa literis mandauerunt, at de inuentione nihil posteritati reliquerunt. Stoici dicuntur, ~~qui à Zenone profecti sunt. iidem propterea Stoici vocantur, quòd eos Athenis Zeno sub Stoa portica philosophiam doceret~~. Hi sunt homines rigidi & seueri, fœlicitatem in sola virtute reponunt, nihil bonum esse præter honestum asseuerant. Corporis autem & fortunæ commoda vel incommoda, bona vel mala esse negant, sed præposita aut reiecta dicunt: ex quorum disciplinis Paradoxa Ciceroniana desumpta sunt. Eos Cicero tertio de Oratore genus orationis habere dicit exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, absurdum, inane & ieiunum. quos idem in Bruto mediocres in dicendo, sed in disputando doctissimos & acutissimos esse scribit. De quibus itẽ Quintilianus lib. decimo, Minus, inquit, ~~indulserunt eloquentiæ Stoici veteres~~: sed cum honesta suaserũt, cum in eligendo probãdóque quod instituerant, plurimum valuerunt, rebus acuti magis quàm oratione magnifici. Rursus duodecimo, Stoici sicut copiam nitorémque eloquentiæ præceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acutius, aut concludere subtilius contendunt.

Eam scientiam quam dialecticen appellãt.) Non video quare partem iudicandi potius quàm inueniendi, dialecticen Stoici vocent, cum nomen dialectices inuentioni conuenientius esse videatur. nam verbum διαλέγεσθαι (vnde dialectica dicta est) disserere significat. ~~Disserere verò non possumus, nisi probabile aliquid inuenerimus, quo rei controuersæ fidem facere conueniat~~. Itaque Arist. inuentionis præcepta tradens, dialectices artificium explicare dicitur. Porrò Boëtius aliud esse disserere, & aliud diligenter disserere probat, vt inuentionis sit disserere, at diligenter disserere iudicij. Atqui (vt ex etymologia dialectices constat) nihil est aliud dialectica, quàm disertura. Quare nomen Dialectices inuentionem melius quàm iudicium significat. Huic obiectioni Quintilianus satisfacit, qui libro tertio sic scribit: Eum inuenisse non puto, qui non iudicarit. nec enim quisquam dicitur contraria, stulta & communia inuenisse, sed non vitasse. Inueniendi verò artem.) Quónam pacto fieri potest, vt Stoici neglecta inuentione quicquam iudicent? cùm inuentio naturali ordine iudicium præcedat, nihílque iudicari nisi quod prius inuentum est, possit.

quid Iudicium.

Est enim iudicium (sicut antè docuimus) inuenti iam argumenti norma, quæ quod rude erat & incultum, expolit & adornat. quem tibi nodum sic soluimus. Inuentio, teste Quintiliano, nobis cum imperitis communis est, eámque natura magis quàm arte comparatam tenemus. Iudicium verò totum est artis: vnde fit, vt quod sponte naturæ nobis etiam nolentibus sese offert, reliquerint. At quod artis indiget, neque nisi magno studio, meditatione longa, diuturnóque tempore potest acquiri, declarandum sumpserunt. Quæ ad vsum potior erat.) Certissima ratione Cic. mouetur, vt inuentionem iudicio potiorem esse dicat. Nam inuentioni vis summa, robur & pondus totius argumentationis tribuitur: Iudicio verò œconomia, contextus, series & elocutio debetur. Atqui sententia quantumuis indistincta & indigesta, inani, ieiuna, nec pondus habente dispositione melior est, ad vsum præcipuè oratorum. Non enim oratores iudicij partem curiosius obseruant, neque has argumentandi leges, quas iudicium dialecticum continet, scrupulosius sequuntur. Cum enim iudicij sit in ratiocinatione primùm proponere, tum assumere, postremo cõcludere: item in inductione partes toto, formas genere priores dicere: præterea in exemplo similitudinem rei prius introducere, postea rem cuius similitudo est imago, colligere: denique in enthymemate partem antecedẽtem præponere, tum consequentem collectionẽ conficere: eam certè legem oratores nec solicitè nec anxiè nec superstitiosè curant: esset enim frigidæ prorsus & friuolæ cuiusdam nescio an curæ dicam, an cauillationis, certè infantiæ & fastidij. infantiæ quidem, quia nihil potest aut minus disertum, aut magis puerile videri, quàm omnia velut puerum à magistro dictata ad vnam formam certam dicere. Fastidij quoque, quòd necesse est eos sequi qui nulla orationis varietate tædium leuant. Quapropter orator, cuius argumentatio rarò ad fidem directò tendit, ad motum verò frequentissimè sese inflectit, huiusmodi iudicij præcepta odiosa, quæ fastidium pariunt, refugit. Ordine naturæ certè prior.) Cicero cum Quintiliano pugnare videtur. Nam Quintilianus inuentionem sine iudicio nullam facit, neque illam sine hoc esse posse, libro tertio confirmat. At Cicero inuentionem iudicio priorem vult esse. potest igitur quis inuenisse, vt non iudicarit. Verùm hic scrupulus sic adimi potest. Alterum altero quadrupliciter prius esse dicitur, natura, tempore, ordine, & dignitate. Natura prius est, à quo consequentia non reuertitur, cuiusmodi sunt ἀναγκάλεθα, inter quæ mutua vel reciproca cõsecutio non est, sed vna tantũ ex parte valet. Id autem à quo nõ valet, prius natura dicimus. hoc modo specie prius est genus: vt platanus est, igitur arbor est, non autem contrà. nam potest arbor esse, vt non sit platanus: quare arbor natura prior est, q̃ platanus. Tempore prius dicitur, quod antiquius & vetustius, quodq; gradu tẽporis alterum præcedit: vt dies hesternus hodierno, hodiernus crastino, crastinus perendino die prior est secundum tẽpus. Porrò ordine prius est, quod situ & positione præcedit, vt si ab Atlantico Oceano per fretum Caditanum ad Nilum nauiges, tibi Mauritania prior est quàm Numidia: rursus hæc prior quàm Africa minor. Insuper Africa minor prior est quàm Cyrenaica regio: tum sequitur Aegyptus, in qua Nilus est. Denique dignitate prius illud est, quod præstantius: vt dictator magistro equitum prior est, prætor quæstore, legato cõsul, legatus tribuno, tribunus centurione, cẽturio decano, decanus gregario milite. His igitur expositis, videamus quoto modo inuentio iudicio sit prior. Cic. natura priorem facit. verùm id expositioni Aristotelicæ non conuenit. Nam secundum naturam, authore Aristotele, prius dicitur, à quo consecutio non reuertitur, vt pote quod esse possit sine eo quo prius est. At, vt dictum est, inuentio nõ est sine iudicio. Quare secundum naturam inuentio prior esse non videtur. Cæterũ huic obiectioni respõderi potest, alios esse modos natura priores: vt causa efficiens q̃ effectus natura prior est, tametsi illa sine hoc esse nequeat: sic, tametsi inuẽtio sine iudicio non sit tẽpore, natura tamẽ prior est. Quoniam in vtraq; summa vtilitas est.) Vtraq; pars dialectices plurimùm vtilitatis habet. Inuentio quidem, quæ locos inueniendorũ argumentorũ suggerit: iudicium verò, quoniam disponendis rebus & ordine collocãdis, perspicuitatem gignit, & res ipsas oculis subiicit. Neque id modò præstat, verumetiã vt laqueos aduersarij vites, ictúsque ab illo intentatos eludas, & eundem in tua retia coniicias, implices, inuoluas, vnde se eximere vel exoluere nequeat. Sanè Crassus apud Ciceronem libro primo de Orat. fructum quem ex dialectica consequimur ostendens, inquit, dialecticen formandis artibus apprime vtilem esse, neque fieri posse vt cæteras disciplinas sine ope & adiumento dialectices adipiscamur. Porrò Cicero in libris de claris Oratoribus de vtilitate dialectices loquens, ait eam artem docere rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, dein distinguere, postre-

mò habere regulam qua vera & falsa iudicarẽtur, & quæ quibus propositis essent, quæq; nõ essent consequentia. Idem statim pòst eodem in tempore, dialecticen artium omnium maximam vocat, quasi lucem ad ea quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Aristoteles in Topicis eam tribus vtilem putauit, exercitationi disserendi, confutando aduersario, & probandis aliarum artium principiis. Vtranque persequi cogitamus.) De inuentione & iudicio sese scripturum hoc libello pollicetur, qui tametsi de inuentione toto fermè opusculo loquatur, de iudicio tamen nõnulla præcepta inserit, cùm alibi sæpiuscule, tum verò vbi de antecedentibus, consequentibus, repugnantibus, & concludendi modis loquitur. Si fuerit otium.) Cum hæc scriberet, vt diximus, nauigabat Athenas, tyrannidem Antonij consulis, sui capitalis inimici fugiens: illic toto Antonij consulatu futurus, & tum demum Romam rediturus, cùm Pansa & Hirtius consulatum iniissent.

Ab ea quæ prior est ordiemur.) id est, ab inuentione nos incipiemus, quæ iudicio prior est. Nam prius est, vt materiam argumentandi inuenias, deinde inuentam formes, expolias & ornes. Inuentio materia est: iudiciũ verò, forma. illa vrsino partui similis est, hæc verò vrsæ comparatur. Nam quemadmodum partus vrsinus informis est, & animalis effigie prorsus caret, eum tamen vrsa pariens lambendo format: ita inuentum argumẽtum, primò formæ est expers. at vbi iudicium illi accessit, absoluitur, eíque suprema manus imponitur. Vt igitur.) Venator qui dubius errat & incertus vagatur, nescius quibus in latibulis feræ delitescant, rarò prædam domum refert: is cõtrà qui ferarum domicilia cognoscit, ferè semper onustus præda discedit: ita quisquis argumenta cupit inuenire, certos quosdam præscriptósque locos cognoscat oportet, è quibus velut è latebris argumenta ducantur. Sic enim appellatæ.) Aristoteles in Topicis locos sedes, id est promptuaria quædam & velut reconditoria vocat, in quibus argumenta latent, & vnde ad rem quanque confirmandam vel infirmandam eruuntur. Itaque licet definire locum.) Loci duplex est apud rhetores & dialecticos significatio. Prior, qua locos communes intelligimus, qui in digressionibus & amplificationibus persæpe versantur, vt luxuria, & adulterium, & similia. eiusmodi locos communes, Rodolphus maiores ratiocinationum propositiones appellat. Posterior, de qua nũc agitur. Itaque quemadmodum in sanctiore quodam ærario pecuniæ publicæ reconduntur, vt cùm iis opus fuerit, inde petantur: sic in locis argumẽta sita sunt, è quibus cum quid astruere vel infringere volumus, ea depromimus. Locum Rodolphus significantissimè describit, vt sit communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile sit inueniri potest. Vt enim ferreæ vel lapideæ manus, quas crucibus in biuiis affixas videmus, indicant viatori qua vertendum sit iter: ita loci eum qui inuenire cupit argumenta, veluti manu apprehensum ducunt eò quò tendit. Argumentum autem.) Argumentũ plura significat. nam omnis ad scribendũ destinata materia sic vocatur. Aliter argumẽtum est ratio, per ea quæ certa sunt, fidẽ dubiis adferens: de eo nunc loquimur. Id autem Quintil. sic finit: Argumentũ est ratio probationem præstãs, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubiũ per id quod dubiũ non est confirmat. Vnde fit, vt quicquid alterius probationi adhibetur, argumentũ vocari debeat. Quare tametsi Quintil. argumẽtum speciem probationis artificialis esse dicit, ita tamen ab eo describitur, vt probationẽ significare videatur. Siquidem cũ Tullius argumẽti nomine probationẽ omnem intelligat, cũ eius expositione Quintiliani respondet expositio: sic vt recurrat & obãbulet. Nihil enim differunt, ratio per ea quæ certa sunt fidem dubiis adferens, & ratio rei dubiæ fidem faciens: quia quicquid fidem facit, idipsum certum esse oportet. dubiis enim dubia quî confirmari possunt? Quædã tamen in alterius probationẽ rei sumuntur, quæ probanda sunt: sed argumẽti nomen non retinent, quæstiones vocantur. Ita enim vt cœperint certæ, incertorũ argumenta fiant. nulla enim firmiora sunt iis quæ ex dubiis certa facta sunt. Itaque quẽadmodũ tenebræ oculos nunquã admittent, nisi illato alicunde lumine: sic omnis res dubia certitudinẽ suam ex aliis probationibus & magis exploratis colligit. Argumentum autem triplex est, necessariũ, vt apodixis, probabile, vt epicherema, fallax, vt sophisma. de probabili tantum fit sermo.

Rationem.) Exponas rei probabilis excogitationem. Nam quod in Partitionibus probabile inuentum Cice. vocat, id nunc rationem appellat. Quæ rei dubiæ faciat fidem.) In rebus enim apertis argumentari tam ridiculum est, quam stultum est in clarissimum solem mortale lumen inferre. Dicit tamen Quintilianus, Græcos indubitata colligere, & probare confessa. Verùm eos arguit. Præterea non est dubium aliquando certa probari, sed non vt certa sunt. Nam tametsi ex sua natura nihil dubij contineant, ita tamen de iis nunc agitur, ac si dubia sint: vt si deos esse Lu-

ciano vel Plinio, aut cuiuis alij ἀθεῷ qui deos esse neget, probes, iam quæ certa sunt probas. Quid enim certius est quàm deos esse? non tamen vt certa confirmas, sed quia tibi negata sunt. quo modo Cic. lib. 1. de Diuinatione, diuinationem esse probauit, quam certò esse scimus. probat tamen ita, ac si eam esse dubium esset, cum scribit: Si sunt dij, neque antè declarant hominibus quæ futura sunt, aut non diligunt homines, aut quid euenturum sit ignorant, aut existimant nihil interesse hominum scire quid sit futurum, aut non censent esse suæ maiestatis præsignificare hominibus quæ sunt futura, aut ea ne ipsi quidem dij significare possunt. At neque non diligunt nos: sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea quæ ab ipsis constituta & designata sunt: neque nostra nihil interest scire ea quæ euentura sunt, erimus enim cautiores si sciamus: neque hoc alienum ducunt à maiestate sua, nihil enim est beneficentia præstantius: neque nō possunt futura prænoscere: non igitur sunt dij, nec significant futura: sunt autem dij, significant ergo. & si non significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam: frustra enim significarent. nec si dent vias, non est diuinatio: est igitur diuinatio.

LATOMVS. Cum omnis ratio diligens differendi.) Differendi rationem Logicen appellat Aristoteles, eámque pluribus libris explicat, quibus inueniendi & iudicandi præcepta continentur. Differere enim, disputare est, & rem dubiam argumentis probare. Argumentū autem & inueniendum est, & iudicandum. Inuentio locis constat, qui hoc libro traduntur. Iudicandi ratio præceptis syllogismorum continetur: ex quibus intelligitur quomodo exponendum sit argumentū, & accommodandum proposito, vt id quod intenditur, argumentatione ritè efficiatur. Demonstrato & notato loco.) Sunt enim loci vt sedes, ita notæ quædam ac signa argumentorū, sicut ipse tradit in lib. de Oratore: quod & Rodolphus Agricola secutus est, qui locum definit esse notam, cuius admonitu, quid in re quaque probabile sit, facillimè inueniatur. Locum esse argumenti sedem.) Sedem dicit per similitudinem, quasi domicilium, & quoddam habitaculum argumenti, vbi quærendum sit differenti, & vnde tanquam è latebra eruendum. Illud autem ignorandum non est, argumenta & inueniri ex locis, & ex eisdem vim probandi ducere. Itaque fit, vt quæ locorum natura ac proprietas est, eadem sit & argumentorum: quam qui significare volunt, non solùm enumerant locos, sed & maximas eorum proferunt. Sic enim appellant certas quasdā & perpetuas sententias, quibus vis ac potestas vniuscuiusq; loci cōprehēditur. Hæ sunt huiusmodi: Definitio ab eo quod definiatur, nunq̄ separatur, neq; partes à toto, neq; nota ab eo quod significatur. Genus à specie separari potest, species à genere nō potest. Causa necessaria cum effectu semper cohæret: nō necessaria nō semp cohæret. Differentia, cōtraria, & repugnātia nō possunt in idem cōuenire. Adiuncta cohærēt cum eo cui adiunguntur, sed non necessariò: antecedentia autem & consequentia necessariò cohærent. Parium & similium eadem est ratio. In maiori quod non valet, nec in minori: & quod valet in minori, etiam in maiori valebit. Quas sententias Aristoteles diligenter persecutus est in Topicis, & pro locis ipsis posuit: quoniam non re ab illis, sed sola præcipiendi ratione distinguuntur.

Argumentum autem, rationem.) Ratio est causa cognoscendi, hoc est, id per quod aliud cognoscitur. Itaque argumentum adhibetur rei dubiæ, id est, quæstioni probandæ, vt de ea faciat fidem. Exponitur autem in probando certis sententiis, quæ vel necessariò vel propensius creduntur. quæ si ritè & lege argumentationis expositæ fuerint, fit necessaria conclusio: sin minus, dissoluitur quod confectum fuit. Atque in hoc est structura argumentationis, & iudicandæ eius ratio, cùm in locis sit inuentio argumenti.

HEGENDORPH. Cùm omnis ratio.) Est finitio dialectices, quæ nihil aliud est, quàm ratio & modus diligenter & compositè differendi de re quacunq; proposita. Nam per dialecticam hoc consequimur, vt de themate aliquo oblato, pro eo ac decet differere possimus, διαλεκτικὴν Græci vocant. Fabius lib. 12. dialecticam, artem disputatricem vocat. Vnam inueniendi.) Fabius lib. 5. illam partem dialectices inueniendi, τὸν τοπικὸν appellat, hoc est, dialecticam localem, vt quæ locos argumentorum, quibus apertè de themate quouis dici possit, commonstrat. Est verò thema id quod tractandum proponitur: & est aut simplex, id est, vna vox, vt fides, spes, charitas: aut compositum, id est oratio integra, vt, Cognitio Topicorum iuris studioso est necessaria. Alteram iudicandi.) Fabius τὸν κριτικὸν vocat, cuius officium est iudicare sitne res, species, genus, differentia, proprium, accidens, substantia, qualitas, quantitas, relatio: & hoc quidem, si est vox simplex: sin vox est composita, eius officium est iudicare sitne vera, falsa, affirmans, negans, vniuersa-

lis, particularis, necessaria, contingens, impossibilis. Vtriusque princeps Aristoteles.) *Nam dialecticam inueniendi libris octo complexus est, & in lib. Posteriorum secundo eam leuiter attingit, dum commemorat quatuor quæstionum genera, An sit, quid sit, propter quid, quale sit: præterea in libris Priorum, in quibus docet inuentionem medij ad probandum necessarij, vt Cúrnam alterum alteri insit, vel non insit necessariò, contingenter. Porrò partem indicatiuam tradit in Categoriis, in libris Peri hermenias, & in aliis libris. Ordine naturæ.*) *Nã natura nobis præscribit vt prius inueniamus, quàm iudicemus. Argumentũ autẽ.*) *Dicit argumentũ debere esse rationẽ, id est, id ppter quod aliquid sit verũ vel falsum: quod rei dubiæ, id est, de qua dubiũ est, sítne vero consentanea, necne, faciat fidẽ, id est probabilẽ, verisimilẽ rẽ, vt is qui audiat, credat. Exẽpla: si dubitatur, An inter Piladẽ & Orestẽ sit amicitia, huic dubio argumẽto fit fides: argumentũ verò cernitur ex voce, Amicitia. Quid est amicitia? est voluntatũ, studiorũ, sententiarũ summa consensio: sed inter Piladẽ & Orestẽ est talis consensio: ergo inter Piladem & Orestem est amicitia. Vbi iuuentutem nosse oportet ratiocinandi formulas ex prima, secunda, tertia, figuris syllogisticis. Item si dubitatur, An Cæsar, quanuis tyrannus, interficiendus fuerit, argumentis palàm fiet, & quidem illis. Magistratus omnis est à Deo constitutus: nefas est, quod Deus constituit, humana temeritate pessundare: ergo etiam nefas fuit Cæsarem magistratum à Deo constitutum, quanuis tyrannum, occidere. Præterea, præstat tyrannum habere magistratum, quàm* ἀναρχον, *id est, sine magistratu esse populum: sed occiso Cæsare* ἀναρχία *secuta est, cùm ille vnus & exercitum teneret, & Remp. constitueret.*

COVEANVS. Cùm omnis ratio diligens disserendi.) *Logicam dicit. Sic enim in principio libri de Fato, Obscura quæstio est, quam* περὶ δυνατῶν *philosophi appellant: totaq; est logicæ, quam rationem disserendi voco. Alteram iudicandi.*) *Quæ ferè posita est in regulis concludendæ argumentationis: aptum enim ineptúmve sit argumentum, intelligi nulla alia ex re potest. Iudicandi enim vias.*) *Stoici innumerabiles conclusionum modos excogitauerunt: quam scientiam, Dialecticam appellabant: vnde Dialectici ipsi nominantur: neq; præter eos, à Cicerone vlli alij philosophi. Dissimulandum autem non est, quàm variè apud philosophos sumatur dialectica, Aristoteles eam logicæ partem, quæ circa probabilia versatur, Dialecticam vocat: Stoici iudicandi artem: Plato principem ipsam Philosophiam, interdum Dialecticam appellat. Totã reliquerũt.*) *Quòd artis penè nihil esse in inueniendo statuerẽt, quia id omnes facerent, totam eam facultatem naturæ esse, naturæq; relinquendam Stoici censebant. Sic enim appellatæ ab Aristotele.*) *Aristoteles 1. artis Rheto. quid ipse locum vocet, his verbis scribit,* Καθάπερ ὅν καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς, καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον τὴν ἐνθυμημάτων τάττειδη, ἐκ ὧν τόποις ἐξ ὧν λεκτέον. λέγω δὲ εἴδη μὲν τὰς καθεκαστον γένος τὰς ἰδίας προτάσεις. τόπος δὲ ὧν κοινὸς ὁμοίως ἁπάντων. *Ac rursum lib. 2.* Στοιχεῖον δὲ λέγω καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό. *Rei dubiæ.*) *Aut tanquam dubiæ.*

COMMENTARIVS. Cùm omnis.) *Methodus ea optima est, vt, si res ea quam tractas vel partes habet vel species, statim diuisione vtaris vel partitione, vt intelligatur qua de re velis agere. Sic Cicero logicen diuisit in inuentionẽ & iudicium, ac de inuẽtione se dicturũ pollicetur. Logicen autẽ initio libri de Fato, Cic. rationẽ disserendi interpretatur. Nec dialectice intelligi debet, quæ pars est logices, in probabilibus posita. Vnam inueniẽdi.*) *Inuentio dialectica est, quæ propositis quibusdam locis certa via & methodo docet rationem argumenti eruendi. Iudicium autem dialecticum est, quod proponit certas formulas argumentationum, in quas argumenta dirigere debemus, vt proposito conueniant. Vtriusque princeps.*) *Pars enim iudicandi ante Aristotelem, quanquam tractabatur, confusa tamen adhuc erat, neq; satis absoluta, vt sæpenumero Aristoteles Platonis & reliquorum philosophorum demonstrationes vt obscuras notat, neque à propriis ductas principiis. Primus autem idem Aristoteles locos reperit, & inueniendi rationem, totámq; logicam optima methodo est complexus. quod in fine Elenchorum de se testatum reliquit. Iudicãdi enim vias.*) *Stoici (vt scribit Aphrodiseus) dialecticen finierunt, bene dicendi scientiam: bene dicere autem interpretabantur, vera & proposito conuenientia dicere. sed illi tamen syllogismorum & argumentationum duntaxat formas complectebantur, eámq; scientiam dialecticam appellabant. Aristoteles contrà non eam, dialecticam appellabat, sed eam logices partem, quæ rationem docet argumenti inueniendi & probabiliter disserendi. Itaq; Stoici sæpenumero dialectici nominantur, vt in 4. Tuscul. in Orat. ad Brutum. Eam scientiam.*) *In altero codice veteri sic legitur, ea scientia quã dialecticen appellant. In altero, eámq; dialecticẽ appellant. sed prior lectio germana est & ve-*

ra. *Quam dialecticen.*) *Vide quid de hac re scribat Cic. lib. 2. de Orat. cùm agit de Diogene Stoico.* *Inueniendi.*) *Vituperat Stoicos, qui existimantes nullam esse artem posse argumenta inueniendi, eam omiserunt partem, quæ & vtilis erat & prior. ea autem inueniendi pars dicitur Topice, vt suppeditat locos ad argumẽtum eruendum: dialectice verò, vt docet probabiliter differre. Res igitur est eadem, sed diuersa appellationis causa.* *Nos autem.*) *Vtranq; partem esse vtilem probat, priorem tamen topicen, & vtiliorem, propterea ex comparatione colligit ab ea incipiendũ. Sedenim ex hoc loco intelligimus Ciceronem morte præuentum de iudicio non tractasse: quæ res cũ sit difficilis apud Aristotelem, declarationem flagitabat: ac ne eam quidem partem satis Aristoteles explicauit. Nam Galenus de demonstratione longè absolutius Aristotele est persequutus.* *Vt igitur.*) *Hac similitudine explicat cur loci sint inuẽti: nimirum vt facilius inueniamus. Explicat etiam vnde deducta sit loci dialectici appellatio, quæ metaphorica est.* *Locos.*) *Locus est Aristoteli axiôma, indubitabilis propositio, & nullo modo controuersa, quæ rem aliã solet astruere. ea dicitur Maxima vulgo. Huiusmodi axiomata cùm numero sint infinita, similitudinem tamen inter se & differentiam habent, ex qua potest vniuersitas colligi, quam appellat Cicero locum, cuiusmodi est comparatio, definitio, partitio.* *Itaq; licet definire.*) *Quemadmodũ loci appellatio est metaphorica, ita quoq; hæc definitio. sedenim Aristoteles non solùm appellat locum, sed etiam elementum. Theophrastus autem (authore Aphrodiseo) sic locum finit, elementum esse quo sumimus quod circa vnumquodq; est probabile, definitè animum adiicientes circunscriptioni.*

Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alij in eo ipso de quo agitur hærent, alij assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex iis rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Extrinsecus autem ea ducuntur, quæ absunt, longéque disiuncta sunt.

BOETIVS. *Post definitionem loci, atq; argumenti, facit plenissimam diuisionem locorum.* *Ac primùm, quoniam omnis diuisio cuncta debet amplecti, nec superfluum quicquam interponere, nec omittere quod sit necessarium: id M. Tullius proposita diuisione perfecit, dicens,* *Ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso, de quo agitur, hærere, alios extrinsecus assumi.* *nihil enim huic diuisioni posse videtur addi, vel minui: quoniam quidem breuiter cuncta complectitur.* *Argumentorum enim loci quicunq; sumuntur, aut in ipso de quo agitur, hærent, aut minimè. Id autem minimè extrinsecus positos esse designat.* *Quòd si inter id quod dicimus, in ipso de quo agitur hærere argumentorum locos, & nõ hærere, nihil est medium: (inter affirmationem enim atq; negationem nulla est medietas) cúmq; in ipso de quo agitur non hærere locum argumenti, id sit extrinsecus assumi, dubium non est quin nihil intersit medium inter ea argumenta, quorũ in ipso hærent loci de quo agitur, & ea quorum extrinsecus assumuntur. Sed quid ipsum sit de quo agitur, facilior explanatio est, si eorum quæ prius dicta sunt, meminerimus.* *Nam cùm de quæstione loquemur, eãdem diximus esse quæstionem quæ esset dubitabilis propositio. Sed quoniam propositio subiecto prædicatóque constaret: quæstionem quoque diximus subiecto prædicatoq; coniungi.* *Prædicatum igitur vel subiectum, hoc est ipsum de quo agitur. Nam cùm de alterutra quæstionis parte dubitetur, id in hac ambiguitate quæritur, vtrum prædicatus terminus inesse subiecto videatur, an minimè. Nam cùm omnis quæstio in affirmationem negationémque diuidatur: si prædicatus subiecto ineſt, sit ex eo vera affirmatio. si non ineſt, fit vera negatio. Sed in quæstionibus disceptandis, alter affirmationem, alter negationem tuetur: id est, alter prædicatum inesse subiecto, alter non inesse defendit.* *Quod verò ex alterutra parte defenditur: hoc est ipsum de quo agitur. Ipsum igitur, est prædicatus terminus, vel subiectus, de quibus agitur. atq; id exẽplo clarius fiat. Sit quæstio,* *An Verres furtũ fecerit. Hic Verres, subiectum est: furtum facere, prædicatum. quòd si furtum Verri coniungitur, ídque argumentationibus comprobatur, quæstionis affirmatio demonstrata est. Si furtum à*

Verre seiungitur, quæstionis rursus negatio comprobatur. Ipsum itaque de quo agitur, nihil est, nisi vterlibet eorum terminus qui in quæstione proponitur, siue prædicatus siue etiã subiectus. Qui quidem termini per se argumenta esse non possunt: neque verò per se argumenta præstare. si enim ipsi, vt sunt, argumenta esse possent, vel argumẽtorum præstare materiam: nullam in quæstione linquerent dubitationem. Sed quoniam de ipsis adhuc in quæstione dubitatur, an eorũ possit esse rata coniunctio: ipsi quidem neque per se argumenta esse, nec per se argumenta præstare poterunt: ea verò quæ in ipsis insunt, vel extrinsecus posita sunt, argumentorum copiam subministrant. Nam quod Victorinus quærit, & latius explicat, ne commemoratione quidem mihi dignum videtur. Quærit enim, quæstio ipsa, de qua agitur, an habeat locum. quod minimè oportuit. vt enim dictũ est, Locus de quo nunc agimus, non cuiuslibet rei locus est, sed argumenti. argumentum verò, ratio rei dubiæ faciens fidem. res verò dubia, pars quæstionis. quòd si argumentum quæstio, vel pars quæstionis esse non potest, locus verò de quo agimus, argumenti est locus: non est dubium quin locus quæstionis esse non possit. amplius, omnis quæstio dubitabilis est: argumentum verò omne quæstionis purgat ambiguum. Non est igitur idem argumentum quod quæstio. sed loci, argumentorum sunt loci. non sunt igitur quæstionis. Hoc igitur præmisso, intelligamus ipsum de quo agitur, quẽlibet terminũ in quæstione propositum, siue prædicatiũ, siue subiectum: qui cùm per se res sint, ipsi quidem argumentũ esse non possunt. habere autem in se quædam possunt, in quibus argumenta sint collocata, & qui sedes argumentorum esse intelligãtur. Quæ quidem cùm terminis his de quibus agitur, inhærere videantur: nondum tamen sunt argumẽta, sed quasi iam argumenta complectentes loci, & velut naturali sede condentes. Idem de his locis qui extrinsecus assumũtur, dicendum est. ipsi nanq; positi sunt exterius, & quodammodo à propositionis terminis ablegati: & res quædam sunt, sed intra se argumentorum copiam claudunt. atqui (vt breui sententia colligam) ipsum de quo agitur, nihil est aliud nisi quilibet in quæstione terminus collocatus. Hi argumenta esse non possunt: neque ab his trahi aliquod argumentũ. Quo fit vt termini ipsi qui in quæstione sunt positi, nec argumenta, nec loci sint, sed tantum res. Rursus ea quæ in his hærent, de quibus agitur, ipsa quidem res esse manifestum est, sed claudunt in se argumentorum copiam: vt cum ex his sumi aliquod oporteat argumentum, locorum vice fungantur. Itaque siquis per se ea speculetur, res sunt. siquis ab his aliquod argumentum quærat adducere, loci fiunt. Et communiter quidem de principalibus ac maximis locis hæc dicta sunt. Hi verò sunt qui in ipsis de quibus agitur hærent, vel qui assumuntur extrinsecus. Vt igitur faciat plenam locorum diuisionem, quos simpliciter ac maximos posuit locos, eosdem velut in quasdam species resecat, dicens, In ipso, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Locorum, qui in ipso sunt de quo agitur constituti, quatuor partium facta diuisio est. hi quippe qui in ipso de quo agitur hærent, vel ex toto eo de quo agitur termino, vel partium eius enumeratione, vel ex nota, vel ex affectis intelligũtur existere. id ita esse, breui ratione firmabitur. Necesse est enim quemlibet eorum terminorũ qui in quæstione sunt collocati, & definitiones habere proprias, & partes, & nomina, & ad res alias quadam relatione coniungi ac referri. Ergo ex toto locus qui dicitur is est, quoties argumentum ex alicuius definitione termini qui est in quæstione, tractatur, siue subiecti, siue prædicati. Ex partiũ verò enumeratione, quoties ab eius termini partibus qui in quæstione positus est, ducitur argumẽtum. A nota verò, quoties ab eiusdem termini vocabulo nascitur argumentum. Ab affectis verò, quoties ab his quæ ad propositum terminum relatione aliqua reducuntur, argumentatio proficiscitur. Quorum similitudines omnium posterius explicabo, quando ea quæ super his rebus declarandis Cicero posuit exempla tractauero. Nunc illud est consyderandam: ait enim Tullius, Ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso de quo agitur, hærere, alios extrinsecus assumi. quod ita dictum videtur, tanquam si diuersi sint loci, qui in his de quibus agitur, hærent, & ipsum illud de quo agitur. Nihil enim in seipso hærere poterat: ac per hoc quòd in aliquo hæret, ab eo in quo hæret diuersum est. Quòd si loci sunt aliqui, qui in his hæreant de quibus agitur: non est dubium quin hi loci ab his de quibus agitur, sint diuersi. Rursus cum dicit, In ipso, tum ex toto, tũ ex partibus eius, tanquam non de diuersis loquatur, ita ait, In ipso locos esse, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex nota. Quasi verò aliud sit ipsum quàm totum: aut aliud ipsum, quàm omnes vndique eius partes. Vnaquæque enim res, idem est quod totum. Idem nanque est Roma, quod tota ciuitas. Rursus idem est vnaquæque res, quod eius singulæ partes in vnum reductæ. velut

idẽ est homo, quod caput, thorax, vẽter, ac pedes, cæteraq; in vnũ partes cõiũctæ, atq; copulatæ. Quomodo igitur tanq̃ de diuersis primũ locutus est, cũ locos hærere in his terminis de quibus agitur, dixit: pòst autẽ velut de eisdem loquitur, cũ ipsos locos tum ex toto, tũ ex partibus esse proponat? Nihil enim differt dicere, in ipso, tum ex toto, tũ ex partibus: q̃ si ita dixisset, in ipso, tum ex ipso. Nam si idem est ipsum quod totũ ac partes: idẽ est dicere, In ipso hærere locũ ex toto, aut ex partib⁹, quod, in ipso hærere locũ qui est ex ipso. quod ne intelligi quidẽ potest quẽadmodũ in ipso hærere possit q̃d ipsum est, cum nihil sibi hæreat, vt superius expediui. Sed quemadmodum paulò antè exposui, vnaquæque res cum & definitionem habeat & partes: si pernoscamus quæ sit definitionis vis, & quæ partium: cunctus ambiguitatis nodus absoluitur. Est enim definitio, coactæ in se, atque complicatæ rei explicatio. velut cum dicimus, hominẽ esse animal rationale mortale. Nã quod nomen breuiter atque angustè designabat, id explicauit ac protulit, & per substantiales quodammodo partes definitio patefecit. Alium igitur necesse est esse intellectum rei, quæ complicata est, in eo quòd sibimet coacta atque in vnum redacta est: alium eiusdem rei explicatæ atque dissertæ in eo quòd expedita atque diffusa est. Nam etsi idem definitio quod nomen significat: illud tamen ipsum quod nomen anguste confuseque designat, aptius definitio disserit, ac patefacit. Rectè igitur aliud quiddam est ipsum, aliud eius definitio: etiam si vnum idémque est vtriusque subiectum. Vt enim dictum est, ipsum, singulum est: definitio, ipsius singuli per partes distributio, atque enumeratio. Partes autem nunc substantiales dico: non quæ magnitudinem iungant, sed quæ proprietatem rationémque substantiæ. Sed quod in definitione dictum est, secundum partes quæ substantiam iungunt: id in partibus intelligendum est, quæ magnitudinem copulant: velut domus quæ fundamento, parietibus, tectóque cõiungitur. Nam cùm ea nihil sit aliud nisi quod partibus copulatur, ipsa tamen vna quædam est, atque cõiuncta. partitio verò, eius per quædam mẽbra distributio est. atque ideo licet vnum sit quod ipsum est, & quod sunt partes vndique confluentes, non tamen eundem necesse est habere intellectum, cum ipsum integrum consideratur, & cum in partes ipsas, quibus iunctum est, distribuitur. Ex nota verò locus apertissime ab eo termino diuersus est qui in quæstione est constitutus. Quis enim dicat, id esse cuiuslibet rei vocabulum, quod res ipsa est quam designat? Ea verò quæ ad id de quo agitur affecta sunt, etsi extrà posita videtur, terminum tamen in quæstione propositionum situm, velut è regione respiciunt, quæ in multas secari necesse est partes. Omnis enim res id quod est, vnum est: multa verò sibimet retinet adiuncta, quæ hoc ab his quæ omnino extrinsecus sunt, differre intelliguntur, quòd ea quæ affecta sunt, in relatione sunt posita: vt pòst & ipsarum propositio, & exemplorum ratio monstrabit. Ea verò quæ sunt extrinsecus, in nulla relatione sunt cõstituta: atq; ideo hæc extrinsecus solum. Illa verò, affecta sunt nũcupata: habet enim aliquã quodãmodo cognationem ad id, ad quod reducitur id quod refertur ad aliquid. Sed omnes ferè hos locos, quos nunc simplices atq; indiuisos ponit, posteriore tractatu diuidit: vt nunc quoque eos locos qui in ipso sunt, distribuit, cum alios ex toto fieri proponit, alios ex partibus, alios ex nota, alios ex affectis: affectáque ipsa suis partibus secat. extrinsecus verò, locum in testimonio positum esse confirmat: testimonij verò vim in authoritate constituit. authoritatem verò diducit in proprias partes. Sed hæc in posteriore tractatu. Nunc verò eos simplices atque indiuisos locos proponit, & veluti simplicibus subdit exempla. Restat autem nunc, quod videtur esse quærẽdum, an hi loci qui in locos alios diuiduntur, eorum quos intra se continent locorum loci esse possint: vt eorum qui sunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis, is vnus quidem quasi locus sit, qui est in ipso. Nihil quidem prorsus officeret, locorum locos putare. fieri enim potest, vt locus amplior intra semet angustiores contineat locos: velut in prouincia ciuitates. Sed nunc similitudo non conuenit. Locus enim est, ex quo ducitur, id est, in quo argumentum est positum: quòd si loci locus esse posset, & is qui est in ipso de quo agitur, eos qui sunt ex toto, vel ex partibus, vel ex nota, vel ex affectis, velut quidam locus includeret: non essent ex toto, ex partibus, ex affectis loci, sed argumenta: quoniam in eo hærerent loco, qui in ipso de quo agitur, termino, esse prædictus est. Non igitur locus esse poterit loci: sed velut genera quædam in species, ita nunc fit diuisio locorum. nec hoc superius dictis videatur esse contrarium, cum & maximas propositiones, & earum differentias continentes, cõmuni nomine appellauimus locos: nã maximæ propositiones, licet eo ipso quòd maximæ sint, includant cæteras, & vocentur loci: tamen quia sunt notissimæ, possunt rebus dubiis esse argumento. Iure igitur earum differentiæ, loci nominantur, quod in locorum speciebus aliter sese habet, quæ prorsus argumenta esse non possunt. Nam in ipso

locus veluti in ſpecies quaſdam diuiditur in eos qui ſunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Vnuſquiſque enim horum locorum primi loci integrum videtur ferre vocabulum. Nam vt hominem animal dicimus, itémque equum atque bouem animalia nuncupamus: ſic is locus qui ex toto eſt, in ipſo eſſe dicitur: itémque qui ex partibus, ac nota, atque ex affectis, in ipſo ſunt. Sed ex his argumenta quidem duci poſſibile eſt: ipſa verò argumenta vt ſint, fieri nequit.

VISORIVS. Sed ex his locis.) Antè locum definiuit, nunc diuidit. Itaque locorum alij in eo de quo agitur hærent: alij aſſumuntur extrinſecus in ea re de qua quæritur. Illi hærẽt, quos is qui dicit ex cauſa trahit, & quodãmodo gignit, id eſt excogitat & inuenit. eos artificiales Latini, Græci ἐντέχνους appellant. Aſſumuntur autẽ extrinſecus illi loci, qui extra dicendi rationem accipiuntur: nec ingenio nec arte dicentis parantur, ſed ad eum cum cauſa deferuntur à litigatore. quapropter ἀτέχνους, id eſt inartificiales eos appellamus, non quòd arte non egeant, ſiquidem arte tractantur, ſed quia foris ad oratorem veniunt. Cæterùm memineris, Ciceronem καταχρηστικῶς locutum eſſe, qui locos in re dixit hærere, vel extrinſecus aſſumi. Non enim reuera loci, ſed argumenta, quæ ex locis eruuntur, in eo de quo quæritur hærent, aut aſſumuntur extrinſecus. vt ſi mundum caſurum & corruptum iri probes, quia ſit genitus. Nam deficit omne quod naſcitur. Argumentum enim in re de qua quæritur, infixum eſt & inſitum, id eſt, in ſubſtantia & natura mundi penitus hæret: cùm ea ſit natura rerum genitarum, vt aliquando pereant, & in ea principia vel elementa reſoluantur atque redeant ex quibus coaluêre, vt ſuæ quidque naturæ reddatur: vt quod igneum eſt in mundo, igni: quod aeriũ, aëri: quod aqueum, aquæ: quod deniq; terreſtre mũdus à terra ſuſcepit, id omne terræ reſtituatur, quando mundus occidet. E contrario ſumetur extrinſecus argumentum, ſi teſtimonio Ariſtotelis mundum eſſe ſempiternum dicas. Nam teſtimonium rei alicuius extra rem eam eſt, cuius eſt teſtimonium. In quibus argumenta incluſa ſunt.) Quî fieri poteſt, vt argumenta omnia in locis incluſa ſint, nonnulla tamen extrinſecus aſſumantur? Sanè ſi incluſa ſunt, intus ſunt clauſa: nec igitur extra ſunt, nec extrinſecus aſſumuntur. Sic huic quæſtiunculæ reſpondemus. Argumenta omnia dicuntur in locis incluſa, propterea quòd loci argumentorum omnium ſunt ſedes, non autem ideo quòd illa omnia in cauſa ſint, & ab ea trahãtur: nõ enim teſtimonia ſunt eiuſmodi, quæ alioqui vocantur argumẽta. Hærent.) Rodolphus Agricola, quo loco docet, non omnia probandis omnibus conuenire, ſcribit oportere omne argumentum cognatum, coniunctum & coherens eſſe cum eo cui probando adhibetur: non igitur argumẽtorum alia hærent, alia non hærent rei de qua quæritur. Verùm huic obiectioni ſic obuiam imus. Rodolphus cohærens accepit pro conſentaneo, & pro eo quod à re propoſita non abhorret: non autem vt Cic. qui hærere dixit, quod inſitum infixúmque cauſæ eſt. At cõtra hanc dilutionẽ ſic itur, Quòd cõtraria, & repugnantia in eo de quo agitur ſecundũ Ciceronẽ hærent: ea tamẽ, ſiue ſecundum Rodolphum cohærens accipias pro conſentaneo, conſentanea nõ ſunt: ſiue cohærens more Ciceronis interpreteris, quod inſitum infixúmque cauſæ eſt, neque inſita ſunt neque infixa cauſæ: hærent tamen, vt vult Cicero: non igitur quid ſit hærere ſatis oſtendiſti. Quòd autem contraria & repugnãtia conſentanea non ſint, nec infixa cauſæ, ſic oſtendo: Quod repugnat, non conſentit cum eo cui repugnat. Deinde quod contrarium eſt, non eſt in ſuo contrario inſitum & infixum: alioqui contrarium de contrario diceretur, & in eodem contraria ſimul eſſent quod fieri nequit. Sed hic ſcrupus in hunc modum exoluitur. Conſentanea ſunt contraria negata contrariis affirmatis, & affirmata negatis: & hoc modo repugnantia affirmata negatis, negatáque affirmatis conſentiunt. Simili ratione repugnantia vel contraria affirmata, ſunt infixa repugnantibus vel contrariis negatis: vt, iure poſſidet, igitur non inuitus debet reddere. Item, Lex eſt iniqua quæ de iure nihil remittit, ſed ſummum ius ad vnguem ſequitur: ergo non eſt æqua lex, vtrobique ex affirmatione vnius illic repugnantis, hic contrarij negationem ſeu repugnantis alterius ſeu cõtrarij colligo. & certè affirmatio vnius, negationi alterius conſentanea eſt, nec aliter à repugnantibus aut contrariis argumentari poſſumus. Quapropter Rodolp. de repugnantibus loquens, ait: Habent autem ij loci proprium hoc, quòd non poteſt ex ipſis quicquam confirmari directè, ſed ex diuerſo. vt ſi in vno neges, in altero affirmandum eſt: contráque alterius affirmatione negandum eſt alterum. vt ſi dicas: Pater eſt, ſequitur non eſſe filium. & filius eſt, certum eſt patrem non eſſe. ſic, Cæcus eſt, ergo non videt. contrà quoque, Videt, igitur cæcus non eſt. Verùm (pace Rodolphi dixerim) non vſquequaque verum eſt quod Rodolphus ait. Nam tametſi ſi vnum repugnantium aut oppoſitorum affirmes, oporteat alterum negari: tamen o-

ratio non reuertitur. siquidem necesse non est, vt si vnum neges, alterum affirmes: vt non sequitur, Non est niger lapis smaragdus, igitur est albus. itaque quomodo repugnantia & contraria sint rebus diximus. Neque est audiendus recens ille scholiastes, qui locos tripertitò neq; latinè locutus, neq; Ciceronis sententiam secutus distribuit in intrinsecos, extrinsecos & medios. Qua in diuisione præterquam quòd intrinsecos & extrinsecos pro internis & externis barbarè dixit, dupliciter peccauit. Prius, quòd, Ciceronis sentẽtiam explicare volens, à Ciceronis diuisione discesserit. nullos enim locos medios Cicero facit, sed omnes vel internos vel externos esse vult. Posterius insigniter hallucinatus est, qui cum externorum locorum exempla traderet, contraria & repugnantia locos externos esse dixit. at Cicero facit internos: neque vlli, secundum Ciceronem, præter testimonium sunt externi. Alij assumuntur extrinsecus.) Extrinsecus illa iam diximus assumi, quæ ab Oratore non inueniuntur, sed ad eum à litigatore deferuntur, vt sunt testimonia. Verùm hæc duo pugnare videntur, quoddam videlicet ab Oratore nõ inueniri, & argumẽtum omne probabile inuentũ esse. Nam ita in Partitionibus Oratoriis argumentum à Cicerone definitur. Atqui definitio omni rei cuius est definitio, conuenit. Si ergo omne argumentum est probabile inuentum, omne argumentum inuenitur. sed hoc repugnat ei quod dicebamus, scilicet extrinsecus argumentũ assumptum non inueniri. Qui nodus ita soluitur. Cicero non vocat inuentum quod est artificio dicentis excogitatum, sed quod è loco in quo latebat depromptum est, quódque prius in loco suo quæsitũ, tandem inuentum est. non autem sic, vt à causa petitum esse dicamus, sed à sua sede velut erutum vocamus.

In ipso.) Locos distribuit qui in eo de quo agitur hærent, id est, internos & artificiales, qui quadruplices sunt, definitio, pars, nota, res affecta. Tum ex toto.) Id est, ex definitione. Est autẽ definitio, teste Quintiliano, rei propositæ propria, dilucida, & breuiter comprehensa verbis enunciatio: vt, Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum. Cicero definitionem propterea totũ appellat, quòd ea totam rei de qua quæritur substantiam breuiter declaret: vel quòd vniuersam definiti naturam suis finibus circunscribat. Nam cum id quod definitur, id est, species, genere & differentia constet: genere inquam, tanquam materia: differentia verò, velut forma: definitio sanè partem vtrãque, si ad manum habeamus, aut certè nonnihil quod eorum vires suppleat, ambitu suo cõprehendit. quare totum meritò vocatur. Sed rogare quispiam poterit, Si finitio totum est, vt diximus, quónam pacto fiet vt ea in ipso toto de quo quæritur hæreat, atque ad ipsum totum adhibeatur? nihil enim in seipso est, sibi nihil hæret. Illi sic respõsum volo: Definitionem totũ ideo dico, quòd partes omnes definitæ rei quæ sunt in toto, id est, genus & differẽs, contineat: quodq; cum toto, id est re definita, reuertatur & obambulet. quòd si ipsa in toto propriè non sit, eius tamen partes in toto sunt: vt, æquitas est, non dura iuris interpretatio. interpretatio iuris non dura, nõ est propriè loquendo in æquitate, quin potius ipsa est æquitas. Sed partes, genus inquam & differens, vt interpretatio quæ generis vices supplet, & iuris non dura, quod differentiæ officium præstat, in toto sunt, à quo continentur. Tum ex partibus.) Partium enumeratio est, tradente in Rhetoricis Cicerone, quæ pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, vnam aliquam necessariò confirmat. quæ definitio ei partium enumerationi non conuenit, quam Cicero paulò pòst facturus est. ea est huiusmodi: Si liber est factus, igitur vel censu, vel vindicta, vel testamento. non censu, non vindicta, non testamento: non igitur est factus liber. non conuenit, inquam: quia quanuis res plures exponantur, non tamen ita, vt cæteris infirmatis vna aliqua necessariò probetur. omnibus enim partibus peremptis in hoc exẽplo, totum perimitur. quare fateamur necesse est, enumerationem à Cicerone preßius quàm oportet illic esse finitam. Eandem profectò Quintilianus latioribus finibus terminat, quam tamen non enumerationem partium, sed remotionem appellat, cum dicit: Est argumentorum genus ex remotione, qua nunc efficitur totum falsum, nunc id quod relinquitur verum ostenditur. Totum falsum erit, si dicas, Si tu es ciuis, igitur natus aut factus: sed neque natus, neque factus: non igitur es ciuis. Natus & factus partes sunt, quæ remouentur: & his remotis, totum, id est, ciuis, falsum ostenditur. Reliquum sit verum ita: hic seruus quem tibi vendicas, aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus. Non est autem verna tuus, non emptus, non donatus, non testamento relictus, non ex hoste captus: igitur alienus. Partes sunt, verna emptus, donatus, testamento relictus, ex hoste captus. quæ sic infirmantur, vt hæc postrema, id est alienus, necessariò cõfirmetur & vera relinquatur. Non ignoro, Rodolphum enumerationem aliter definisse, vt esset argumẽtatio perfecta, in qua vel ex partibus totum,

vel ex formis genus vniuersaliter colligeretur. Ex partibus totũ hoc modo: Senatus de Milone bene sentit, item equester ordo, nécnon plebeius ordo: uniuersus igitur populus Romanus de Milone bene sentit. Ex formis verò genus, ita: Iustitia, prudentia, fortitudo, modestia laudanda est: omnis igitur virtus est laudanda. Tum ex nota.) Notam vocat Tullius, interpretationem vocabuli, quam Græci ἐτυμολογίαν dicunt. Nos verbũ verbo reddentes, veriloquiũ transferre possumus. quã vocem Cicero tanquam molestam, nimisque duram reformidauit, & notam dicere maluit, Aristotelis authoritate fretus, qui in libro περὶ ἑρμηνείας inquit, verba rerum notas esse. nam σύμβολον Græcè, Latinè notam vocat. vt eæ sunt notationes, vel (si mauis) interpretationes vocabulorum: vt soror dicitur quæ seorsum nata in alienam familiam transit: sic temetum, quod mentem tenet, vel tentat: & abstemius, qui temeto abstinet. Tum ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur.) Boëtius res affectas exponit, quæ ad aliquid referuntur, vt genus ad speciem, species ad genus. Sed sunt hodie quidam viri non mediocriter eruditi, qui Boëtij expositionem reprehendunt. tamen nõ solus Boëtius res affectas ita definiuit, sed & Quintilianus, qui de genere & forma loquens (quæ sub rebus affectis sunt) inquit: Cicero genus & speciem, quam eandem formam vocat, à finitione diducit, & iis quæ sunt ad aliquid subiicit, id est, rebus affectis. Non enim ad id totum de quo quæritur adhibetur, quemadmodum finitio, partes, & nota: sed solum res sunt, ad id de quo quæritur, quodammodo affectæ. Qui Boëtiũ arguunt, hac ratione nituntur, quòd definitio referatur ad aliquid, est enim definiti definitio. Item partes ad aliquid, ad totum puta: Atqui neque definitio neque partes res affectæ sunt: sunt tamen ad aliquid: Igitur res affectæ, non sunt definiendæ, quæ sunt ad aliquid. Idem autem Gellium sequuti affecta definiunt, quæ non ad finem ipsum, sed proximè finem progressa deductáve sunt. vt annus affectus est, qui quanuis nõdum sit confectus, propè tamen absolutus est. hoc sensu res affectas à Cicerone dici confirmant, vt genus cum sit ex affectis, non omnino totum conficit. nam nisi differens addideris, absolutam totius definitionem non es habiturus: ita differens sine genere totum non facit, sed finitionis eius pars est. Quorum mehercule possumus interpretationem labefactare prorsus, & eleuare. Nam contrarium & repugnans affecta sunt, at prope finem deducta non sunt. non enim ea quibus repugnant, contrariáve sunt, propè conficiunt. Sanè tantum abest vt aliqua ex parte conficiant, vt omnino perimant. sed fallor: conficiunt, & enecant, atque euertunt. Sed esto, conficiant: ergo Tullius res afficientes, non affectas vocare debuit. non enim conficiuntur, vel ipsis consentientibus: sed sicut volunt, conficiunt. Adde, quod media tantum ex parte factum est, affectum dici non posse, sicut affecta Gellius accepit. nam affectum (vt interpretantur) propè confectum est. Atqui genus, vel differens, seorsum speciem dimidia ex parte tantum faciunt. Quare Cicero res affectas aliter quàm volunt accepit. melius ergo ad aliquid esse dicuntur. Quòd autem obiiciunt, definitionem, partes, & notam ad aliquid esse, quæ tamen res affectæ non sunt: illis ego sic satisfacio. Dicuntur ad aliquid esse, quæ secundum idipsum quod sunt, ad aliud referuntur. Vt igitur relata sint, esse diuersa non modò secundum vocem, sed & secundum rem necesse est. At definitio & definitum reuera eadem sunt, etiamsi voce differant. ergo ad aliquid nõ sunt. quod si sint ad aliquid, (vt hodie volunt omnes) sola nominum similitudine, non autem collatione rerum id accidet. Sic partes omnes eædem cum toto sunt. Deinde relata simul natura sunt, partes verò singulæ toto priores. Ita nota cum eo cuius est nota, nihil prorsus nisi voce differt. Ergo neq; partes neque nota sunt ad aliquid, si rem potius quàm vocem inspiciamus. nam voce, sicuti dictum est, ad aliquid esse possunt. verùm de rebus, nõ de vocibus modò loquimur. Sed quispiam dicet, Ergo Boëtij definitionem tueris. Sanè nec oppugno, sicut constat: neq; tueri velim. ne autem tuear, Cicero facit, qui relata sub contrariis, id est, sub oppositis (nam ita vocat opposita) complectitur. at contraria species sunt rerum affectarum: non igitur res assectæ definiẽdæ sunt, quæ ad aliud referuntur. Vt igitur quod sentio dicam, tres locorum gradus Cicero facit: alios in toto penitus fixos, & velut in mediis ædibus inclusos, vt sunt definitio, partes, & nota: quos tres ad totum adhiberi dicit: alios quanuis etiam in toto, non tam tamen in toto, quàm circa totum, & velut in vestibulo missos, sic vt nec omnino sint intus, nec planè foris, cuiusmodi res sunt affectæ. Nam sicut Celliana affecta non sunt ad finem vsque ducta, sed proximè finem progressa sunt: ita res affectæ Ciceronis, ad totum vsque non perueniunt, sed totum velut attingunt, & iuxta sunt. Alios denique foras excludit, quos à toto lõgè disiunctos & remotos esse tradit, vt sunt testimonia. Itaque, vt epilogo concludam, loci vel ad totum

Vide Celliũ lib. 13. cap. 10.

Gell. lib. 3. cap. 16

adhibentur, vel ad totum affecti sunt, vel à toto procul absunt, longéque disiuncti sunt. Verùm antequam finem facio, lubens rogarim, quónam pacto Quintilianum Ciceroni concordem reddere possimus: quorum ille probationis artificialis tria genera, signa, argumentum, & exemplum fecit: hic verò quatuor, definitionem, partes, notam, & res affectas. Sanè concordes ita reddemus, signa sub antecedentibus, consequentibus, & adiunctis, item sub maioribus, paribus, & minoribus: exempla sub similibus, dissimilibus, contrariis, atque etiam comparatis intelliguntur: quas res affectas esse, nemo negabit. Argumẽta verò ab omnibus quæ vel ad totũ adhibentur, vel quodammodo affecta sunt, ad totum trahũtur. quare Quintil. & Cicero consentanea tradunt. Extrinsecus autẽ ea ducuntur.) Cuiusmodi sunt probationes artis expertes. vt testimonia. Nam testimonium id omne Cicero vocat, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. cuius apud Lucanum hoc exemplum est, primo Pharsaliæ libro, de Cæsare & Pompeio:

-- Quis iustius induat arma,
Scire nephas, magno se iudice quisque tuetur.
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.

Simile exemplum eiusdem rei pro Ligario apud Ciceronem reperias: Principum (inquit Cicero) dignitas erat penè par, non par fortasse eorum qui sequebantur: causa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte quod probari posset. Nunc melior ea certè iudicãda est, quam etiam dij adiuuerunt. Est apud Quintilianum locus, qui huic omnino contrarius esse videtur. Dicit enim ille capite de exemplis, testimonia causæ propria esse, omnem verò probationem artificialem extrinsecus in causam adduci. quem scrupulum tibi in hunc modum remoueo: Testimonia Quintilianus causæ propria facit, quòd illa per se sine oratoris artificio causæ fidem faciant, nec dicentis vocem expectent, cùm etiam tacente oratore sæpenumero peragantur, & iudices ipsi sibi per ea suis oculis auribúsque fidem faciant. Nam testis & quæstio & his similia de ipsa re quæ est in iudicio pronunciant. Artificiales verò probationes, extrà petitas ideo dicit, quòd nihil per se valeant, nisi ad aliquam præsentis negotij vtilitatẽ ingenio dicẽtis applicentur. Quæ absunt longéq; disiũcta sunt.) Sed quomodo testimonia lõgè disiuncta sunt? cùm teste Rodolpho necesse sit omnia quæ pro re quaq;, vel cõtra rem dicũtur, esse quadã naturæ societate coniuncta? Disiũcta esse testimonia & coniuncta, repugnat. Verùm hoc sic diluitur. Omnia quæ probandis aliis conueniunt, consentire proposito, nec ab eo discrepare debent. At Cicero disiuncta capit non pro dissentaneis, aut à præsenti quæstione discrepantibus, sed pro remotis ab arte, & in eo de quo quæritur non inclusis, verùm ab arte separatis. vt cum Cicero secunda Philippica cuiusdam poëtæ testimonium citans, inquit: vt est apud poëtam nescio quem,

Malè parta malè dilabuntur:

Hoc inquam testimonium ab arte oratoria, id est, ab inuẽtione dicentis, est remotum. non enim Cicero illud inuenit, sed ab alio accepit. Testimonia tamen Rodolphus quæri à dicentibus, & inueniri, nec non alium alio melius iis vti, & proinde artis esse constanter affirmat. sed vt ab iis quorum sunt testimonia, id est, à testibus præsentem in rem dicuntur, eatenus arte carere scribit, cùm testes quæ viderint, audiuerint, intellexerint, tantùm dicant, nec quicquam vel addant vel detrahant, vel immutent, vel inuertant, ex iis quorum testimonium dicunt: sed fideliter recitent, vt viderunt, audiuerunt, & intellexerunt. Cicero verò secundo de Inuentione libro, testimonia probationes artificiales facit. quo in loco sic habet: Accedunt autem ad coniecturam sæpe quæstiones, testimonia, rumores, quæ contra omnia vterque simili via præceptorum torquere ad suæ causæ commodum debebit. Nam & ex quæstione suspiciones, & ex testimonio & rumore aliquo pari ratione, vt ex causa, aut ex persona, & ex facto duci oportebit. Quare nobis & ij vidẽtur errare, qui hoc genus suspicionum artificij non putant indigere: & hi qui aliter hoc de genere ac de omni coniectura præcipiendum putant. Expositis omnibus probationis vtriusque membris, adiicere commodum fuerit quæ Quintilianus omni probationi communia facit. Primo tradit, probationem omnem ab antecedentibus, consequentibus, vel repugnantibus duci. quod Ciceronianæ diuisioni prima facie repugnat. Nam Cicero sub rebus affectis antecedentia, consequentia, & repugnantia complexus est. quare si ab antecedentibus, consequentibus, vel repugnantibus omnis probatio petatur, omnis igitur à rebus affectis erit. Certè Rodolphus Ciceronem simul & Boëtium reprehẽdens, antecedentia, consequentia, & repugnantia communes locorum omnium locos esse docet: sicut ea Boëtius definiuit, & vt

Cicero tractauit, locos esse negat. non enim ad inuentionem, sed ad iudicium pertinere Rodolphus ait. Insuper Quintilian. argumentum omne vel maius, vel par vel minus facit. qui tamẽ tres loci, sicut tres superiores, sub rebus affectis continentur. Sed hoc ita diluitur. Quintilia. maius pro latiori vel generaliori cepit: minus, pro contractiori: denique par, pro eo quod reuertitur & recurrit. Itaque par erit definitio definito: genus, specie maius: species genere minor. eodem modo de aliis locis iudicandum.

LATOMVS. Sed ex his locis.) Diuidit locos, in internos & externos, quos deinde ita tractat: Primò colligit numerũ eorum, & singulos exemplis declarat. Deinde reuocatus ad initiũ, explicat eos vberius, & partes quoq; eorum & tractationem ostendit. Post hæc admonet, qui loci quibus quæstionibus conueniant, atq; ibidem quæstionum genera recenset. Postremò addit & partes orationis, breuiter indicans quibus locis vnaquæq; earum tractanda sit. In eo ipso de quo agitur.) Id est, in ipsa quæstione. Nam sermo iurisperitorum est, qui omnia ad actiones referunt. Sed dialectici quæstionem, Rhetores tum causam siue controuersiam, tum propositum appellant, Græci θέσιν & ὑπόθεσιν. Hærent igitur loci in quæstione, hoc est, in rebus in quæstione positis. quæ partes eius sunt, sicut & propositionis, nempe subiectum & prædicatum. Subiectum est, de quo aliquid dicitur: Prædicatum, quod dicitur de subiecto: vt, An Vlyßes Aiacem occiderit: Vlyßes subiectũ est: Aiacem occidisse, prædicatum: quia cùm dico, Vlyßes occidit Aiacẽ, de Vlyße cædes Aiacis prædicatur. In hac igitur quæstione, loci argumentorum hærent in persona Vlyßis & Aiacis: item in verbo occidendi, vt intuendum sit quid argumenti præbeat descriptio vtriusque personæ. quid causæ occidendi, quid locus, quid tempus, simile, adiunctum: ex quibus argumenta in vtranq; partem ducentur ad quæstionem confirmandam. Locos in ipsa re hærentes vocat Cicero, omnes qui vel in rei substantia sunt, vel aliqua ratione ad eam referũtur, dummodo causa relationis sit ex ipsa re. Extrinsecus autem adsumptos eos qui nullam habent coniunctionem cum re, sed prorsus separati sunt, & in sola authoritate, quæ ex hominum opinione est, locantur. Substãtiam voco idipsum quod res per se est, quatenus intra naturæ suæ complexum definitur: vt in homine sensualis & rationalis natura, quam animali rationali definimus: in arbore lignum & vita, in virtute habitus animi secundum naturam, in voluptate sensus corporis iucundus. Nam quæ extra hæc sunt, & rebus prædictis attribuuntur, accidentia sunt, partim circa substantiam, partim extra & longè separata, vt in homine doctum, formosum, eloquentem esse: in arbore, procerum, frugiferum, odoratũ: in voluptate, fractum, molle, caducum, imbecillum esse: quæ omnia quanuis circa vel extra rei substantiã sint, tamen Ciceroni in eo ipso de quo agitur, hærent. Alij partim locant circa substantiã, & internos locos faciunt: Alij submouent à re, & in externos locos referunt, quòd in diuidendo aliam rationem sequantur. Alij assumuntur extrinsecus.) Id est, extra res in quæstione positas, quas nulla ex parte contingunt, neque ad eas referuntur. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex nota.) Hi tres loci in substãtia rei sunt, quia & hærent in ea singuli, & totum complexum eius obtinent. Itaque vnum sunt re, sed vi & ratione differunt. Totum enim, vniuersa res est semel spectata: partes, ea in quæ diuiditur: nota, vis ac sensus eiusdem verbo inclusus, qui à re non separatur. Præbent igitur diuersam argumentãdi facultatem, vt quanuis argumenta omnia ex re ducantur, tamen aliud ex toto, aliud ex partibus, aliud ex nota appelletur, atque ex eisdem vim habeant. Cæterùm totum quatenus in subiectas formas diuiditur, genus vocatur: quatenus in partes, tanquam in membra, propriè totum dicitur. Partes enim sunt tum formæ generis, tum quasi membra totius. Nota, verbum est quo res in quæstione significatur. Hanc Rodolphus separat à substantia, & inter externos locos refert. Sed ille fortuitam verbi conditionem spectauit, quæ addi potest rei & detrahi. Cicero sensum eius, qui non separatur à re, sicut nec definitio ab eo quod definitur: quoniam mutato verbo, tamen idem sensus & notio rei permanet. Tum ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id.) Affecta vocat, quæ ad rem referuntur: quia cùm extra substantiam eius sint, tamen aspiciunt eam quodammodo, & iunguntur ei ratione aliqua, vel ab ea separantur. Iunguntur, vt coniugatum, genus, forma, similitudo, adiuncta, antecedentia, consequentia, causæ, euenta, comparata. Separantur, vt differentia, contraria, repugnantia. Omnes igitur loci, vt summam eorum colligamus, vel in re sunt, vel extrà sumuntur. In re sunt alij per se, alij ex relatione. Per se, vt totum, partes, nota. Referuntur ad rem, quæ affecta vocantur. Hæc duplicia sunt, pura, & conditionalia. Pura, quæ per se vi sua in argumentum sumuntur, vt coniugatum, genus, forma,

quæ attingunt naturam rei: similitudo & differentia, quæ eandem vel diuersam qualitatem obtinent: comparata, quæ eandem vel diuersam quantitatem: adiuncta, quæ eueniunt circa rem: causæ & euenta, quæ efficiunt eam, vel ab ea efficiuntur: contraria, quæ ei repugnant. Conditionalia autem sunt, quæ non per se, sed iuncta alteris in pronunciato sumuntur, vt antecedentia & consequentia, quæ necessariò cohærent cum re: & repugnantia, quæ ei repugnant. Alij in diuidendo aliâ rationem sequuntur, ex quibus Rodolphus Agricola naturam rei spectat, & variam eiusdem ad alia habitudinem, ex qua locos colligit atque distinguit. Cicero primùm rem per se spectat, deinde cætera quæ aliqua ratione cum ea coniuncta, vel ab ea disiuncta sunt, ad eam refert. Itaque post tres locos substantiales, cæteros omnes ad aliquid facit, & affecta ad rem vocat. Proprium, adiacentia, actus, subiectum, connexa quæ apud Rodolphum sunt, si formam suam retineant, in quam describuntur ab illo, sub nullo loco Ciceronis propriè comprehendi possint. Distinguuntur enim loci inter se, sicut rectè tradit Rodolphus, non absoluta rerum natura quam per se obtinent, sed alia & alia habitudine, quam vltro citróque inter se collata accipiunt. Possis tamen ex iis qui necessariò cohærent cum re, subiicere antecedentibus & consequentibus, si conditionali pronunciato inclusi fuerint. Sed hæc ratio cum aliis etiam locis communis est, qui cùm purè sumpti sunt, per conditionem etiam, vt antecedentia vel consequentia fiant, sumi possint: de quo infrà dicetur, & notatur à Rodolpho de accidentibus.



HECENDORPHINVS. Alij in eo ipso.) Vt, Amor est princeps ad benevolentiam coniungendam. In voce, amor, quæ subiecti loco ponitur, hæret locus à definitione, locus à specierum enumeratione: item in voce, benevolentia, quæ prædicati vicem defungitur. Quid est amor? Est mutua quædam animi propensio hominis erga hominem, ex morum & studiorum similitudine collecta. Species amoris apud Platonem in Conuiuio vide. Quid est benevolentia? Est mentium mutuus consensus, qui ex amore oritur. Ex toto.) Id est, finitione, quæ rem aliquam totam explicat. Est enim finitio, authore Aristotele lib. 7. Topic. quæ quid est esse, id est, essentiâ & naturam rei, significat. Tum ex nota.) Quæ est nota vel nominis vel verbi: vt Seditio, est seorsim itio ciuium à magistratibus. Tutor à tuendo dictus. Possessio, quasi pedum positio appellatur in l. 1. ff. de acquirenda vel amittenda possessione. Extrinsecus autem.) Vt, Si quis inficietur debitum, per chirographum eius probo. Hominem memoriam & disciplinam cum pluribus animantibus communem habere, probo per Aristotelem. Sanguinem primum esse inter omnes humores quatuor, qui in homine sunt, probo per medicos. Iure fieri, quod lege permittente fiat, probo per legem, Cracchus, Cod. de Adulteriis. Porrò hæc argumenta vniuersa extrinseca sunt, & à vocibus thematum longè disiuncta.

quid sit amor. quid benevolentia.

seditio. tutor. possessio.

COVEANVS. Sed ex his locis.) Diuisio locorum, pro ea ratione, quâ quisque habet

cum re de qua quæritur. Tum ex toto.) Ex definitione, quæ totã rei naturã explicat & euoluit.

Tum ex partibus.) Per partes, formas quoque intelligi est necesse. Sed partis nomine eò vtitur libentius, quò notius vulgo est, quàm formæ, aut (quod idem est) speciei. Affectæ sunt ad id de quo quæritur.) Quodammodo respiciunt id de quo quæritur & cum eo cõiunctæ sunt: etsi ad id totum non adhibentur, quemadmodum Definitio, partium enumeratio, nota, siue notatio. Quæ absunt, longéque disiuncta sunt.) Quæ ex authoritate sumuntur argumenta (testimonia ea Cicero appellat) cum re proposita nullo naturæ vinculo coniuncta sunt. Quid enim tabulis testamenti commune est cum Sempronio, de quo dubitatur, sitne hæres à patre institutus? Cicero hoc eodem libro, Quæ autem, inquit, extrinsecus assumũtur, ea maximè ex authoritate ducũtur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes.

COMMENTARIVS. Sed ex his.) Locorum materia petita est à topicis Aristotelis: sed eorum diuisio magna ex parte ex libris ad Theodecten. Cæterùm locos duntaxat complectitur probationum rationalium, quæ fidem faciunt, eaq; proposita est dialectico. Nanq; ethicæ & patheticæ probationes sunt ipsius hypotheseos, pertinéntq; ad motum: quãquam reuera motus quoq; duci potest à probationibus rationalibus. Alij in eo ipso.) Vsus est artis vocabulo, cùm ad iurisconsultum scriberet. Nam quod dialectici appellãt problema & quæstionem, rhetores statum & iudicationem, id vocant iurisconsulti id de quo agitur, vel qua de re agitur. Sic iudicationem in fine Topicorum appellabit, qua de re agitur, pro quæstione. Hærent.) Quod attribuit loco, id attribuendum est per metonymiam argumento. neq; enim locus inhæret rei, sed argumentum à loco ductum rei inhæret, si à rebus & dictionibus quæ in quæstione positæ sunt, ducitur. Ex toto.) Totum appellat definitionem: quoniam, vt ait libro 2. de Oratore, Definitio totam & vniuersam rei naturam complectitur. His porrò tribus locis eadem materia subiicitur. sed in locorum diuisione nõ tam rem quàm habitudinem & argumenti inuentionem consideramus. Suppeditant autem hi loci diuersa argumenta. Partibus eius.) Non solùm intelligit partitionem, quæ membris constat: verumetiam diuisionem, quæ formis. Sedenim hic locus aliquando subiicitur definitioni. Nam vt docebit postea, definimus interdum per diuisionem & partitionem, sæpenumero tamen à definitione separatur. Rebus, quæ quodammodo affectæ sunt.) Res affectas appellat hoc loco quæ ad aliud quadantenus referuntur, siue sint in substãtia, siue à substantia separatæ, habitudinẽ tamen quandam ostendentes. Libro secundo de Oratore appellat ea quæ rem attingunt. quòd autem res affectæ ad aliquid referantur, apparet ex comparatione, cuius locum dicit esse affectionem ad aliquas res.

Extrinsecus.) Externos autem appellat locos Cicero, qui positi sunt in testimoniis. ac certè hi loci non sunt in quæstione, sed in hominum quadam opinione & authoritate. Eos locos appellant inartificiales Rhetores, vt superiores artificiales.

Sed ad id totum de quo disseritur, tum definitio adhibetur, quę quasi inuolutum euoluit id de quo quæritur. Eius argumenti talis est formula: Ius ciuile est æquitas constituta iis qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas: eius autem æquitatis vtilis est cognitio: vtilis est ergo iuris ciuilis scientia. Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber: neque est vlla earum rerum: non est igitur liber. Tum notatio, cùm ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Cùm lex AElia Sentia asiduo vindicem asiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuples enim asiduus, vt ait AElius, appellatus ab ære dando.

A partium enumeratione.

A notatione.

Locuples.

BOETIVS. Post locorum bifariam diuisionem, in ipso scilicet de quo agitur, & extrinsecus positorum, partitus est eum locum qui est in ipso, in quatuor membra, id est, à toto, à partium enumeratione, à nota, ab affectis. Nunc igitur antea quàm diuidat eum locum quem ab affectis esse proposuit, superiorum trium, quos in primo interim tractatu minime diuisurus est, sed indiuiduos relicturus, exẽpla supponit. Hi verò sunt, à toto, à partibus, à nota. Ac de eo quidem loco qui est à toto, ita disputat, Tunc, inquit, ducimus à toto locum argumenti, quando totum illud quod in quæstione positum est, definitione complectimur: quæ definitio, rei dubiæ de qua agitur, facit fidem. Sed definitio omnis, vt superius quoque dictum est, id quod nomine inuolutè designatur, euoluit & explicat: atque ideò non terminus qui in definitione ponitur, sed quæ in ipso sunt, possunt argumentis præstare materiam. Sunt autem in vnoquoque propriæ definitiones. Definitio enim est oratio substantiam vniuscuiusque significans. quòd si ab vnaquaque re substantia non recedit: ne definitio quidem recedit. Est ergo definitio in ipso termino de quo agitur: quæ definitio totum terminum necesse est comprehendat: neque enim partem substantiæ, sed totius termini substantiam monstrat. Sed quoniam ex ea definitione fides fit rei dubiæ, trahitur ex definitione argumentũ: quæ definitio in ipso termino est de quo agitur, & eius termini totum est. Itaque argumentũ quod à definitione ducitur, ab eo ducitur loco qui in ipso termino est, qui in quæstione est collocatus. Sed quoniam multi loci sunt in ipso: hic locus à toto est. definitio enim totum terminum comprehendit: atq; id quod inuolutè nomine significabatur, euoluit atque aperit. Eius argumẽti talis est formula: Ius ciuile est æquitas constituta his qui eiusdem ciuitatis sunt ad res suas obtinendas. Eius autem æquitatis vtilis est cognitio: vtilis est ergo iuris ciuilis scientia.) Est enim quæstio, An iuris ciuilis scientia sit vtilis. hic igitur ius ciuile supponitur: vtilis scientia prædicatur. Quæritur ergo, an id quod prædicatur, verè possit adhærere subiecto. Ipsum igitur ius ciuile non potest ad argumentũ vocari: de eo enim quæstio constituta est. respicio igitur quid ei sit insitum. video quòd omnis definitio ab eo non seiungitur cuius est definitio: ne à iure ciuili quidem propriã definitionem posse seiungi. Definio igitur ius ciuile: ac dico, Ius ciuile est æquitas constituta iis qui eiusdẽ ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. Post hæc considero vnde hæc definitio reliquo termino vtili scientiæ possit esse coniuncta: id est, an æquitas constituta iis qui eiusdẽ ciuitatis sunt ad res suas obtinendas, vtilis sciẽtiæ sit. video esse vtilem scientiã dictæ superius æquitatis. Cõcludo itaq;, Igitur iuris ciuilis sciẽtia vtilis est. Hîc igitur argumentum est ex eo loco qui est in ipso, hoc est in iure ciuili: qui terminus in quæstione est constitutus. hic vocatur à definitione: quæ definitio quoniam totum est, argumentum est à toto. Omnis autem locus à toto, in ipso est. Nec nos vlla dubitatio perturbet, quòd ius ciuile, & rursus scientia vtilis, quædam sunt orationes, quas vt terminos collocamus: non enim omnis terminus simplici orationis parte profertur, sed aliquoties orationes integræ in terminis cõstituuntur. In hac igitur argumentatione maxima propositio, ac per se nota est ea per quam intelligimus omnia quæ definitioni alicuius coniunguntur, ipsa quoque illis quorum est definitio, ex necessitate copulari. Sequitur enim, cum definitio iuris ciuilis vtili scientiæ possit adiungi: tum quoque iuri ciuili vtilem scientiam posse copulari. est igitur hoc argumentum tractum ab eo loco qui est in ipso. Omnis enim definitio in eo termino est quem definit. Eorum autem locorum qui in ipso sunt, est à toto. Omnis enim definitio totũ monstrat, atque aperit. Maxima propositio, Quibus aliquorum definitio iungitur, eisdem necessariò ea quæ definiuntur, aptantur. Tum partium enumeratio.) Sit quæstio, vtrum aliquis quem seruum esse constiterit, sit liber. Faciendi liberi tres sunt partes: vna quidem, vt censu liber sit. censebantur enim antiquitus soli ciues Romani. Siquis ergo consentiente vel iubente domino nomen detulisset in censum, ciuis Romanus fiebat, & seruitutis vinculo soluebatur: atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini, nomen in censum deferre, & effici ciuem Romanum. Erat etiam pars altera adipiscendæ libertatis, quæ vindicta vocabatur. Vindicta vero, est virgula quædam, quã lictor manumittendi serui capiti imponẽs, eundem seruũ in libertatẽ vindicabat, dicens quædam verba solennia: atque ideò illa virgula, vindicta vocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi est, si quis suprema voluntate in testamenti serie seruũ suum liberum scripserit. Quæ quoniam partes sunt liberi faciendi: siquis aliquem, quem seruum fuisse constiterit, monstrare velit non esse liberum factum, dicet, Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber: At nulla earum parte liber factus est: Non est igitur liber. Si enim omnes partes à qualibet illa re abiunxeris: totum necessariò separasti. Nam cum totum in suis partibus constet,

partes duobus modis.

siquid nulla cuiuslibet parte coniungitur, à toto etiam segregatur. partes autem duobus dicimus modis: vel species, vel membra. Species est, quæ nomen totius integrũ capit: velut homo atque equus animalis: vtraq; enim per se integro nomine animalia nuncupantur. est enim homo animal: & rursus equus animal. Item membra sunt, quæ cum totum efficiant, coniuncta totius capiunt nomen: singula verò, nullo modo. vt cum fundamentum, parietes, & tecta, domus membra sint, simul omnia, domus dicuntur: fundamenta verò sola domus vocabulo minime nuncupantur, neque parietes, neque tecta. In his igitur quæ species sunt, quoniam nomen totius integrum capiunt: nisi sigillatim omnes partes ab eo de quo dubitatur abiunxeris, non possis totum abesse monstrare. Dictũ est enim vnamquanq; partem totius vocabulum integrũ capere. Vt, Quoniam faciendi liberi tres sunt species, censu, vindicta, testamentó ve: si quaslibet duas remoueris, vna tamen permanserit, liberum necessariò confitebere. Siue enim censu tantum, siue vindicta, siue testamento sit liber factus: liberũ esse constat. ergo in his, nisi omnes species semoueris, non potes destruere quod in quæstione propositũ est. At si affirmare velis, atq; astruere: sufficit tantum vnamquamlibet speciem demonstrare. vt si velis ostendere liberum, sat est vt monstres aut vindicta, aut censu, testamẽtó ve liberũ factum. Quòd si destruere velis, non sufficit ostendere aut censu, aut vindicta, aut testamento liberum non esse factum, sed nullo modo eorum modorum ad libertatẽ veniisse. Itaq; in his partibus quæ membra sunt, si destruere velis: sat erit vnam seiungas. si astruere, cuncta adesse necessariò comprobabis. Nam si velis ostendere non esse domum, sufficit fundamenta non esse dicas, aut parietes, aut tecta. nã quicquid horum defuerit, domus non potest appellari. At si velis ostendere domum esse: nisi cuncta in vnum coniunxeris, id quod proponis, non valebis astruere. Omnes verò hi loci, à partium enumeratione ducuntur: quia in his partibus quæ species sunt, cũctæ partes enumerantur vt destruas. Quæstio est igitur in proposito Ciceronis exemplo argumenti à partium enumeratione deducti, An is quem seruum fuisse cõstitit, liber sit. Is quem seruum fuisse constitit, subiectus est terminus: liber verò, prædicatus. Neutrum igitur eorum terminum ad argumentũ ducere poterimus. De quibus enim dubitatur, ipsi fidem dubitationi facere non possunt. Video igitur quid in altero eorum sit. Quoniã verò partes omnes in eo sunt, cuius partes sunt: quoniam libertas data, habet proprias partes: sumo eas atq; dinumero, & requiro an vlla earum partium videatur inesse subiecto: sed nulla inest. Concludam igitur non esse liberum. Vnde manifestius demonstratur, non solum ab eo termino qui subiectus est, argumẽta sumi posse, verumetiam ab eo qui est prædicatus. Nam prius exemplũ quo demonstrabat iuris ciuilis scientiam esse vtilem, ius ciuile, quod subiectum erat, definiuit: ductúmq; inde argumentum, rei dubiæ fecit fidẽ. Hic verò libertatis partes enumerantur: qui est terminus prædicatus. Est igitur, vt dictum est, quæstio, An quem seruum esse constiterit, liber sit. Terminus, Is quidem, quem seruum esse constiterit, subiectus est: prædicatus verò, liber. In ipso, id est in prædicato, partes sunt quæ enumerantur: à qua enumeratione dum trahitur argumentum, fit argumentum in ipso ex partiũ enumeratione. Maxima propositio, Cuius partiũ nihil rei propositæ copulatum est, ei ne totum quidem esse potest coniunctum. Hic videtur esse dubitandũ, num locus à toto, atq; partibus idem sit: cùm omnes partes totum faciant, si coniungantur. Sed respondebitur, cùm fit argumentum ab enumeratione partium, totum diuiditur, non coniungitur: diuidendo enim, argumentatio procedit: nam quisquis partem cuiuslibet sumpserit, eo ipso, quo partem sumpserit, rem videtur esse partitus. Qui verò rem diuidit, dissipat potius quàm conficit totum. Sed restare adhuc ambiguitas potest. Nam definitio quoq; inuolutam nominis significationem explicat per quãdam substantialium partium enumerationem. Enumeratio verò partium, quædam ipsarum à se partium dissipatio est. Sed aliud est rei partes enumerare, aliud definitionis. Nam rei partes, ea re cuius partes sunt, semper minores sunt: vt caput, vel thorax, vel cætera membra toto homine. partes verò definitionis, tota re quæ definitur, si substantiales sunt, probantur esse maiores: vt animal homine maius est. Itémq; rationale & mortale eundem hominẽ, velut maiora continent: & sunt singulæ partes definitionis eius, quæ est animal rationale mortale. Partitio igitur sumit partes rei quam partitur semper minores. Quæ verò sumit definitio, vniuersalia sunt per se: totáque & continentia definiti, quamuis posita in definitione partes fiant: vt in his quæ superius exempla proposuit, facile intelligi potest. Vnde manifestum est locum à toto, & locum à partium enumeratione esse diuersos. Tertius eorum, qui in ipso sunt, locus à notatione est cõstitutus. Notatio verò, est quædam nominis interpretatio. Nomen verò semper in ipso est. Vt enim definitio id quod in nomine inuolutè declara-

tur, expedit atq; diffundit: ita etiam nomen id quod à definitione euolutè dicitur, inuolutè confuseq; designat. quòd si definitio in ipso est: nomen quoq; in ipso esse de quo agitur, non potest dubitari. Ex notatione autem locus vocatus est: quia nomen omnem rem notat atq; significat. Vindex igitur est, qui alterius causam suscipit vindicandam: veluti quos nũc procuratores vocamus. Lex igitur Aelia Sanctia assiduo vindicem assiduum esse iubet. Quæritur vtrum, cum lex AElia Sanctia vindicem velit esse assiduo assiduum, locupletem velit locupleti. Hic igitur subiectus quidem terminus est, Lex AElia Sanctia vindicem volens assiduo assiduum. prædicatus verò, locupletem locupleti. ipsos igitur terminos non potero ad fidem quæstionis adducere. de ipsis enim de quibus ambigitur, nulla effici fides potest. Quæro igitur quid in ipsorum altero sit: ac video vnum eorum terminum esse legem AEliam Sanctiam, quæ assiduum assiduo vindicem esse decernat, id est subiectum. Huius orationis interpretor partem, quæ est assiduus. quid enim est assiduus aliud, nisi assem dans? assem verò dare nisi locuples non potest. assiduus igitur locuples est. Cùm igitur lex AElia Sanctia assiduo vindicem assiduum esse constituat, locupletem iubet locupleti: assiduus quippe est locuples à dando ære nominatus. Argumentum igitur hoc tractum est ex eo loco, qui est in ipso, id est, à nominis interpretatione. Nomen enim in ipso illo est, cuius nomen est: cuius interpretatio, notatio nuncupatur. Sed ab huius interpretatione factum est argumentum. Igitur hoc argumentum ex eo loco est qui in ipso, id est nomine: & eorum qui in ipso sunt notatione, id est, à nominis interpretatione. Maxima propositio est, interpretationem nominis idem valere quod nomen. Sed paulò confusius à Cicerone dicta argumentatio, maximũ præstat errorem. Ita enim dici oportuit, Assiduus est, qui assem dat: qui verò assem dat, locuples est. assiduus igitur locuples est. Lex autem AElia Sanctia assiduum assiduo esse vindicem iubet: locupletem igitur locupleti vindicem esse præscripsit. Quòd si ita dictum esset, apertior argumentatio fuisset. Nunc verò ita dixit, Cùm lex AElia Sanctia assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: & cætera subiunxit, vt ostenderetur locuples esse assiduus. hoc autem tantundem valet, quod ait, legem AEliam Sanctiam assiduo assiduum vindicem cùm iuberet esse, locupletem locupleti esse præcepisse: tanquam si diceret, qui assiduus est, locuples est. Nisi enim is qui assiduus est, locuples sit: non consequitur, vt cùm AElia Sanctia assiduũ assiduo vindicem esse iusserit, locupletem iubeat locupleti. & argumẽti conclusionem priorem posuit: subiecit verò probationẽ. Cõclusio nanq; est, Cùm lex AElia Sanctia assiduũ assiduo vindicem velit esse, locupletem iubet locupleti: atq; hanc præmisit. Probatio verò est, assiduum esse locupletem, ab ære dando nominatum: & hanc intulit conclusioni. Restat is locus eorum qui in ipso sunt, qui ducitur ab affectis: cuius expositionem, quoniam varia est multiplexque diuisio, differamus: ac primi voluminis terminum hucusque sistamus.

Vide Cell. lib. 16. cap. 10.

VISORIVS. Sed ad id totum de quo disseritur.) Tres locorum gradus superius fecimus, vnum eorum qui ad totum adhibẽtur: alterum eorum qui ad totum quodammodo sunt affecti: tertium eorum qui à toto remoti, longéque disiuncti sunt. Nunc de primo fit sermo, id est, de locis qui ad totum adhibentur. Ad totum autem dicuntur adhiberi, qui totam rei propositæ substantiam vniuersámque naturam complectuntur, quíque toti respondent & æquipollent, omninóque conueniunt, nec latius quàm totum se fundunt, nec contractius sese cohibent, angustiúsve contrahunt, sed pares & æquales & reciproci sunt: vt definitio definito, omnes partes toti, interpretatio vocabuli vocabulo pares sunt. qui loci cùm tres nomine sint, vnicus tamen reuera locus est, quem totius nomenclatura vocare possumus. nam & definitio totum est, & partes totum sunt, & est totum interpretatio vocabuli. nec eos totius nomenclatura solùm, sed & definitionis appellatione vocabimus. nec sanè iniuria. Nam vniuersam vim rei definiendo modo complectimur, cum per genus & differentiam definimus. vt, Rhetorice est bene dicendi scientia. aut definimus per partes, cùm res proposita quasi in membra discerpitur: id est, cum rei definiendæ partes omnes recẽsemus. vt, Rhetorice est rectè inueniendi, & disponendi, & eloquendi, cum firma memoria & actionis dignitate, sciẽtia. Præterea finimus aut vi, sicut superiora: aut etymologia, cum vocabulum interpretamur: vt, Assiduum ab asse dando: & locupletem à locorum, & pecunioſum à pecorum copia. Itaque cum hi tres loci, definitio, partes, & nota, ad totum adhibeantur, de his dicamus: & à definitione (quam Laurentius Valla regium quendam censorem quæstorémque ærarium vocat) incipiamus. Quanquam ea non tam in toto, id est, in substantia totius esse videatur, quàm ipsum totum ipsaq; rei substãtia esse: (rectius enim dixeris, cognitionem rerum diuinarum & humanarum philosophiam

Valla Dialect. Disputationum lib. 1. cap. 19. & 20.

esse, quàm in philosophia) tamen quia partes definitionis, puta genus & differens, in toto sunt, etiã si ad totum non adhibeantur, sed rebus affectis subiectæ sint, per definitionem in toto esse dicimus. Quæ quasi inuolutum.) Nihil enim est aliud definitio, quàm coactæ in se & complicatæ rei explicatio. Res quæ definitur pugno, definitio manui in digitos ductæ similis est. Itaque res ipsa vno nomine continetur. definitio verò eandem in duo, scilicet genus & differens, tanquam totum in partes explicat. vt, iustitia virtus est, vnicuique ius suum tribuens: in qua virtus, genus est: quod reliquum est, differentia. Ius ciuile.) Ius, authore Celso iurecunsulto, Digest. de Iustitia & iure, hoc modo definitur: Ius est ars æqui & boni. Cicero verò de Oratore, ius ciuile hoc pacto finit, vt sit legitimæ atque vsitatæ in rebus causisque ciuium æqualitatis conseruatio. vel sic: ius ciuile est decretum maioris potestatis, ad tuẽdum ciuitatis statum ex æquo & bono institutum. Itẽ quod quisque populus ipse sibi ius cõstituit, id ipsius propriũ ciuitatis est. vocatúrque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Sic Iustinianus in suis institutionibus imperatoris, tit. de iure naturali, gentium, & ciuili. Verùm quia non ad iurisconsultos modò scribimus, sed ad philosophiæ Christianæ parentes sanctissimos, rem nostram exemplis aliis illustriorem reddamus: vt, Virtus est animi constans affectio conueniensque, laudabiles eos efficiens in quibus est, & ipsa per se sua sponte laudabilis, è qua oriuntur honestæ voluntates, sententiæ, actiones, omnísque recta ratio: sed eiusmodi constans affectio expetenda est: igitur expetenda virtus. Tum partium enumeratio.) Quid sit enumeratio, superius diximus: eiúsque duas ex Quintiliano partes fecimus, alteram, qua cum plures partes exposuimus, eas omnes infirmamus, vt totum remoueatur. alteram, cum partium expositarum nonnullas euertimus, vt quæ reliqua est confirmetur. Prioris hoc est exemplum: pecuniam te credidisse dicis, igitur aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut inueneris, aut surripuisti: sed neque domi habuisti, neque ab alio accepisti, nec inuenisti, nec surripuisti: igitur non credidisti. Posterioris verò tale, Aut senatui parendum de Reipublicæ salute fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum: aliud consilium superbum, suum arrogans: vtendum igitur consilio Senatus. Partium tria sunt genera, substantiæ, quantitatis, & qualitatis. Substantiæ, vt materia & forma, quæ de proximo rem constituunt: velut brachium, manus, digitus, crus, tibia, pes, quæ ad solam rei integritatem explendam pertinent. Quantitatis, vt cubitus. Qualitatis, vt cum dicimus tres animæ partes esse. Altricem.) Sensitiuam & rationalem. Liber factus est.) Aliud est liberum esse, & factum esse liberum. Nam liber propriè dicitur ingenuus, qui statim vt natus est, sui iuris est. Libertas autem naturalis est facultas eius quod cuique facere *licet, nisi quod vi & iure prohibetur. Qui verò facti sunt liberi, non propriè liberi, sed libertini dicuntur: de quibus nunc agitur, & sic in iure definiuntur, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio verò, datio est libertatis. nam manumitti serui cum liberi fiunt propterea dicũtur, quòd cùm domini manu, id est potestati suppositi diu fuissent, ab ea liberantur. Liberi faciendi plures formas Iustinianus recenset. Nunc Cicero tres tantum numerat: vnam quæ censu, alteram quæ vindicta, tertiam quæ testamẽto fit. Census est, facultatum æstimatio. est enim censere, quod vulgò taxare & appreciare dicũt. Olim soli ciues censebantur. si quis ergo consentiente vel iubẽte domino nomen suum in censum detulisset, censu liber fieri dicebatur. Vindicta est, ritus quo Prætor serui caput virga tangens, declarabat eum manumissum esse: inde hanc virgam vindictam appellarunt. Porrò vindex est, qui seruum in libertatem asserit. & à vindicando, vindicta vindéxque dicitur, nõ à Vindicio seruo, vt Plutarchus asserit, & Liuius dubitat. est enim vindicare, in libertatem asserere. Testamẽto deniq; fiebat liber, cum dominus suprema voluntate seruum suũ in testamenti serie liberũ scripsisset. Iurisconsulti testamentum quasi mentis testationem interpretãtur: quos Gellius & Laurentius arguunt. Gellius quidem, qui capite duodecimo li. 6. sic ait, Seruius Sulpitius iurisconsultus, vir ætatis suæ doctissimus, in lib. de Testamentis secundo, qua ratione adductus, testamentum verbum esse duplex scripserit, non reperio. nam compositum esse dixit à mentis contestatione. Quid igitur calceamẽtum, quid paludamentum, quid pauimentum, quid vestimentum, quid alia mille per huiusmodi formam producta? etiámne ista omnia composita dicemus? Obrepsisse autem videtur Seruio, vel si quis alius est qui id prior dixit, falsa quidem, sed non abhorrens, neque inconcinna quasi mentis quædam in hoc vocabulo significatio. Item Laurentius Valla cap. tricesimo sexto, lib. sexti ait: Testamentum, idem inquit, ex eo appellatur, quod testatio mentis est. Quæ definitio quorundam iurisconsultorum fuit: quos si iustè Aulus Gellius coarguit, quanto ego iustius hunc arguere possum, qui explosam

Plutar. in Problem.

Liuius lib. 2. ab vrbe condita.

atque derisam etymologiam inculcat? Nam cur à mente potius dicatur, quàm à mento, vel à menta? quia nihil ad hanc significationem mentum mentáve facit, inquies. Quid ergo mens ad salsamentum, ad ornamentum, ad condimentum, ad armamentum, ad pauimentũ, ad cæmẽtum, ad calceamentum, ad vestimentum, & huiusmodi infinita? non est ergo vera etymologia hæc. Neque à mente, neque à mento, neque à menta, sed potius hæc nomina aßumunt Tum syllabam, cum exirẽt antea in men, vt vestimen, calceamẽ, munimẽ, lenimẽ, nutrimẽ, spiramẽ, medicamẽ, velamẽ: quibus adiecta Tum, fit munimentum. lenimentum, nutrimentum, spiramentum, medicamentum, vestimentum, velamentum, calceamentum. ita testamen, addita syllaba Tum, fit testamentũ. quòd si à mente descenderet testamentum, testamentia diceretur, quemadmodum dementia & amentia. Tum notatio.) Notatio dicitur interpretatio nominis. A notatione verò deducitur argumentum, cum ex vi verbi elicitur. vt si dissentiẽtes Romanos videas, ciues esse negabis, hoc modo: Ciuitas est ciuium vnitas: vos autem vnanimes non estis: neque ergo ciues. sic si probare velis, vnam oportere in amicis esse voluntatem, dices: Amicus est animi custos, vnde & illud vulgo circumfertur:

Corporibus plures, mentibus vnus homo.

Lex AElia Sanctia.) Ab AElio Sanctio lata. ex duodecim tabulis, authore Cellio, desumpta est, in quibus ita scriptum erat, Aßiduo vindex aßiduus esto: proletario ciui, quiuis volet vindex esto. Aßiduus in hac lege, sicut ait Cellius, pro locuplete & facilè munus faciente dictus est, ab assibus, id est ab ære dando, cùm tempora Reipub. postularent. vel dictus est à muneris pro familiari copia faciendi aßiduitate. Hinc aßiduos testes metaphoricôs dicimus, quibus est adhibenda fides, & qui non facilè mentiuntur, & quorum testimonium non eleuatur, quales sunt viri primariæ authoritatis. Eadem ratione primarios illos linguæ vtriusq; principes, authores aßiduos, necnon classicos dicimus, vt vult Budæus in prioribus Annot. in Pandect. Proletarius autem dicitur, authore Cellio cap. 10. libri 16. à munere officioq; prolis edendæ, qui cùm parua re familiari Rempub. minus posset iuuare, sobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentabat. Hinc translatitiè proletarios testes appellamus, necnõ authores, qui nullius vel paruæ sunt authoritatis. Præterea vindex est, inquit Boëtius, qui alterius causam suscipit vindicandam. cuiusmodi sunt hodie, quos procuratores vocamus. Sed de vindice superius satis dictum est. Rodolphus Agricola Ciceronem reprehendit, q locum notationi fecerit inter ea quæ in substantia sunt, cùm notatio accidentium naturam vel maximè retineat & seruet. Nam & rei antequam fiat, & postquam est, nomen est: & aliud quoque nonnunquam eiusdem est rei nomen. vt Romulus post mortem est dictus Quirinus, à quiri vel curi, quod lingua Sabina hastam significat. nam hasta Romulus vtebatur. vel quia Græcè κύριος rex dicitur, vel propter generis nobilitatem: nam Mars cùm sæuit, Gradiuus: cùm tranquillus est, Quirinus dicitur. Hæc Seruius in librum primum Aeneidos. Sic Hippolytus postquam est redditus vitæ, Virbius est appellatus. Is dolis Phædræ nouercæ, à qua de stupro interpellabatur, ab AEgeo patre discerptus equis, dolo inquam: quia cùm illam de stupro interpellantem contempsisset, falso ad patrem Hippolyti detulit, Hippolytum sibi vim inferre voluisse. Hippolytus autem, non cùm esset incolumis, sed postquam distractus est equis, appellatus est, ἀπὸ τοῦ ἵππου καὶ λύω, id est, ab equo & à soluo siue distraho. de quo Virgil. 7. AEneidos sic habet,

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, insignem quem mater Aricia misit
Eductum AEgeriæ lucis Hymettia circum
Littora, pinguis vbi & placabilis ara Dianæ.
Nanque ferunt fama postquam Hippolytum arte nouercæ
Occiderit, patriásque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis ad sidera rursus
AEtherea, & cæli superas venisse sub auras,
Pœoniis reuocatum herbis & amore Dianæ.

His exemplis, puta Quirini & Virbij, nomen accidens esse rei Rodolphus ostendit. Publius tamen Nigidius apud Aulum Gellium cap. 4. lib. 10. argutißimè docet, nomina non positiua esse, sed naturalia. quod caput Cellij quia est longè elegantißimum, non pigebit totum ascribere. Nomina verbaq; non positu fortuito, sed quadã vi & ratione naturæ facta esse Publius Nigidius in grãmaticis cõmentariis docet: rem sanè in philosophiæ disceptationibus celebrem. Quæri enim solitũ apud

Ciuitas.

Romulus Lictus Quirinus

Hippolytus Virbius appellat

Lapsus est in nomine. Theseus enim Hippolyti pater fuit: Aegeus verò pater Thesei.

philosophos φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. in eam rem multa argumenta dicit, cur videri possint verba esse naturalia magis quàm arbitraria. Ex quibus visum est hoc lepidum & festiuum. Vos, inquit, cum dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atque animã porrò versum, & ad eos quibus cum sermocinamur, intendimus. At contrà cum dicimus Nos, neque profuso intensoq; flatu vocis, neque proiectis labiis pronũciamus, sed & spiritum & labias quasi nos intra nosmetipsrs coercemus. Hoc idem fit in eo quod dicimus tu, ego, & tibi, & mihi. Nam sicuti cùm annuimus & abnuimus, motus quidam ille vel capitis vel oculorum, à natura rei quam significat non abhorret: ita in his vocibus quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. Eadem ratio est in Græcis quoque vocibus, quam esse in nostris animaduertimus. Plato quoque in Cratylo vult, nomina, verba, & orationes natura esse, vt cætera instrumenta, quibus natura ad suas functiones necessarias vtitur. Vt enim animæ oculus instrumentum est ad colorem aliquem videndum, auris ad audiendum, lingua ad loquendum, & similia quæ natura sunt, non instituto: ita orationem menti ad verum aliquod percipiendũ, instrumentũ esse Plato dixit. Verùm dicant quod volent Nigidius & Plato, nomina sanè sunt arbitraria: quippe quæ non sint apud omnes eadem. Quæ verò naturalia sunt, eadem apud omnes sunt. Quare sunt accidentaria, sicut ait Agricola, non autem substantialia. Quid ergo? Cicero lapsus est qui substantialia fecit? minime profectò: sed est intelligendus. Cuius mehercule si sententiam mentemque capimus, eum à Rodolphi haud dubiè calumnia nullo negotio tuebimur, & sartum tectũ ab omni reprehensione seruabimus. Itaque Cicero, qui notationem verbi substantialem esse voluit, non sic intellexit, vt nomen ipsum rei substantiale vel natiuum esse diceret. Nõ enim ignorabat accidẽs esse, qui librum Aristotelis de interpretatione, vt alibi testatur, viderat. & illic capite de Nomine, nomen arbitrarium esse, non autem naturale, legerat. Quomodo igitur accepit? audi. tibi Ciceronis consilium aperiam, & explicabo paucis. Vt igitur definitio definitæ rei substantialis est, quia eius substantiam explicat: ita notatio verbi vocabulo substãtialis est. nam vocabuli quandam velut substantiam & naturam declarat: vt tumultus dicitur, in quo propter vicinitatem periculi timor multus est. Tumultus vocabulum est quod explicatur. Hæc verò oratio, timor multus, &c. vocabuli naturam & proprietatem explanat, nec ipsa oratio vocabulo accidit, licet vocabulum rei accidat, sed est natiua & substantialis. Sic abstemius est, qui temeto, quod prisca lingua vinum significat, abstinet. hæc oratio, qui abstinet temeto, interpretatio est vocabuli quod est abstemius, & cum eo conuertitur & obambulat. Nam omnis abstemius abstinet temeto, & quisquis temeto abstinet, ille est abstemius. nec accidit vt abstemius temeto abstineat, nam posset non abstinere: sed necesse est vt temeto abstineat, si abstemius est. si enim non abstineat, non est abstemius.

LATOMVS. Sed ad id totum &c.) Totum hic accipe quatenus re partes & notam amplectitur: quia hæc tria, vt suprà dixi, vnum sunt re & vi, & ratione differunt. Totum igitur in disserendo trifariam explicatur: definitione, partium enumeratione, & notatione, quorũ primum declarat, quid sit ipsum: secũdum, quæ sint partes eius: tertium, quæ vis verbi eius sit & origo. Explicatur autem, cùm in argumentum sumitur, vt quæ sit vis eius intelligatur. Debet enim omne argumentum notius esse eo, cui probando adhibetur. Itaque hæc tria cùm vnum sint re, & hoc loco nomine totius comprehendantur, tamen aliud atque aliud argumentũ præbent ex diuersis locis ductum. Cùm enim per se spectantur, totum, partes, & nota vocantur: cùm in argumenta sumuntur, in tres alios locos discedunt, definitionem, partium enumerationem, & notationem: qui nõ re ab illis, sed tractatione separati sunt. Et enim quod clausum est in illis, in his apertum & explicatũ est.

Ius ciuile est æquitas.) Definitio ista substantialis est, per genus & differentiam, cuius formula infrà tradetur. Declarat enim quid sit ius ciuile. Æquitas, genus est, & omne ius amplectitur, tam scriptũ, quàm nõ scriptum: cùm alio modo pro æquabili iuris ratione accipiatur, quæ extra scriptum est, in bonorum virorum sensu posita. Differentia, quoniam vno verbo significari non poterat, ex materia & fine collecta est: inter quos sit, & quem ad finem cõstituta æquitas. Quod additur, Eius autẽ æquitatis, &c. ad expositionem argumentationis pertinet, cuius hæc adsumptio est, quoniã syllogismo exponitur. Si neque censu, neq; vindicta.) Enumeratio formarum est, quibus omnibus remotis, genus tollitur. Nã sicut genere remoto, nulla formarũ relinquitur, & ex vnaquaque earum ipsum confirmari est necesse: ita omnibus formis sublatis, genus relinqui non potest, quæ

est huius loci Maxima. Sed hæc in toto & partibus locum non habent, quoniam differunt partes à formis. Cẽsus erat recognitio ciuium per capita, & quantum quisque haberet in bonis: quod quinto quoque anno fiebat à Cẽsoribus, à Seruio Tullio rege institutũ. In hunc igitur si quis seruus permittente domino nomen detulisset, receptus in numerum ciuium, libertatem consequebatur. Vindicta, erat ritus manumittendi apud Prætorem, tacto serui capite virga, quæ vindicta appellabatur, his verbis: Aio te liberum esse. Testamento patresfamiliæ manumittebant seruos suos quos volebant, & rata erat vltima voluntas. Atque his tribus modis serui apud veteres liberabantur. Sed plures postea introducti sunt principum constitutionibus, qui enumerantur primo Institut. de Manumiss. & C. Quibus ex causis seruus liber. cons. Ex vi verbi.) id est, ex sensu & interpretatione verbi, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant. Cùm lex Aelia Sanctia assiduo vindicẽ assiduum.) Aelia Sãctia nomen est legis, ab authore. Assiduo vindicem assiduum, id est diuiti assertorem diuitem. Quoniã hac lege cautum erat, ne quis seruũ pecuniosum in libertatem adsereret, nisi ipse diues & pecuniosus esset: ne si tenuioribus id liceret, facilè corrumperentur à seruis, qui eos in libertatem vindicarent.

HEGENDORPH. Quasi inuolutum.) Hoc est, tum à toto, id est, finitione argumentum ducitur, quando totum illud quod in quæstione collocatum est, id est, terminus in quæstione positus, definitione explicatur, quæ rei dubiæ fidem facit, & id quod inuolutũ est, euoluit. Exẽplum: dubitatur, An iuris ciuilis scientia vtilis sit. Vbi ius ciuile, subiecti loco: scientia vtilis, prædicati loco ponitur. Iam dubium est, an prædicatum subiecto verè adhæreat. Ipsum ius ciuile ad argumentum vocare non possum, de eo enim dubium est. Expendo igitur quid ei insit: inest verò ei finitio, quæ vt à nullo definito seiungi potest, ita nec à iure ciuili seiungetur. Definitio igitur ius ciuile est. Ius ciuile est æquitas.) In hac finitione æquitas genus est, nec quælibet æquitas est ius ciuile, sed æquitas cõstituta ciuibus eãdem vrbem habitantibus. Ad res obtinẽdas.) Id est, ad bona sua defendẽda. & est finitio finalis causæ. nam causam finalem iuris ciuilis ostẽdit. Exemplum aliud, An vsusfructus consistat in rebus quæ vsu cõsumuntur. vbi vsusfructus est subiectũ: res quæ vsu cõsumuntur, prædicati vice ponuntur. Iam dubiũ est, an prædicatum verè subiecto adhæreat, nécne. Ipsum vsumfructũ ad argumentũ vocare nõ possum, de eo enim quæstio est. Expẽdo igitur, quid ei insit. inest verò ei finitio: nã vsusfructus est ius alienis vtẽdi fruẽdi rebus, salua rerũ substãtia. Iam expendã, an hæc finitio prædicato thematis cõueniat, hoc modo: Sed illarum rerũ quæ vsu cõsumuntur, substãtia salua non manet, ergo illarũ rerum non est vsusfructus. Tum partiũ enu.) Partes dicũtur, quæ cùm totũ efficiant cõiunctæ, totius capiũt nomen: singulæ verò nullo modo, vt, manus, pedes, labra, oculi, nasus, vẽter, corpus humanũ cõstituunt, sed singula corpus nõ sunt. Ratio argumẽtãdi à partibus. Ex omnibus partibus cõiunctis totũ colligitur. Porrò in iis partib⁹ quæ specierũ loco ponuntur, si infirmare velis, cunctis vtẽdum est: sin affirmare, vna quælibet suffecerit. Exẽplum prioris est hoc loco in Cicerone: exẽplum posterioris est, Vindicta liber est, ergo liber existit. Si neq; censu.) Si quis cõsentiente domino nomen detulisset in cẽsum, ciuis Romanus reddebatur, & à seruitute asserebatur. & hoc est cẽsu liberum esse. Est autẽ Census, æstimatio facultatum seu bonorũ alicuius. author Asconius in Ver. actionibus. Neq; vindicta.) Vindicta, virga erat, qua lictor præmissis solennibus verbis seruum tãgebat, & dominus mox apprehẽsum dextera vertebat. Id quod Appianus lib. 4. Bellorũ ciuilium docet. Persius Satyra quinta, Quibus vna Quiritem Vertigo facit. De hac libertate habes in Cod. de Vindicta libertate. Exemplum aliud habes in l. 1. ff. de Actionibus & obligationibus, vbi Iurisconsultus enumerat partes, quæ specierum vicem obtinent ipsarũ obligationum. Iam sit quæstio, An Petrus mihi obligatus sit, Petrus est subiectum, Obligatus, prædicatũ: quod an rectè tribuatur, hoc argumento cõperero. Neq; ex contractu, neq; ex maleficio, neq; proprio quodã iure Petrus est mihi obligatus: ergo Petrus obligatus mihi nõ est. Item exẽplum habes Instit. Quibus modis ius patriæ potestatis soluatur. Cùm lex Aelia Sãctia.) Exẽplum Ciceronis ita intellige: Si dubium est, Vtrum, cùm lex Aelia Sanctia vindicem, id est, procuratorem velit esse assiduũ assiduo, locupletem locupleti esse velit: Lex Aelia Sanctia vindicem volens assiduo assiduum, subiectum est: prædicatum verò, locupletem locupleti. Iam vt sciatur quid lex per assiduum velit, vocis etymologia est eruenda, hoc modo: Assiduus est qui multa æra dat, Assem dare non nisi locuples potest, Assiduus igitur locuples est.

COVEANVS. Quasi inuolutum.) Quod vno nomine dicitur, inuolui videtur. Ius

ciuile est æquitas.) Ius ciuile, ius est cuiusque ciuitatis proprium: quanquam cùm nunc ius ciuile dicimus, intelligimus ius populi Romani: vt cùm Poëtam Græci dicunt, Homerum dicunt: qui propter excellentiam commune nomen Poëtarum fecit apud Græcos suum. Constat autem ius hoc ciuile populi Romani, ex legibus, plebiscitis, Senatusconsultis, edictis magistratuum, authoritate prudentum, more & consuetudine. De quibus omnibus dicerem, nisi ad te scriberẽ. Æquitas constituta.) A populo, aut ab eo cui populus condendi iuris potestatem concessit. nõ potest enim populus, nisi suæ voluntate, obligari: quẽadmodum scribit Cicero in nobilissima illa Cornelij Balbi defensione. Iis qui eiusdem ciuitatis sunt.) Iuris enim dissimilitudo varietatem ciuitatum facit, quemadmodum scribit Cicero in ea Oratione, quam paulò antè citabamus pro Cornelio Balbo, & primo libro de Legibus: quo in loco, eiusdem maximè ciuitatis eos facit, qui vt eisdem legibus, ita & eisdem vtuntur magistratibus. Ad suas res obtinendas.) Finis hic quidem est iuris ciuilis. Cicero pro Cecinna: Nam vt perueniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest: Vt retineam quod meum factum sit, sine iure ciuili non potest. Sed tribus tamen in rebus positũ esse ius ciuile vniuersum scribit Vlpianus, in conseruando videlicet suo iure, aut minuendo, aut nouo acquirendo Si neque censu.) Seruus qui volente domino censebatur, libertatem consequebatur. Cicero pro Cecinna: Cùm autem in censum vendidit, hoc iudicat: cùm ij qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum, qui cùm liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse. Idẽ primo de Oratore: Quid de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest: nonne ex iure ciuili potest esse contentio, cùm quæritur, is qui domini voluntate census sit, si lustrum non sit conditum, sitne liber? Neque vindicta.) Apud Prætorem. Quo de genere libertatis scribit his verbis Liuius Decadis primæ lib. 2. Præmium indici pecunia ex ærario, libertas, & ciuitas data. Ille primus dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipsi nomen fuisse: post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in ciuitatẽ accepti viderentur. Nec testamento.) Aut quauis alia vltima voluntate. in codicillis enim posse relinqui libertates, liquidi iuris est: quanquam codicillorum ius introductum nondum erat. Non est liber.) Imperfecta videtur hæc partium enumeratio: potest nanque manumitti seruus, vt neque vindicta, neque censu, neque testamento liber factus sit, is scilicet, qui inter amicos manumissus est. Quod quidem libertatis genus antiquissimum esse ex eo intelligi potest, quòd apud Comicos hoc modo seruos videmus liberari. Terentius in Adelp. Syre eho, accede huc ad me, liber esto. Tum notatio.) Notatio adhibetur ad id totum de quo quæritur: nã cùm rem totam nomẽ cõplectatur, & quẽadmodum paulò antè scripsimus, inuoluat: notatio, quæ nominis quædam est veluti definitio, ad totam rem non incommodè adhibebitur: cui quidem locus relictus nullus est, si rebus temerè nomina imponuntur, neque ad earum naturam accommodantur. Cùm lex Aelia Sentia.) Lex quædam fuit Aelia Sentia, ab Aelio & Sentio duobus latoribus (duæ enim erant familiæ, Aeliorum & Sentiorum) sic appellata, cuius multa in nostro iure mentio. erat autem de dandis libertatibus. Hæc autem lex quæ nunc à Cicerone AElia vel Sentia appellatur, lex est 12. tabularum, quemadmodum testatur Gellius li. 16. cap. 10. iis verbis scripta, ASSIDVO ASSIDVVS VINDEX ESTO: PROLETARIO CIVI QVIVIS VOLET VINDEX ESTO. Quæ lex cùm ad seruorum libertates nihil pertineat, dici nõ potest ea Aelia Sentia, cuius in libris Iureconsul. mentio fit. Existimo itaque verba hæc, Aelia Sentia, inducenda, & locum sic legendum, Cùm lex assiduo assiduum, &c. vt intelligatur lex 12. tab. Legem enim cùm dicimus, 12. tab. dicimus. Sic enim paulò pòst Cicero in loco à pari, At in lege ædes nõ appellãtur, hoc est in lege 12. tab. Quarũ vetustissimus interpres fuit quidã Sex. Aelius Catus, quẽadmodũ in Legibus, & in dialogis de Oratore testatur Cicero, quẽ hoc eodẽ loco nõ vt latorem legis, sed vt interpretem appellat. Neq; ego hoc tam commodè cogitare potuissem, nisi Aemarus Ranconetus Burdigalæ suæ decus, librum mihi ostẽdisset manu scriptũ, in quo hæc erat lectio, quam probamus. Legis igitur huius 12. tab. vis & sententia hæc est, Locupleti fideiussor locuples sit, inopi quiuis. in quo summa æquitas est. quem enim homo tenuis locupletem pro se fideiussorẽ inueniat? Locuplex porrò pro re qua de agitur, intelligẽdus est. Assiduus autẽ, vt Sex. Aelius interpretatur, appellatur locuples, ab ære siue asse (nã ab ære dicitur) dando, hoc est tributo conferẽdo: vnde quoque TRIBVS appellatas scribit Liu.

COMMENTARIVS. Tum definitio.) In vetusto codice sic legitur, Cùm definitio adhibetur, quasi inuolutum euoluitur id de quo quæritur. magis tamen probatur vulgaris lectio.

Sed totum hic latius accipit, vt significet totam rei comprehensionem totius naturæ, quæ fit vel finitione, vel partitione, vel etymologia. quod nomen antea per antonomasiam tribuebat finitioni, quia ea magis perfectiúsque rem totam, rerq; naturam complectitur. Ius ciuile.) Ius ciuile illud intelligendum est, quod proprium est vniuscuiusq; ciuitatis. Sic dicitur ius ciuile Romanorum, Lacedæmoniorum, Athenienſium. Sed quia ciuitates quæ moribus & legibus vtũtur, partim proprio iure, partim communi reguntur, factum est vt ius ciuile appelletur congeries illa morum & legum.

Tum partium.) Cùm partium nomine complectatur membra & species, eam posuit argumẽtandi formulam, quæ ex æquo conueniret vtriſq;. quanquam exemplum hoc ad species pertinet. Argumentatio hæc vocatur à Corniſicio Expeditio: à Fabio Argumentum à remotione. Neq; cenſu.) Tres sunt hæ species manumiſſionis legitimæ: numerantur etiam à Theophilo modi quidam naturales manumiſſionis inter amicos, per mensam, per epiſtolam. Porrò soli ciues Romani cenſebantur, eorúmque nomina in tabella cenſoria quinto quoque anno cum facultatibus perſcribebantur, vt vnuſquiſque tempore belli pro facultatũ portione conferret. Neq; vindicta.) Manumiſsio per vindictam fiebat apud magiſtratum, vt prætorẽ, mancipij autem caput virgula tangebatur, quæ vindicta dicebatur. Huius rei origo manauit à Vidicio ſeruo, ſi Theophilo credimus. Ex vi verbi.) Meritò notatio ad totum adhibetur, quia (vt ait Fabius) finimus aut vi, per comprehenſionem rei: aut partitione, aut etymologia: qua quidem in re Ciceronẽ videtur ſequutus & interpretatus. Adde quòd notatio ſæpenumero explicat propriam rei naturam. AElia Sanctia.) Legendum eſt, Sentia, vt legitur in vetuſtis codicibus, & lib. I. Inſtitutionum, titulo de libertinis, & quibus ex cauſis manumittere non licet. Verba legis AEliæ Sentiæ ſunt hæc, Aſsiduo ſit vindex aſsiduus, eſto proletario vnuſquilibet. ac vindicem interpretatur in lege, qui alterius cauſam vindicat. i. qui procurator & ſolicitator. Nonnulli tamen interpretantur vindicem, pro eo qui in libertatẽ aſſerit: quod tamen non videtur hoc loco quadrare. Quanq; capita erant quædam legis Sentiæ, in quibus tractabatur de manumiſsione. Locuples enim.) Sic in vetuſto legitur, Locuples enim aſsiduus eſt appellatus ab ære dando. Si AElius legetur, Sextum AElium intelligere oportet, qui (vt ait Põponius) tripartita ſcripſit, & duodecim tabularum interpretationes: citatúrque vt interpres iuris à Cicerone ſecundo de Legibus.

Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes diſtributum eſt. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex forma, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.

ANITII MANLII SEuerini Boëtij in Topica M. T. C. commentariorum Liber ſecundus.

IN tam difficillimi operis curſu non ſum neſcius, mi Patrici, quin labor hic noſter, quem te adhortante ſuſcepimus, dum iudicio multitudinis imperitæ aut eleuatur, aut premitur, facile variis reprehenſionibus mordeatur. Nam & illi quibus hoc totum diſſerẽdi diſplicet genus, velut ſuperuacaneũ ſtudium familiari prauis mentibus cauillatione deſpiciunt. Et qui maximum huius ſcientiæ fructum putant, ſua cæteros ſegnitie metientes, tanto nos operi pares eſſe non æſtimant. Quo-

rum quidem priores, si non inuidia laboris alieni æstimationem premunt, sed reprehensioni iudicióque consentiunt: nullo modo ferendos esse puto. Multóque in me libentius detorserim prauæ opinionis inuidiam, ac nostris eos diffidere viribus facillime patiar potius, quàm tantæ disciplinæ calcare rationem. Sed proh diuinam atque humanam fidem, quæ est hæc hominum prauitas? quæ tantæ est imprudentiæ cæcitas, vt penè sua sese ipsi confessione condemnẽt? Nullus est enim qui se videri nolit peritissimum disserendi: quinetiam obiectare ipsi aliquid, & resoluere obiecta conantur: & si facile id factu esset, cuncti ad scientiam logicæ disciplinæ, velut ad communia quædam sapientiæ lucra, concurrerent. Iam verò quid absurdius fingi potest, quã quòd probabilibus, vt ipsi existimãt, argumentis, inutile studium dialecticæ nitũtur astruere? Quid enim conuenit disserendi artem disserẽdo peruertere, vt cuius affectes opinionem, eiusdem despicias veritatem? Sed vt cantor ille discipulum sibi ac Musis canere iubebat: ita & ego quoque mihi, ac tibi, non Musæ, sed tanquam Musarum præsidi cecinerim. atque id quod multo labore studióque collegi, non rhetorica tantum facultate, verùm dialectica etiam subtilitate depromam. Quæ verò sequuntur, huiusmodi sunt.

Postquam locos eos ex quibus argumenta ducuntur, gemina partitione distribuit, alios in ipso de quo agitur hærere dicendo, alios extrinsecus assumi: eúmque locum qui in ipso de quo agitur hæret, in quatuor species secuit, id est à toto, à partibus, à nota, ab affectis: superioribus quidem tribus exempla subiecit. quæ nos primo volumine, quantum diligenter fieri potuit, explicauimus. Restat is locus quem posuit quartum, id est, ab affectis. Huius cùm multæ sint species, integri atq; indiuisi proponi non potuit exemplum: nam quorum facienda partitio est, melius per singula membra dispositis aperiuntur exemplis. Hunc igitur locum diuidit hoc modo, Locus qui ex affectis est, partim ex coniugatis, partim ex genere, partim ex forma descendit. ex similitudine etiam, vel ex differentia, vel ex contrario, necnon ex coniunctis, ex antecedentibus, & consequentibus, & repugnãtibus: ex causis etiam, atque ex effectis causarum, & ex comparatione maiorum, aut parium, vel minorum. quæ omnia Tullius paulò pòst conuenientibus rerum similitudinibus illustrat. Nunc illud nobis dicendum est, quæ sint affectorum naturæ, & quid habent proprietatis. Sunt enim affecta, quæ quodammodo ad aliquid referri possunt, ad id ad quod referuntur. omnia verò quæ se aliqua relatione respiciunt, aut amica inter se, aut dissidẽtia conferũtur. Si amica, vel substãtialiter: vt, genus, forma, antecedẽtia, consequẽtia, causa, effectus. vel in qualitate: vt, cõiugatũ, simile, cõiunctũ: vel in quantitate, vt paria. Quæ verò sibi dissidẽtia conferũtur, partim à se differẽtia sunt tãtũ. partim aduersa. sed aduersa, partim in qualitate, vt cõtraria, vel repugnãtia: partim in quãtitate, vt maius aut min⁹. Quæ cũ ita sint, manifestũ est, & amica sibi cognationis relatione cõiungi, & dissidẽtia hoc ipso q; sibi aduersa sint, ad se inuicẽ cõparari. Nã quæ amica sunt, amicis amica sunt, & dissidẽtia à dissidentib⁹ dissidẽt. Ita igitur & genus, formæ genus est: & forma, generis forma: & antecedẽtia consequentiũ, & consequẽtia antecedentiũ, & causa effectuum causa: & effectus, causarũ effectus: & cõiugata, coniugatis coniugata sunt: & simile, simili simile: & coniunctum, coniuncto coniunctum: & paria, paribus paria: & differentia, differentibus differentia: & maiora, maioribus maiora: & minora, minoribus minora, & contraria, contrariis contraria: & repugnantia repugnantibus repugnãtia sunt. Affecta igitur sunt, quæ cùm à se inuicem diuersa sint, ad se inuicem tamen referuntur. Sed quo ordine Tullius superius descripsit locos, nos definitiones omnibus apponemus. Eorum igitur quæ ad se inuicem affecta dicuntur, in M. Tullij disputatione prima sunt cõiugata. scilicet Coniugata voco, quæcunq; ab vno nomine varia prolatione flectuntur, vt à iustitia, iustus, iustum, iustè. Hæc inter se, cúmq; ipsa iustitia, vnde eorum vocabulum fluxit, coniugata dicuntur. Genus verò, quod de multis specie differentibus in eo quod quid est, prædicatur. velut animal dicitur de homine atq; equo: quæ specie differunt, & in eo quod quid est prædicatur. Interrogantibus enim nobis quid sit homo vel equus: Respõdetur, animal. Quod genus, licet necesse sit ab eo esse diuersum, cuius genus est, cognatum est ei tamen: quare ad id substantiæ relatione coniungitur. Species etiam est de qua genus superius prædicatur: quam Cicero formam vocauit: velut homo animalis. Similitudo est vnitas qualitatis. Nam duo quæ sibi sunt similia, eandem necesse est habere qualitatem. & quoniam ipsum sibi simile esse nihil potest, alij necesse est simile consideretur. Sed aliud esse non poterit, nisi fuerit in aliqua parte diuersum. Ergo similia à se, in alia quidem re diuersa sunt, in alia verò congruunt. In ea verò re qua secundum qualitatem congruunt, in ea esse similia intelliguntur: quæ ad se similitudinis ipsius copulatione referuntur. Differentia est, qua vnumquodq; differt ab

alio, vt homo ab equo rationabilitatis differẽtia discrepat. Hæc igitur prædicatione quidem propriæ naturæ ad ea refertur, quorum est differentia, vt rationabilitas ad hominem. Dissimilitudinis verò ratione ad ea, à quibus discrepat id cuius est differentia, vt rationabilitas ab bouem. Contraria verò sunt, quæ in eodem posita genere, longissimè à se discrepant, vt album atque nigrum. quæ licet in vno qualitatis genere ponãtur, à se tamen q̃ longissimè recedunt: ea quoq; ad se referri nullus ignorat. Aliud est enim quòd sunt, aliud quòd contraria sunt. quod enim nigrum est, quale est. quod verò contrarium est, ab albo plurimum discrepans est. Coniuncta verò sunt, quæ vnicuiq; rei finitimam naturã tenent, veluti timori pallor adiũctus est. Hæc talia sunt, vt sæpius quidẽ adiunctis sibi cohæreſcant: neq; tamen ex necessitate his quibus vicina sunt, adesse cogantur. Nã sæpe timori pallor assistit: non tamen semper, veluti cum dissimulatione premitur metus. atque ideò verisimilia ex adiunctis argumenta nascuntur. nam quæcunque coniuncta sunt, ea his quibus adhærent, indicio esse solent. Sed de his in posteriore disputatione diligentius differam. Antecedentia verò sunt, quibus positis aliud necesse est consequatur: vt, quia bellum est, esse inimicitias. hæc ordinis necessitatem tenent. consequentia enim ab antecedentibus separari non queunt. Consequens verò est, quicquid id quod antecedit insequitur. vt, inimicitiæ bellum consequũtur. nam si bellum est, inimicitias esse necesse est. habétq; locus hic illud notabile & spectandum, quòd sæpe quæ naturaliter priora sunt, tamen ipsa sunt consequentia. Sæpe & naturaliter antecedunt, & in propositione priora sunt: Nanq; inimicitiæ prius existere, quàm bella, solent. Sed non possumus proponere inimicitias, vt bellum sequatur. non enim possumus verè dicere, Si inimicitiæ sunt, bellum est. sed præponimus bellum: & inimicitiæ, quæ natura priores sunt, subsequuntur: ita, si bellum est, inimicitiæ sunt. Nũc igitur inimicitiæ quæ naturaliter bellum præcedunt, eædem bella in propositione comitantur. At si dicam, Si superbus est, odiosus est: superbia & naturaliter & in propositione odium præcedit: prius enim superbia consueuit existere: pòst verò, atq; ex eadem superbia veniens odium sequi. Nec interest vtrũ naturaliter quælibet res antecedat aliquam, an verò consequatur, dũ id in propositione annotemus, eam esse rem antecedentem, quæ siue naturaliter prior sit, siue posterior, alteram tamen rem secũ necessariò trahat. Repugnantia verò intelliguntur, quoties id quod alicui contrariorum naturaliter iunctum est, reliquo contrario comparatur: vt, quoniam amicitiæ atque inimicitiæ contraria sunt: inimicitas verò consequitur nocendi voluntas: amicitia & nocendi voluntas repugnãtia sint. Hæc quoque ad se contrarietatis similitudine referuntur. Causa est, qua præcedente aliud efficitur: vt causa diei, est solis ortus. Effectum est, quod præcedens causa perficit: vt dies quem solis ortus emittit. Maiorum verò comparatio est, quoties ei quod minus est, id quod maius est comparatur: vt si nemo innocens pelli in exilium debet, multo magis ne Tullius quidem, qui non innocens solùm, verùm etiam & patriæ fuit liberator. plus est enim esse patriæ liberatorem, quàm innocentem. Parium verò, quoties inter se paria comparantur: vt, Si hic ciuis innocens pelli in exilium non debet quia innocens est: nec ille quidem qui est innocens, carere patria iustè potest. Minorum verò, quoties minora maioribus conferuntur: vt si Ciceronem liberatorem patriæ præmio nemo dignum putauit: nemo eum putet præmio dignum, qui cùm tantùm innocens fuerit, nulla in Rempublicã contulit merita. Hæc itaq; omnia cognata sibi esse, & ad se referri inuicem, & se velut è regione respicere, nullus ignorat. Nam, vt de coniugatis primùm loquamur, & iustitia ad id quod iustum vel id quod iustè fieri potest, spectat, & eum qui iustus est, perficit. Cætera quoq; habent ad se non modò vocabuli cognationem, verumetiam cuiusdam naturæ congruentiam: ita tamen vt à se diuersa sint. Neque enim idem est iustitia quod iustus. Omne enim quicquid ab aliquo inflectitur, ab eo à quo inflectitur, est diuersum, eidémque cognatum, à quo etiam probatur inflexum. Genus etiam cognatum esse ei cuius genus est, id est speciei, quam Cicero formam vocauit, dubium non est. Genus enim, speciei genus est: & species, generis species. itaque ad seinuicem referuntur: licet idem, genus ac species non sint. Illud sanè videndum est, quoniam quas nos species nuncupamus, eas Cicero formas vocat. cui quidem, dum quod dicit intelligam, concedam libenter quibus voluerit vti nominibus: mihi verò non idem concedi potest. nam qui explanationis lucem professus est, in his verbis debet quæ sunt in vsu posita, versari. Id autem quod supponitur generi, vt species quàm forma potius nuncupetur, vsus obtinuit. Iam verò simile, nisi simili simile esse non potest: & quod differt, nisi à dissimili differre non potest. Contraria etiam contrariis intelliguntur esse contraria. Coniuncta etiam cõiunctis adhærescunt, & quæ sunt antecedentia, aliquid quod potest consequi antecedunt. Id etiam quod

est consequens, illud quod anteceßit insequitur. Omne etiam repugnans, repugnanti sibimet intelligitur inimicum. Causa etiam, effectus sui causa est. Quod enim quæuis causa efficit, eius rei quam efficit, causa est. effectus quoq;, causæ alicuius effectus est. Cõparatio verò maiorum, minora respicit, minorum verò maiora, parium paria: atq; in omnibus ea natura esse deprehẽditur, vt cùm per se res quædam sint diuersæ ab his ad quæ referuntur, affecta tamen esse dum comparantur appareant. Diuersa verò esse ab his ad quæ referantur, illa res approbat, quoniam nihil ad seipsum referri potest. Quæ cùm ita sint, iure affecta sunt nuncupata, quæ omnia eius loci qui ex affectis dicitur, species, vel formæ sunt, ipso etiam testante Cicerone, qui ait, Sed hoc genus in plures partes distributum est. Cùm enim genus dixit, quas scindit à genere species esse signauit. Præterea omnia hæc & nomen generis suscipiunt & definitionẽ. Affecta enim sunt ad aliquid, quæ ad id ad quod affecta sunt, referri queunt. Coniugata verò, & genus, & forma, & cætera ad ea semper ad quæ sunt affecta, referuntur. Sed vt superioribus locis dictum est, qui in ipso de quo agitur hærebãt, id est ex toto, ex partibus, ex nota: vt ex toto eo intelligeretur termino, qui fuisset in quæstione propositus: Itémq; ex eius partibus, atque ex eius nota: Eodem modo etiam in his quæ affecta sunt, dicemus ad eum terminum affecta cõsiderari, qui subiecti vel prædicati loco positus, continet quæstionẽ. Superest nunc illud dicere, cur quæ affecta sunt, in ipso de quo agitur esse dicantur. etenim in ipso de quo agitur termino, quatuor locos esse signauit, id est ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis: quorum tria quidem superiora, manifestum est in eo hærere de quo agitur termino. definitio enim cuiuslibet rei quod totũ est, in illo ipso est quod definit. Partes etiam in ipso illo sunt, quod collectione coniungunt. Nota etiam in illo est, quod appellatione signat. Affecta verò extrinsecus posita videntur: quippe quæ referũtur ad id, ad quod affecta sunt: quæ non referrentur, nisi extrinsecus posita intelligerentur. Cur igitur ea etiam quæ affecta sunt ad id, de quo agitur, inter eos numerauit locos, qui ipsi de quo quæritur termino cohærent, dicendum est. Quoniam id quod adhærere dicitur, non idem est ei cui adhærere prædicatur. Quæ cùm diuersa sint, cognatione tamen quadam intelliguntur esse coniuncta: veluti non idem est definitio, quod ipsa res quæ definitione describitur. Si enim definitio clarius efficit id quod definit: nihil verò ipsum sese clarius quàm est, efficere potest: manifestũ est id quod definitur, à definitione esse diuersum. Sed idcirco hærere definitionem in eo quod definitur dicimus, quòd est ei cognata atque cõiuncta: quippe quæ dum eius proprietatem significat, ab eius substantia non recedit. Partes etiam ac notæ diuersa sunt ab eo quod vel copulant vel designant. Sed quia illæ propositum terminum iungunt, illæ signant, habentes aliquam cum proposito termino cognationem, in ipso de quo agitur hærere perhibentur. Ita etiam in affectis, licet extrinsecus sint (neque enim sunt quod ea sunt ad quæ intelliguntur affecta) necessariò tamen, quia aliquam cognationem cum his habere considerantur, in ipsis hærere dicuntur ad quæ affecta sunt. Qui verò eorum naturalis ordo sit, vel quæ differentia, vel quæ sit alia locorum partitio, licet in topicis differentiis opportunius expediendum sit, tamen cùm exempla Ciceronis quæ in his explicandis attulit, exposuero, subiungam.

VISORIVS. Ducuntur etiam argumenta ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur.) Superius Cicero dixerat definitionem, partes, & notam ad ipsum totum adhiberi, qui primus est locorum gradus. Nunc secundum ingreditur, id est, res affectas ad id de quo quæritur, quas à toto quodammodo separat, non quòd in toto non sint, eas enim in toto paulò ante posuerat: sed quia ad totum adhiberi non possint. Siquidem hi demum loci ad totum adhiberi dicuntur, qui totam & vniuersam subiectæ materiæ substantiam complent: qui se nec latius fundunt quàm id de quo quæritur, nec arctius sese cohibent, sed cum eo reuertuntur & remeant. Quo fit, vt eos locos καθολικοὺς, id est vniuersales & reciprocos appellare possimus, quòd καθ' ὅλου, id est secundum totum, rei propositæ quadrent. vt definitio totum definitum ostendit, ita toti partes omnes æquipollent: eodem modo notatio verbi verbo respondet. At res affectæ secus se habent. non enim cum re proposita reuertuntur, vt genus plus quàm species, species minus quàm genus continet: nisi cum toto obambulare differens dicas. Verùm aliter Aristoteles secundo libro Posterioris resolutionis docet 14. cap. vbi definitionis inueniendæ methodum tradit. quippe qui dicat, quæcunque in definitione sumuntur, singulatim latiora esse, quàm sit res quæ definitur: vniuersa verò paria. Quare si differens seorsum à genere capiatur, amplius sese porriget quàm species. Si verò generi fuerit adiectum, definitæ speciei par erit. Rodolphus tamen Agricola libro 1. cap. 10. scribit Aristotelem in Topicis nomine proprij, quod par est & reciprocum, differen-

tiam quoque complexum fuisse: quod si ita est, differentia par erit ei cuius est differentia: nam proprium par est ei, cuius proprium est. Sed pace Rodolphi dixerim, non sub proprio, sed sub genere differentiam Aristoteles complexus est. propterea quòd latius pateat quàm species, quēadmodum & genus latius diffunditur. Sic enim primo Topicorum inquit: πᾶσα δὲ πρότασις καὶ πᾶν πρόβλημα, ἢ γένος, ἢ ἴδιον, ἢ συμβεβηκὸς δηλοῖ. καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν ὡς ὄσαν γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τατ'τέον. id est, omnis propositio atque omne problema, aut genus, aut proprium, aut accidens indicat. etenim differentia generalis cum sit, cum genere collocari debebit. Rursus obiici potest, locum à comparatione parium sub rebus affectis esse: proinde res quasdam affectas, ei pares esse cui affectæ sunt. Sed hoc sic diluitur. Paria dupliciter accipiuntur: vno modo pro æqualibus, id est pro rebus quanuis diuersis, tamen quantitatis eiusdem: aut potius pro his quæ parem inter se virtutem habēt, tantúmque possunt. hoc sensu paria sub rebus affectis sunt. Altero modo pro reciprocis accipiuntur, & sic ad totum adhibentur, neque res affectæ sunt. Rerum affectarum tredecim sunt species. Coniugata, quæ ex eo dicta sunt, quòd quadam vocis similitudine sub vnum quasi iugum deuincta sunt. ea sic finiuntur, quæ ab eodem orta variè commutantur, vt sunt iustitia, iustus, iustè. *Genus, notio dicitur, quæ sui similes communione quadam, specie verò differentes, duas aut plures partes complectitur: vt virtus iustitiam & prudentiam, quæ sunt virtutes, inter se tamen differentes. Species vel forma est, in quam sub se comprehensam diuiditur genus. vt fortitudo, quam virtus continet, & in quam virtus diuiditur. Sed oritur scrupus: Quare speciem Cicero rebus affectis subiecit, neque eam ad totum adhiberi dixit, cum species sit pars generis, partes verò ad totum adhibeantur? Qui nodus ita soluetur. Species non reuera partes generis sunt, neque genus totum, sed quadam analogia. Quia sicut totum suas partes complectitur, ita genus suas species cōprehendit. alioqui genus de suis formis pronunciatur, iisque prius est. Totum de partibus non profertur, & partibus est posterius. Sed inquies: Paulò antè dicebas, partes cum toto easdem esse, quocirca totum de partibus dicetur. verùm de partibus vniuersis illud intelligendum erat, non de singulis. de illis enim, non de his affirmatur. Rursus obiicitur: eodem argumento, quo partes cum toto facis easdem, species eædem cum suo genere fient. Quemadmodum enim partes vniuersæ toti æquipollent: ita species omnes suum genus æquant. Ergo si partes propterea ad totum adhibeantur, quòd toti sint pares, species etiam omnes ad totum adhibebuntur: non igitur res erunt affectæ. Hoc ego sic diluo: Cicero argumentum à specie vel à forma, non autem à formis, rebus affectis subiecit. nam si formas omnes recenseas, enumerationem quæ ad totum adhibetur facies. Si verò à formis ad genus vel ad alteram formam argumenteris, ab affectis probabis. Similitudo, rerum est diuersarum eadem qualitas: vt, Terra quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: ita ingenia nisi rectè excolātur, quo sunt fœliciora, hoc pluribus vitiis inquinantur. Differentia est, quam alibi dissimilitudinem vocat. ea est rerum diuersarum diuersa qualitas: vt, Qui pecuniam dat, quantum impartit aliis, tantum sibi detrahit: at qui hominem iustum laudat, quo magis eum laudat, eo magis ipsemet laudandus est. Cōtraria Cicero latius pro oppositis accepit, id est, aduersis, priuantibus, relatis, & contradicentibus, quorum omnium similis in argumentando ratio est. vt, Si Catilina nepharie egit, igitur Cicero præclarè. Adiuncta sunt quæ rem antecedunt, rei cohærent, rem sequuntur, ita tamen vt nulla necessitas intercedat: vt sunt, amor & concubitus, timor & pallor, iurgium & cædes. Antecedentia dicuntur, quibus positis alia sequantur oportet. Consequentia verò, quæ positis antecedentibus necessariò colliguntur. vt, Et ferro interfectus est ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in eo ipso loco, & nemo præter te ibi visus est, & causa nemini alij, & tu semper audax: quid est quod de facinore dubitare possimus? Causa est, cuius virtute aliquid efficitur. *Euētus, qui vi & impulsu causæ prouenit. vt, Si auaritiam tollere vultis, mater eius tollenda est luxuries. Repugnans habebis, si vnius contrarij consequens cum altero contrario conferas. vt, Virtus & vitiū contraria sunt: virtutem sequitur bona actio: quam si cum vitio conferas, repugnans es habiturus. Denique comparata sunt, quæ minora ex maioribus, maiora ex minoribus, paria ex paribus probant. Ea Quintil. apposita vocat. A maiori sic argumentaberis,

Seruare potui, perdere an possim rogas?

A minori: Nasica priuatus Tyberium Gracchum, mediocriter labefactantem statum Reipublicæ, iure cecidit: ergo Cicero consul Catilinam vniuersum orbem terrarum cæde & incendio vastare cupientum, iure occidet. A pari verò sic: Didoni licuit Carthaginem petere, igitur Æneæ Italiam

Genus quid *

* Effectus

petere licebit.

LATOMVS. Ducuntur etiam argumenta.) Diximus affecta vocari, quæ referantur ad rem, vt quæ ratione aliqua cum ea coniuncta, vel ab ea disiuncta sint. In quibus illud obseruandum est, ita enumerari ea à Cicerone, vt quemadmodum quodque natura proximum est ei ad quod afficitur, ita ordine suo locari. Primùm enim cõiugata sunt, quæ sola verbi inflexione à re distant: deinde genus & forma, quorum illud rem quasi partem sui complectitur: hoc ad eandem quasi ad fontem suum refertur. Post hæc similitudo est, quæ rei in eadem qualitate respondet. Similitudini opponitur differentia, quare & statim ei subiicitur. Differentiæ contrarium subiungitur, quòd non solùm differat à re, sed etiam ei repugnet. Adiuncta succedunt istis, quòd eueniant quidem circa rem, & in societatem eius cadant, similia tamen non sint. Adiunctis subiiciũtur antecedentia & consequentia, coniuncta necessariò cum re, sed in ordine quodam posita. His adiiciuntur repugnantia, quasi in eodem genere contraria. Post hæc causæ sunt, à quibus res efficitur: quibus è regione respondent effecta. Extremo loco est comparatio, quæ neque substantiam rei, neque qualitatem eius attingit, neque existit circa eam, neque eandem efficit, sed extrinsecus ex collatione quantitatis ei opponitur.

COMMENTARIVS. Ducuntur.) Interruperat enumerationem locorum subiectis trium exemplis: eum ordinem repetit enumerandi. Sed adnotandum est illum non dixisse res affectas ad aliquid, sed quodam modo, vt intelligatur non vera vbique relatio, sed qualiscunq;.

Coniugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno, variè commutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia. hæc verborum coniugatio, συζυγία dicitur: ex qua huiusce modi est argumentum, Si compascuus ager est, ius est compascere.

BOETIVS. Definitio coniugatorum à Cicerone prolata, talis est, Coniugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem, id est quæ ab vno verbo variis inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere verba sunt, Iustitia, iustus, iustè, iustum, & quæcunque alia in diuersas possunt vocabulorum species inflecti. Quæcunque enim ab vno quolibet orta, variè commutantur: hæc à Græcis quidem σύζυγα dicuntur, apud Latinos verò coniugata. Nam quod Græci συζυγίαν dicunt, nos coniugationem appellamus. Hæc autem sunt, vt sapiens, sapienter, sapientia, & quæcunque in varias partes orationis, variásque inflexiones, ab vno quodam ducta cernuntur. Ex cõiugatis igitur, argumenti nascentis hoc exemplum est, Sit enim dubitabile, an in aliquo agro mihi atque vicino simul pascere liceat pecus: id autem est, an ius sit compascere. Subiectum igitur est ager: compascere verò, prædicatum. Faciemus igitur argumentum hoc modo: Hic de quo quæritur ager, compascuus est. in compascuo autem licet compascere. in hoc igitur agro licet compascere. Hic igitur compascendi iuris argumentum, ex compascuo sumptum est: ex coniugato videlicet: compascere enim & compascuum, coniugata sunt. Sumptum verò est argumentum, ius esse compascere: quoniam sit ager cõpascuus. sed coniugatum est compascuum ei quod est compascere. A coniugatis igitur sumptum est argumentum: quod coniugatum, in ipso est de quo agitur, id est in compascendo: omnia enim ex eodem fluunt: & sui sunt continentia, atque se respicientia. Factum est igitur argumentum ex eo quod est in ipso ab affectis, id est coniugatis. Maxima verò propositio, Coniugatorum, in eo quod coniugata sunt, vnam atque eandem esse naturam: vel etiam sic, Cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius posse sociari.

VISORIVS. Coniugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem.) Paulò antè diximus, ex eo vocata fuisse cõiugata, quòd ipsa vocis similitudine sub vnum quasi iugum deuincta sint: vt est sub sapientia, sapienter, sapiens, sapere. Propterea Cicero sic ea finit, quæ sunt ex verbis eiusdem generis, id est, eiusdem originis. Genus enim nonnunquam pro origine capitur, qua significatione Iupiter Agamemnonis genus dicitur, id est, eius genealogiæ principium. Nam Iupiter

Tantali pater fuit, Tantalus Pelopis, Pelops Atrei, Atreus Agamemnonis. Eius significationis Porphyrius in sua quoque Isagoge meminit, quæ generis significatio quadrat cum eo quod Cicero subdidit, dicens: Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno variè commutantur. Oriuntur ab vno, quæ idem principium dictionis habent. Variè commutantur, quorum finis diuersus est. Cuius generis hæ tres voces sunt, iustitia, iustus, iustè. Nam earum idem est caput ius, ius, ius: diuersus verò finis, titia, tus, te. Eiusmodi coniugatio Græcè συζυγία, coniugata quoque vocantur σύζυγα. *Si compascuus ager est, &c.)* *Si dubium est an mihi vicinóque meo liceat pecus simul pascere in eodem agro, ex loco à coniugatis hoc argumentum depromam, Hic ager compascuus est, id est, communis pascendo totius viciniæ pecori. licet igitur compascere, id est, vt meum pecus simul tecum in eo pascam. Compascuus & compascere coniugata sunt. Coniugatorum triplex est distinctio. nam alia solius similitudinis nomine, non etiam significationis, cõiugata dicuntur, vt officium & officiosus, somnus & somniculosus: Alia sola significatione coniugantur, vt virtus & probus, seu mauis studiosus. Alia nomine simul & significatione coniugata sunt, vt sapiens sapientia, iustitia iustus. Coniugatorum non tam creber est vsus, quàm aliorum locorum. Nam quod ad alterius probationem sumitur, eo certius esse debet & notius, cui probando adhibetur. Verum coniugata ferè ex æquo vel nota vel ignota sunt: quippe quæ parum distent, neque re modò, sed & nomine plerunque arctissimè iungantur. Quo fit vt Quintilianus ridiculum putarit inter locos ea numerare, nisi Cicero his vsus hoc in loco fuisset. Nõ sunt tamẽ, teste Rodolpho, negligẽda. Quandoque enim acuminis, quandoque virium multũ, quandoque vtrunque habebunt. Inspicienda sunt igitur, & pertractanda. nam aliquid fortasse vel ex seipsis, vel quod ad alios locos pertineat, dabunt, & quod in altero coniugatorũ quærentes non inueniissemus, illius in altero nos admonebunt: vt si potentiæ bona vel mala quæras, ea facilius & expeditius in homine potenti posita consequeris, cùm eorum pericula, cautionem, beneuolentiam, inuidiam, virtutes, scelera, honestos fœdósque exitus spectaueris. Insuper ad definiendum prosunt. nam ex sapientis persona & officiis & actionibus clarius quid sit sapientia scies, quàm ex ipso sapientiæ nomine. Denique exemplorum nonnullorum vis ex hoc loco petitur, vt exul Rutilius, vinctus Regulus, Fabricius pauper, miseri non fuerunt: non sunt igitur exilium, vincula, paupertas, misera.*

LATOMVS. Coniugata dicuntur.) *Differt hic locus ab eo, qui ex notatione est: quoniam ille ex verbo tantum, hic ex re subiecta vim habet. Itaque ex coniugatis est, Compascuus est ager, ergo licet compascere, cùm in cõpascuo quasi ius cõpascendi intelligatur. Ex notatione autem compascuum id dicitur, in quo simul pascitur, nẽpe igitur vicini compascuus est ager, in quem tu pecus cõpulisti. Sic ex coniugatis est, Saxa & fustes arma non sunt, ergo armati non fuerunt, qui his vim fecerunt. At si dicas, armarunt se saxis & fustibus, ergo armati fuerunt, ex notatione erit, cùm ex vi verbi sit ductũ argumentũ. Armare enim, & instruere, & vera arma capere significat.*

HECENDORPHINVS. Coniugata dicuntur.) *Aristoteles in secundo Topicorum cõiugata vocat σύσοιχα, & ita finit: Coniugata dicuntur, quæ secundum eandem coniugationem sunt vniuersa, veluti iustitia, iustus, iustum, iustè.* *Si cõpascuus ager.)* *Si quæritur, An in aliquo agro vicino duobus cõpascere liceat, huic dubio ita fidem feceris: Cõpascuus est ager, ergo compascere licet. Porrò cõpascere & compascuus, coniugata sunt. Ex vno enim orta sunt verbo. Exẽpla alia. Is habet vsum ædium, ergo habet ius ædibus vtendi, vt ipse tãtum inhabitet, nec alios hoc iure vti sinat. §. Item is. Instit. de Vsu & habitatione. Item, Petrus ciuitatẽ amisit, igitur ciuium numero exemptus est. §. Cùm autem. Instit. Quibus modis ius patriæ potestatis soluatur.*

COVEANVS. Quæ orta ab vno, variè commutantur.) *Quæ eadẽ initia, casus verò diuersos habent. Neque tamen coniugata continuò dicentur, nisi re quoque & significatione verba conueniant: neque enim est, vt Amor, Amator dicantur coniugata.*

COMMENTARIVS. Coniugata.) *Rarum est vt à coniugatis argumenta duci possint, cùm præsertim vtraq; sint vel ex æquo nota vel ignota. Quocirca ait Fabius sese omissurũ fuisse coniugata, nisi à Cicerone fuissent posita. est tamen inde nonnunquam occasio ducendi argumenti, vt docet Rodolphus. Aristoteles in Topicis præter coniugata posuit etiam casus: ac coniugata appellauit, quæ confinem habent commutationem. casus autem, qui in aduerbium inflectuntur, vt sapiens sapienter. Nomine coniugatorum vtrunque complectitur Cicero.* Συζυγία.) *Legendum videtur* σύσοιχία. *Nam Aristoteles, vnde hoc desumpsit Cicero,* σύσοιχα *vocat coniugata. Cicero*

secundo de Oratore, cõiuncta. quãquam vocabulum quod in litera est, magis coniugationẽ referat.

Compascuus.) Festus Pompeius ait compascuum esse agrum, qui cõmuniter vicinis sit relictus ad compascendum pecus. vulgo appellamus agrum communem: cui penè similis est ager scriptuarius, in quo pecus pascere licet, dummodo cum pastore publicanus rationem conficiat.

A genere sic ducitur: Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia quæ numerata domi relicta est, non esse legata. Forma enim à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet: legata igitur videtur. A forma generis, quam interdum partem licet nominare, hoc modo: Si ita Fabiæ pecunia legata est à viro, si ei viro materfamilias esset: si ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. Genus est enim vxor, eius duæ formæ: vna matrumfamiliàs, earum quæ in manum conuenerunt: altera earum quæ tantummodo vxores habentur. Qua in parte cùm fuerit Fabia, legatum ei non videtur. A similitudine, hoc modo: Si ædes eæ corruerunt, vitiúmve fecerunt, quarum vsusfructus legatus est, hæres restituere non debet, nec reficere: non magis quàm seruum restituere, si is cuius vsusfructus legatus est, deperisset. A differentia: Non si vxori vir legauit omne argẽtum quod suum esset, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arcáne positum sit argentum, an in tabulis debeatur. Ex contrario autem sic: Non debet ea mulier cui vir bonorum suorum vsumfructum legauit, cellis vinariis & olearijs plenis relictis, putare id ad se pertinere. Vsus enim, non abusus legatus est. ea sunt inter se contraria.

BOETIVS. Genus est, *quod de qualibet specie in eo quod quid est, prædicatur. In eo autẽ quod quid est prædicari dicitur, quod de qualibet specie interrogantibus quid sit id, & respondere conuenit: & eius de qua respõdetur, speciei substantiam monstrat. Semper verò genus propriæ specie maius est, eámque intra ambitũ suæ prædicationis includit. Quo fit, vt quamuis in alia quoque dispartiri genus possit: speciem tamen suam nullo modo derelinquat. velut animal prædicatur quidem de homine, & hominis substantiam monstrat: Interrogantibus enim nobis, quid est homo? animal respõdetur. Idem tamen deduci in alia potest, velut in equum atque bouem, quæ animalia nuncupãtur: sed ita deducitur in diuersa, vt vnamquãque earum specierũ, quas continet, non relinquat. Vbicunque enim fuerit homo, necesse est vt sit animal. homo enim, animal est. Idémque de boue ac de cæteris. Ergo liquidò demonstratũ est, nomen generis à specie nullo modo separari. quòd si aliquando generis vocabulum vniuersaliter enuntietur, necesse est omnes species designari: vt si quis dicat, omne animal, & hominem designabit & bouem, & cæteras omnes species sub animalis nomine collocatas. Quæ cum ita sint, Quidam testamento mulieri argentũ omne legauerat: Quæritur an ei etiam numerata pecunia sit legata. Numerata igitur pecunia, in hac quæstione subie-*

ctum est: legata verò, prædicatum. Consydero igitur in alterutro eorum quídnam insit: vt ex eo quod in ipso est, aliquod argumẽtum requiram. video subiectum terminũ, qui est numerata pecunia: habere argẽtum genus, quod scilicet affectum est ad speciem suam ad quam refertur. Quæ enim ad seinuicem referuntur, affecta sunt. ergo quoniam argentum omne legatum est, & genus speciem propriam non relinquit: necesse est vt numerata quoque pecunia sit legata. Nam cum omne nomen generis legatum sit: nihil de speciebus videtur exceptum. velut siquis dicat omne animal viuere: nõ, vt arbitror, hominem tãtum, vel bouem, vel equum, vel sigillatim cætera, vel vnũ vel plura viuere dicit: vt tamen aliqua cum sint animalia, vitæ munere carere contendat: sed omne prorsus quicquid fuerit animal, viuere proponit. Cũ igitur omne genus, id est omne argẽtũ legatũ sit: nulla species excipitur. At numerata pecunia, argentum est: fit igitur vt numerata quoque pecunia legati vocabulo posit includi. Est igitur quæstio quidem, vt dictum est, an numerata pecunia legata sit. Argumentum ab eo quod in ipso est, id est à genere, quod inest propriæ speciei. quod ita ineſt, vt ad id referatur, hoc autem est argentum. ab affectis verò, à genere: prædicatur enim vt genus argentum, de numerata pecunia. Interrogantibus enim nos quid sit numerata pecunia: iure respondemus, argentum. Maxima propositio est, Cui conuenit omne genus, eidem vnamquanque speciem conuenire. Quam Marcus quoque Tullius diuersis quidem verbis, sed eadem significatione proposuit, dicens, Forma enim à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur. A forma generis.) Species est, quæ propiis differentiis informata, sub prædicatione generis collocatur. Differentiæ verò propriæ à cæteris eam speciebus separant atque seiungunt. velut homo, cum sit animalis species, differẽtiis informatur, rationabilitatis atque mortalitatis. & seiungitur ab his animalibus quæ æterna sunt, velut sol à Platonicis creditur, & ab his animalibus quæ sunt rationis expertia. Cum igitur omnes species inter se propriis differentiis distent: necesse est quod de altera specialiter dicitur, id in aliam non posse transferri. velut quod de homine dicitur specialiter, idem de equo atque boue non posit intelligi. Dicitur autem de specie, quoties genus ipsum velut in quandã contrahitur portionem. Velut si quis dicat, Illud animal sibi adduci debere, quod sit rationale & mortale. non vtique de equo, vel boue, aut de cæteris: nisi tantum de homine dictum esse intelligitur. vt igitur generaliter dictum genus omnes species claudit, cum quis dicit, omne animal: sic quodlibet animal designatum speciem facit. quæ cum ita sint: à forma generis, id est ab specie generis tale fit argumentum, quam formam generis Cicero partem sæpe nominat, quò id quod dicitur, planius fiat. Notius enim nomen partis est, quàm formæ. Quo autem distet forma à partibus, & nos strictim superius diximus: & paulò pòst à Cicerone ipso latius explicabitur. Nunc de proposito videamus exemplo. Vxoris species sunt duæ: vna matrumfamiliàs, altera vsu. sed communi generis nomine vxores vocantur. Fit verò id sæpe vt species iisdem nominibus nuncupẽtur quibus & genera. materfamiliàs non poterat, nisi conuenisset in manum. hæc autem certa erat species nuptiarum. Tribus enim modis vxor habebatur: vsu, farre, coëmptione. sed confarreatio solis pontificibus conueniebat. Quæ autem in manum per coëmptionem conuenerant, hæ matresfamiliàs vocabantur. Quæ verò vsu vel farre, minimé. Coëmptio verò certis solennitatibus peragebatur, & sese in coëmendo inuicem interrogabant. vir ita: an sibi mulier materfamiliàs esse vellet. Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamiliàs esse vellet. ille respondebat velle. Itaque mulier, viri conueniebat in manum. & vocabantur hæ nuptiæ, per coëmptionem. & erat mulier materfamiliàs, viro loco filiæ. Quam solennitatem in suis institutis Vlpianus exponit. Quidam igitur extremo iudicio omne Fabiæ vxori legauit argentum, si quidem Fabia ei non vxor tantum, verùm etiam certa species vxoris, id est materfamiliàs esset. quæritur an vxori Fabiæ legatum sit argentum. Vxor Fabia, subiectum est. legatum argentum, prædicatum. Quæro igitur quódnam ex his argumentum sumere posim, quæ in quæstione sunt posita. ac video vxori duas ineſse formas: quarum vna tantum vxor est, altera materfamiliàs, quæ in manum conuentione perficitur. quòd si Fabia in manum non conuenit: nec materfamiliàs fuit, id est non fuit ea species vxoris, cui argentum omne fuit legatum. Quocirca quoniam id quod de alia specie dicitur, in aliam dici non conuenit: cúmque Fabia præter eam speciem sit, quæ in manum conuenerit, id est, quæ materfamiliàs sit, & vir matrifamiliàs legauerit argentũ: non videtur Fabiæ esse legatum. Quæstio igitur, vt dictum est, an vxori Fabiæ omne argentum legatũ sit. subiectum, vxor Fabia. prædicatũ verò, legatum argentũ. Argumẽtum ab eo quod est in ipso de quo

quæritur:id est,ab eo quod est in vxore,de qua quæritur. Est autem in vxore,de qua quæritur,species vxoris:ea scilicet quæ in manum non conuenit:quæ ad eam affecta est. Omnis enim species ad suũ genus refertur,id est omnis forma.factũ est igitur argumentũ ab eo quod est in ipso,ab affectis, à forma generis. Maxima propositio est, Quod de vna specie dicitur, idem in alterã non conuenire.

A similitudine.) Similia dicuntur,quæ eiusdem sunt qualitatis.ex quibus hoc modo sumitur argumentum: Quidam testamento ædium vsumfructum legauit,id est concessit ædes,vt his alius diũ viueret,vteretur.hæ cœperunt vel vitium facere,id est ruinam minari, vel etiam corruerunt. Petit igitur ab hærede is cui ædium vsusfructus legatus est,vt earum sibi ædium quæ à testatore legatæ sunt,damna compenset:& ædes quæ vitium fecerunt,vel corruerunt,restituat. Quæritur an earum ædium quarum vsusfructus legatus sit,uitium vel ruinam hæres restituere cogatur.Hic igitur subiecta quidem oratio est,veluti quidam terminus ædium,quarum vsusfructus legatus sit, ruina vel vitium.Prædicata verò oratio loco termini constituta:ab hærede restitutio.Sumo igitur à simili argumentum,hoc modo, Quoniam siquis serui vsumfructum legauerit:ísque seruus aliquo modo deperierit,non cogitur restituere hæres seruum:ne nunc quidem cogetur hæres restituere ædes, quæ in vsumfructum legatæ,ruinam vitiúmve fecerunt. Similis est enim serui vsusfructus legatio, ædium vsusfructus legationi.Simile etiam seruum in vsumfructum legatum,si deperierit,ab hærede nõ restitui,& ædium in vsumfructum legatarum vitiũ ruinámve ab hærede nõ refici. Est igitur quæstio quidem,an ædium in vsumfructum legatarum vitium, vel ruinam hæres restituere cogatur. Termini verò, subiectus quidem,ædium in vsumfructum legatarum vitium vel ruina:prædicatus autem, ab hærede restitutio. Argumentum verò ab eo quod in ipso est, id est, ab eo quod inest vel ruinæ,vel vitio ædium in vsumfructum legatarum.Id autem est affectum, id est similitudo.Omnis enim similitudo ei inesse perpenditur,quod est simile:similitudo verò,est serui vsusfructus legati pereuntis:quem restituere hæres nõ cogitur.Maxima verò propositio,Similibus rebus eadem conuenire. A differentia.) In rebus plurimum differentibus quod de altera earum dicitur, non videtur in alterã conuenire.Id cùm ita sit,quidam argentũ suũ omne legauit vxori.Illa pecuniam quoque quæ in nominibus debebatur,suam esse dicebat,quòd omnis pecunia nomine vocaretur argenti. Quæritur an id quoque argentum quod in nominibus debebatur, legatum sit. Hic igitur subiectus est terminus,argẽtum quod in nominibus debetur.legatum verò,prædicatus. A differentia igitur faciemus argumentationem, hoc modo, Idem de plurimùm differentibus rebus intelligi non potest. Plurimum verò differt,argentum in arcáne sit positum,an in nominibus debeatur.Nã quæ posita in arca pecunia est,iuris est nostri:in nominibus verò debita, non est nostra. nam quod mutuum datur,ex meo fit accipientis .atq; ideo non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori,sed aliam tantam.In arca verò posita pecunia,& in nominibus debita:non sunt argenti vel pecuniæ species, sed differentiæ. nam argenti species,signatum ac non signatum esse, dictæ sunt. Qualitas verò pecuniæ,in possessione positæ vel non positæ,sed non modis omnibus alienæ,in his differentiis constat,vt alia sit in arca posita,reliqua in nominibus debeatur.atque hoc idcirco dictum est,nequis non à differentiis,sed à specie argumentationem ductam putaret. Qualitas enim substantialis non speciebus,sed differentiis annumeratur.Cùm igitur suum omne qud fuerit argentum,vir vxori legauerit:cúmque manifestum sit id ad eam pertinere,quod fuerit suum legantis:id est,quod in arca fuerit conditum:non potest intelligi de eo quod in nominibus debebatur. Quoniã,sicut dictum est,id quod in nominibus debebatur, ab eo quod in arca positũ est, plurimum differebat.Facta est igitur argumentatio ab eo quod in ipso inerat, de quo quærebatur. Quærebatur verò de argento in nominibus debito.In hoc verò inerat propria differentia,qua ab alio differebat argento, eo scilicet quod in arca positum fuerat.Id verò est affectum,id est differentia.Maxima verò propositio, De rebus plurimũ differentibus idem intelligi nõ posse. Ex contrario &c. Ea sunt inter se cõtraria.) Quod de aliqua re dicitur,id in eius contrarium non potest conuenire. Idem enim de duobus contrariis intelligi nullo modo potest. Quidam igitur suprema voluntatis arbitrio vxori bonorum suorum vsumfructum legauit. mulier cellas vinarias oleariásque plenas ad vsumfructum proprium deuocabat. Quæritur an penus quoque vsusfructus legatus sit. penus igitur vsusfructus subiectus est:legatio,prædicatum. A contrario igitur sumitur argumentum,hoc modo, Vtimur his quæ nobis vtentibus permanent:his verò abutimur,quæ nobis vtentibus pereunt.ergo cùm permanere ac perire contraria sint,vsus quoque atque abusus contraria necesse est iudicen-

tur.quòd si cætera quidem vtendo permanent,cellæ autem vinariæ atq; oleariæ vtendo consumũtur: aliarum quidem rerum vsusfructus esse potest, penus verò non potest vsus esse, sed potius abusus. Ergo cùm vir vxori vsumfructum bonorum legauerit:non potuit legare contrarium,quod est abusus.est verò abusus,vini atque olei. vinum igitur atque oleum ad vsumfructũ mulieris non potest pertinere. Argumentum,ab eo quod in ipso est,de quo agitur,id est ab vsusfructus legatione,atque ab affecto,id est contrario.contraria verò in contrariis non ita sunt,tanquã definitio in eo quod definitur,sed tanquam relatio.Omnis enim relatio in relatiuis,omniáque contraria nõ id quod sunt, id est qualitates,sed hoc ipsum quod contraria sunt in contrariis esse dicuntur:quia non secundum qualitatem propriam,sed secundum plurimam distantiam sibi inuicem conferuntur.Maxima propositio est, Quod alicui conuenit,id eius contrario non conuenire.

VISORIVS. A genere sic ducitur.) Quid sit genus,superius diximus. non pigebit tamen rursus definire.Genus igitur notio est(sic enim postea Cicero definiet)ad plures differẽtias pertinens.vt scientia genus est:nã ad plures differentias,id est,ad plures species inter se differentes pertinet:vt ad physicen,ethicen, logicen.Genus, teste Quintiliano, ad probandam speciem minimum valet,ad refellendam plurimum.Nam si genus tollas,speciem quoque tolles:vt,Si nõ est virtus,iustitia nõ est.Contrà, si genus affirmes,non protinus speciem affirmabis.quia non cõtinuo sequitur, iustitiam esse,si virtus est.Cicero tamen contra Quintil. præceptũ argumẽtari cuipiam in hoc genere minus versato fortasse videbitur, vtpote qui nunc ex affirmatione generis speciem confirmet. exẽpli causa: Argentũ genus est,numerata pecunia species.omnis enim numerata pecunia argentũ est,non autem contrá . Numeratam pecuniam vocat, quæ ad manum est, & in promptu:non autem,quæ in nominibus vel tabulis est. Sic igitur argumentatur:Omne argentum mulieri legatum est:igitur pecunia numerata legata est.Verùm hic nodus ita dissoluitur. Dixit Quintilianus,ad probandam speciem minimum valere genus,nõ autem minimè.Quare aliquo modo valet, nempe si in vniuersum sumatur,id est,si signum vniuersale(quale est omnis)generi præponatur.Vt omnis magistratus Romanus est in potestate populi Romani:igitur consulatus.non autem sic, Magistratus Romanus est in potestate populi Romani,igitur Consulatus.Nam hæc argumẽtatio simili argumentatione refellitur:vt animal est,igitur homo est:arbor est,igitur platanus est,nõ sanè sequitur. Legatum est.) Est autem legare,aliquid testamento relinquere,quod sit ei,cui legatum est, ab hærede præstandum.Sic enim Iustinianus titulo vicesimo de Legatis,legatum definit:Legatum donatio est,à defuncto relicta,ab hærede præstanda. Forma enim à genere.) Quãuis genus sine singulis formis esse possit,tamen sine omnibus esse non potest. Nam si genus omne dicis, formam etiã dicis:quare forma quoad suũ nomen retinet,id est,quãdiu forma est,à genere in vniuersum sumpto,nunquam seiungitur:hoc est, genus non est sine specie,si totum genus, non autem partem generis accipias. A forma generis.)Formam generis speciem appellat.formam autem per se non dixit,sed generis formam.nomen enim formæ vel speciei,sola comparatione ad genus inditum esse videtur, dictáque species est,vel(vt Cicero maluit)forma,quòd confusum & informe genus explicet,& speciendum (sic enim veteres loquebantur) nobis exhibeat, id est,adhibitis suis differentiis formet. Ipsius enim differentiam speciei si generi coniungas,formam habebis. Quapropter Cicero paulò pòst eam sic finiet:Forma est notio,cuius differentia ad caput generis quasi fontem referri potest.A forma dupliciter argumentum trahitur. Nam vnius formæ cõfirmatio,vel est alterius refutatio,vel generis approbatio.Prioris exemplum hoc est:Homo est,igitur bellua non est.Vides vt illius affirmatione speciei,sequitur huius infirmatio. Posterioris verò sic:Iustitia est,igitur virtus est.ex illa specie sequitur hoc genus.Nam species (authore Quintiliano)sui generis firmã probationem habet,infirmam refutationem . Nunquam enim à specie tolletur genus , nisi species omnes quæ sunt generi subiectæ remoueãtur.vt non sequitur,Iustitia nõ est,nõ igitur virtus.Potest enim esse fortitudo, vel prudentia, vel aliqua id genus . Verùm huiuscemodi remotio non huius est loci, sed illius qui à partibus dicitur. Partes enumerare licet.) Partes hoc in loco species appellat,qui tamen postea formas idem esse quod partes negabit.Sed hoc iam solutum est.& rursus hunc in modum soluitur.Partes duplices sunt,membra scilicet & species . Verùm quæstio nascitur : Si cum à forma nos argumentamur,partes vt Cicero tradit,enumerentur,non igitur hic locus ab illo differt, qui ab enumeratione partium vocatur.Sicut enim partes enumerantur,& propterea partium enumeratio dicitur:ita hic partes enumerandas esse Cicero præcipit.At diluitur.Et si hoc in loco par-

tes enumerare licebat, non sic tamen enumerãtur, vt totum, id est genus, vniuersaliter colligatur: sed propterea Cicero iubet eas enumerari, vt si in earũ aliquam id de quo quæritur includere possimus, statim genus concludamus. Cui enim formarum aliqua conuenit, eidem conueniet genus. Quia (sicut antè diximus) forma à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur. Aut si genus non includas, reliquas species negabis. Nam vnius speciei affirmatio, alterius negatio est: vtpote quæ diuersæ sint, neque de se inuicem dicantur. Si ita Fabiæ pecunia legata est.) Vt exemplum Ciceronianum à specie petitum illustremus, voces aliquot huius contextus explicandæ sunt. Vxor genus est: cuius duæ sunt species. vna materfamiliàs, quæ verè vxor est. Altera matrona, tantũ vxor nomine cõmuni dicitur. Matrona autem dicta est, vt Gellius & Budæus tradũt, quæ in matrimonium cum viro conuenit, quod in eo matrimoniũ maneat, etiam si sibi liberi nondum nati forent. Dictaq; est ita à matris nomine non iam adepto, sed cum spe & omine mox adipiscendo. vnde ipsum quoq; matrimonium dictum est. Mater verò familiàs appellata est ea sola, quæ in mariti manu mancipióq; esset, quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti, & in eius hæredis locum veniisset. Si ea in manum viri non conuenerat.) Id est, si Fabia in potestate viri non sit. nam manus pro potestate capitur, aut potius, si in manum per mutuam emptionem non venerit. Nihil ei debetur.) Id est, pecunia legata ei à viro non est. Tribus autem modis vxor (vt ait Budæus) antiquitus habebatur, vsu, farre, & coemptione. Quæ vsu & farre fiebant, matronæ vocabãtur. Quæ verò per coemptionem in manũ mariti cõuenerant, matresfamilâs dicebãtur. Coemptio certis solennitatibus peragebatur. nam vir & mulier sese coemendo interrogabant. vir ita mulierem: An mulier sibi materfamiliâs esse vellet, illa velle respõdebat. Item mulier virum interrogabat, an ille sibi paterfamiliâs vellet esse: respondebat velle. Et id est, quod dicimus in manum mancipiúmque viri conuenire: quæ solennitas coemptio vocabatur. Vt igitur ad argumenti explanationem veniamus, vir moriens vxori suæ Fabiæ pecuniam legauit, id est testamento reliquit, ea conditione si materfamiliâs esset. quòd si in manum mariti non conuenisset, id est, si materfamiliâs non esset, sed tantùm vxor, quæ matrona dicitur, nihil ei legauit. Sic igitur argumentum struitur: Fabia matrona est, id est, tantùm vxor: non est igitur materfamiliâs, neque in manum mariti conuenit: quare nihil ei à viro legatum est. A similitudine.) Similitudo est, in qualitate collatio: vt ædes exesæ, quarum vsusfructus legatus est, cum seruo mortuo, cuius itidem legatus est vsusfructus, conferuntur in eo quod est ab hærede, quem iurisconsulti proprietarium vocant, ei qui legatarius est non restitui. Legatarium appello, cui aliquid legatum est. Est autem vsusfructus, authore Iustiniano, ius vtendi fruendi rebus alienis, salua rerum substãtia. & eiusmodi ius in corpore est, quo sublato, ipsum quoque tolli necesse est. Sic igitur à similitudine argumentum deducitur. Si seruus deperiit cuius vsusfructus legatus est, hæres eum legatario restituere non debet: ita si ædes exesæ corruerint, quarum vsusfructus legatus est, non sunt ab hærede legatario restituendæ. Detur alia similitudo, vt locus hic clarior euadat. Quemadmodum ferrum vsu splendescit, sic animi nostri vigor exercitatione enitescit. vel sic, In facie plus offendit nævus aut verrucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ aut cicatrices: ita exigua delicta magna videntur in principe, cuius vita in conspicuo est. Quare Iuuenalis octaua Satyra meritò dixit:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

A differentia.) Differẽtia est, in qualitate dissimilitudo, vt, plurimũ refert in arcáne positũ sit argentũ, an in nominibus. Nomina Cic. pro debitoribus hic accipit, vel tabellis in quibus nomina debitorum conscripta sunt, aut etiam pro syngraphis creditarum pecuniarum, & rationũ capitibus: quo verbo in Verrem sæpe vtitur. vt inquit: Recita nomina, hoc est, res, personas, causas, in quas ille aut quibus expensum tulit. Idẽ actione 3, Tabulæ societatis à Carpinatio cõfectæ, significabãt multis nominibus & homines versuram à Carpinatio fecisse. Porrò lib. 3. Offic. eo in loco vbi meminit peramœnæ illius fabulæ Pythij & Canij, nomina eodem in sensu vsurpauit, cum inquit: Emit hortos Canius, homo cupidus, at locuples, tanti quãti Pythius voluit, & emit instructos, nomina facit, negotium conficit. Nomina facit, dicit Cicero, pro eo quod est debitorẽ se cõstituit. Vnde illud prouerbiale apud Columellã in primo: vel optima nomina nõ appellãdo fieri mala, fœnerator Alphius dixisse fertur. i. quãuis locupletes habeas debitores, tamen si diu iudicium ipsis non dictaueris, vsuráfque non petieris, mala tandem fieri, i. ipsos tandem non soluendo tanto ære alieno fieri, sicq; inanem

tandem perſecutionem & nomina caſſa ipſa fieri. Sed ad exemplum Ciceronianum reuertamur, quod eſt à diſſimilitudine. Argentum quod eſt in arca noſtra, noſtrum eſt: quod verò eſt in nominibus, non eſt noſtrum. nam mutuò datũ eſt. Mutuum autem, vt inquiunt iuriſconſulti, dicitur, quòd ex meo tuum fiat. Ergo ſi quis aliquid alteri mutuauit. i. mutuo dedit, deſinit eſſe poſſeſſor eius quod credidit, & is cui creditum eſt, idipſum incipit poſsidere, ſic vt quanuis id quod mutuatus eſt non ſit redditurus, tamen tantum quantum accepit reſtituere debeat. Poteſt etiam à diſſimilitudine hoc argumentum ſuperiore facilius depromi, vt ſi mulier laudatur, quæ pecuniam ſuam pluribus erogat, non protinus laudabitur ea quæ formam ſuam pluribus largietur. nam alia pecuniæ, alia formæ ratio eſt. Vel etiam ſic: Non timet mare qui non nauigat, non bellum qui non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non inuidiam priuatus, non terræmotum qui eſt in Calathia, nõ fulmen qui eſt in Æthiopia: at ſuperſtitioſus omnia timet, terram, mare, aërem, cælum, tenebras, lumen, ſtrepitum, ſilentium, ſomnium. Ex contrario autem ſic.) Contrarium eſt, vt inquit in Rhetoricis Cic. quod in diuerſo genere poſitum, plurimum ei repugnat cui contrarium dicitur, vt frigus calori, vitæ mors. Vſumfructum.) Vſusfructus ſecundum iuriſconſ. conſtituitur in fundo, iumentis, ædibus, ſeruis, & ſimilibus, exceptis his quæ vſu conſumuntur, vt ſunt vinum, oleum, frumentum, veſtimentum: quarum rerum nobis vtentibus ſubſtantia nulla remanet. quibus proxima eſt pecunia numerata: nam ipſo vſu, aſſidua permutatione quodammodo extinguitur. Cellis vinariis & olearijs, &c.) Id eſt, penu. nam ea omnia penu conitneri dicuntur, quæ ad victum priuatum pertinent, ſi modò domi repoſita ac recondita ſint. Vel vt Cic. in lib. de Natura deorum ſcribit, omne quo veſcuntur homines, penus eſt. Vide cap. 1. lib. 3. apud Cellium, vbi de penu ſermo fit. Vſus enim, non abuſus &c.) Donatus in Andriam apud Terentium, hoc inter verba vti & abuti diſcriminis eſſe dixit, quòd iis rebus vtamur, quæ nobis vtentibus permanent, neque conſumuntur: illis verò abutamur, quæ conſumuntur, nec permanent. vt fundo & ædibus vtimur: vino, oleo & pane abutimur. Donati autem hæc verba ſunt: Vtimur fructibus reiquæ ab amantibus ſaluo vſu nobis ſubminiſtratur. Abutimur, quando deperdimus & rem & fructum. nam vſui eſt ager, domus: abuſui oleum, vinum, & cætera huiuſmodi. A contrario verò argumentum eſt: vt, vitium eſt fugiendum, igitur amplectenda virtus.

LATOMVS. A genere ſic ducitur.) Huius loci maxima eſt, Sublato genere, formas omnes tolli, & vniuerſo genere confirmato, formas quoque omnes, vel vnamquamlibet earũ confirmari. Itaque efficitur, vt ſi omne argentum legatum ſit, pecuniam quoque numeratam legatam eſſe: quoniam numerata pecunia forma eſt argenti, quod in numeratum & non numeratum diuiditur. Sic, Omne animal fuit in arca Noë, ergo & leonem fuiſſe probetur. A forma generis.) Forma & genus mutui ſunt loci, quia ſicut ex genere ad formam: ita à forma ad genus argumentamur. Sed hoc intereſt, quòd genus poteſt ſeparari à forma, niſi vniuerſum ſumatur: forma à genere nunquam ſeparatur. Ergo ſi pecunia numerata legata eſt mulieri, certè argentum legatum eſt: quod eſt à forma ad genus. Sed Cicero alio exemplo vtitur, ex alia vi huius loci, nempe vt certa forma poſita, ſi ea vera non ſit, nihil efficiatur, quod ad differentiam referri poteſt: vt cum vxori matrifamilias pecunia legata ſit, ſi ea materfamiliàs non ſit, nihil deberi. Differt enim materfamiliàs ab ea quæ vſu tantum vxor habetur. Partes enumerat, cum dicit: Genus eſt enim vxor, eius duæ formæ, &c. quod facit vt partes in argumento planius accipiantur. Addit in exemplo, ſi ea in manum viri non cõuenerat, id eſt, ſi ea materfamiliàs facta non erat. Tribus enim modis ducebatur vxor apud veteres, vſu, farre, & coëmptione. Confarreatio, ritus erat nubẽdi, qui ad Pontifices tantum pertinebat. Vſu vxor erat, quæ tantum cohabitabat viro ad ſobolem procreandam, neque ius ſucceſsionis ab inteſtato habebat, quæ & concubina vocabatur. Coëmptione mulier in manum viri cõueniebat, his verbis, Vis mihi materfamiliàs eſſe? volo, inquit mulier. & vicißim illa virũ interrogabat, Vis mihi paterfamiliàs eſſe? volo, inquit vir: quo facto, mulier filiæ loco erat marito, & materfamiliàs appellabatur, & ab inteſtato ſuccedebat. Huc reſpexit Virgilius lib. 1. Georg. cùm dixit de Auguſto, Teq; ſibi generũ Tethys emat omnibus vndis: nimirũ coëmptionẽ ſignificãs, qua ius bonorũ inuicẽ viro ac mulieri acquirebatur. A ſimilitudine, hoc modo.) Similitudo eſt rerum differentium eadẽ qualitas, ſiue ea ſubſtãtialis ſit ſiue accidẽtalis: vt homo homini ſimilis eſt, virtus virtuti, ſapiens ſapiẽti. Huic differentia opponitur, quæ eſt rerum inter ſe collatarũ diuerſa qualitas, quam & diſſimilitudinem appellat Cicero: vt inter hominem & leonem, virtutem

& voluptatem, oratorem & citharœdum, perſeuerantiam & pertinaciam, tyrannũ & regem. Ex ſimilitudine argumentum eſt: Si vſusfructus ſerui extincti præſtandus non eſt, neq; ædium ruinoſarum præſtari debet. Item, ſi tutor fidem præſtare debet, debet & procurator: quoniam vterq; ex bona fide aliena negotia gerit. Item, ſi continentia laudanda eſt, laudetur & abſtinentia, quia vtraque ad moderationem cupiditatis pertinet. Differt ſimilitudo à paribus, quæ inter comparata referẽtur: quoniam ſimilitudo circa qualitatem eſt, comparatio circa quantitatem. Illud ignorãdum non eſt, aliud etiã genus ſimilitudinis eſſe, quod ſumptum à re ſimili quandam imaginem rei oſtendit, quod oratorum & poëtarum proprium eſt, neque ad inuentionem argumenti, ſed ad elocutionis ornatum pertinet. Diſtinguitur etiam à ſuperiori hoc modo, quòd in illo duo in vno tertio: in hoc autem duo in duobus cõferuntur. Eius exemplum ex Quintiliano eiuſmodi eſt: Sicut vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem inſtillantibus replentur: ſic tenera puerorum ingenia, quæ magna ſunt non percipiunt, parua & viribus ſuis apta facilius addiſcunt. Sed de hoc toto genere vide Rodolphum, qui comparata à ſimilibus diſtinguit, & vtraque ponit inter locos: ſed ſub comparatis vtranq; Ciceronis & ſimilitudinem & comparationem comprehendit. Oratorium genus ſimilitudinis nuſquam non eſt obuium apud oratores & poëtas, & magnam vim illuſtrandæ orationi adfert. Vitium ædes feciſſe intelliguntur, cùm ruinoſæ factæ ſunt. Vſusfructus eſt ius alienis rebus vtendi fruendi, ſalua earum ſubſtantia. Id autem ius ſeparatur à corpore, hoc eſt, à re, in qua conſtituitur, quæ domini proprietarij manet: extincto autem corpore, aut alia cauſa iuris exiſtente, ad proprietatem reuertitur. *A differentia.*) Differentia, ſicut iam dictum eſt, ſimilitudini opponitur: quoniam ambo circa ſubſtantiam & qualitatem ſunt: quæ cauſa etiam fuit Ciceroni, cur ea ſtatim poſt genus & formam, item & alterum alteri ſubiungeret. Argumentum ex differentia eſt, Mulieri omne argentum quod viri fuit, legatum eſt, ergo non eſt legatum argentum, quod in tabulis debetur. Differunt enim argentum quod noſtrum eſt, & quod in ære alieno eſt. Sic hæredem, ſi quid tibi à defuncto debetur, appellare poſſis, legatarium non poſſis, quoniam differt hæres à legatario, cùm in illum competant actiones defuncti nomine, in hunc non competant. Vulgatum argumentationis genus, & nuſquam non obuium, quotieſcunque ex diuerſis rebus altera confirmata, alteram tollimus, ſed non è contrario: niſi ſumantur contraria vel repugnantia, quæ vltro citroq;, ſiue affirmes, ſiue neges, nunquam in idem conuenire poſſunt. Quod in tabulis dicit, tabulas rationum intelligit, quæ accepti & expenſi vocabantur, & quas creditores ſibi & patresfamiliæ in rebus domeſticis conficiebant. *Ex contrario.*) Cõtrarium differt à differentia, quòd quæ cõtraria ſunt, non tantùm differunt inter ſe, ſed etiam alterum alteri è regione occurrit, vt bonum & malum, turpe & honeſtum, calidum & frigidum: quæ propriè ab aliis cõtraria, à Cicerone aduerſa vocantur. Alterum genus eſt priuantium, vt pietas & impietas: firmum & imbecillum, viuum & mortuum, viſus & cæcitas. Tertium relatiuorum, vt duplum & dimidium, pater & filius, dominus & ſeruus. Quartum negantium ſiue contradicentium, vt inter affirmationem & negationẽ: vt ſedere & non ſedere, doctum eſſe & doctum non eſſe, viuere & non viuere: quæ quatuor genera ab aliis oppoſita vocantur, de quibus inferius dicetur. Differẽtia autem inter plura eſt eiuſdem vel diuerſi generis, quorum vnum id ipſum quod alterum eſt, eſſe non poteſt: vt inter hominem & leonem, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, quæ ſunt diuerſæ virtutis ſpecies, cõtraria minimè dixeris. Sic durum molli opponitur, differt à frigido, ſicco & calido: & calidum opponitur frigido, ſed differt ab humido, molli & ſicco. Ex contrario igitur argumentum eſt: Mulieri vſumfructum bonorum ſuorum vir legauit: ergo non debet ea mulier petere quæ in cellis oleariis & vinariis ſunt: quoniam vſusfructus in his eſſe non poteſt, ſed abuſus potius, qui vſui contrarius eſt. Vſufructu enim res non conſumitur, ſed fructus capitur duntaxat, ſalua rei ſubſtantia: abuſu autem res perditur, & profligatur. Huius loci Maxima eſt, Contraria nunquã in idem conuenire poſſe, ſiue affirmes, ſiue neges quod ſumpſeris: niſi contraria mediata fuerint, vt album & nigrum, dulce & amarum, inter quæ multi medij colores & ſapores interiecti ſunt. In quibus eadem lex obſeruanda eſt, quæ in aduerſis, nempe vt nunquam ambo de eodem affirmentur, negari de eodem quandoque poſſint. Contraria autem, quæ immediata vocantur, nunquam neque affirmando, neque negando in idem coniunxeris.

HEGENDORPHINVS. *Forma enim à genere.*) Cicero ſpeciem vocat formam: partim quòd veluti forma tollit materiæ ipſius ruditatem, & eam vt forma, ita ſpecies gene-

ris ipsius confusionem tollit. Nam si dicas animal, confusum quiddam est: at si generi addas hominem, vel vaccam, vel leonem, generis confusio cessat: partim speciem vocat formam, & species sit cõmunis imago quædam naturæ, & forma, quæ est in multis individuis adumbrata & concepta ab animo nostro: vt cùm videas multos equos, circunfers animo impressam imaginem equi, & tanquã abumbratum simulachrum, vt vbicunque gentium sis, equum cognoscas. Porrò Aristoteles speciem vocat εἶδος, Plato ideam. *Si ita Fabiæ pecunia.*) Vt intelligas exemplum Ciceronis, ad hoc aduerte: Vxorem esse genus, eius speciem esse matremfamiliàs, & cõcubinam. Materfamiliàs est, quæ in manum mariti conuenit, hoc est, quæ legitimè marito nupta, in potestatem mariti tradita, & bonorum mariti socia existit. Cæterum concubina, quæ, vt hic inquit Cicero, vsu tantùm habetur, hoc est, loco vxoris alicuius habetur. *A similitudine.*) Est quæstio, an is cui legatus est ædium vsusfructus, id est, ius vtendi fruendi ædibus, ita tamen, vt ædes illæsæ maneant, debeat ruinam ædium in vsumfructum sibi datarum restituere? Huic dubio sic fidem feceris: Si ab eo quod hæret in ipso, id est, terminis in quæstione subiecti vice positis, videlicet vel ruina, vel vitio ædium legatarũ, argumentum duxeris, hoc modo: Vt is cui legatus est vsusfructus serui, si seruus deperit, hæres eum restituere non cogitur: ita quoque is, cui legatus est vsusfructus ædium, si ædes ruinam acceperint, hæres eas restituere non cogendus est. *A differentia.*) Quidam vxori omne argentum quod suũ esset, legauit: iam quæstio oritur, an etiam pecuniam quæ in nominibus erat, id est, debebatur marito, legata esset. Pecunia quæ in nominibus est, subiectum existit, legata, prædicatum. Vt huic dubio fiat fides, videndum est quid in subiecta voce insit. Iam inest differentia, vnde sic colligitur: Non ergo vxori vir legauit argentum, &c. Cicero exemplum sumpsit ex l. Q. Mutius. §. Argento omni legato. ff. de Auro & argento legato: vbi sic dicitur, Argento omni legato quod suum esset, sine dubio non debetur id quod est in credito: hoc ideo, quia non videtur suum esse, quod vendicare non possit. *Ex contrario.*) Quæstio est, An legatus sit penus ab eo qui vxori vsumfructum bonorum suorum legauit. At non legatum esse penum, probat Cicero hoc argumento: Vsusfructus legatus est, ergo non & abusus. Porrò vtimur his quæ nobis vtentibus permanent: abutimur his, quæ nobis vtentibus pereunt. Ad hoc exemplum Ciceronis facit §. Instituitur, Instit. de Vsufructu. Constituitur autem vsusfructus non tantùm in fundo & ædibus, verumetiam in seruis & iumentis, & cæteris rebus, exceptis his quæ ipso vsu consumuntur. vt vinum, oleum, frumentum, vestimenta, &c. Exempla alia: Contrahit, ergo nõ distrahit. Prætor rem meam esse pronunciauit, ergo non tua est. In l. Pomponius. §. Sed & his. ff. de Procuratoribus.

GOVEANVS. Quoniam argentum omne.) Legauit vir vxori omne argentum: Legasse, inquit Cicero, pecuniam quoque numeratam videtur, quia in omni argento contineri ea videatur. Cõtrà tamen Vlpianus. ff. de auro & argento leg. cuius hæc verba sunt: Cùm aurum & argentum legatum est, quicquid auri argentique relictum est, legato continetur, siue factum, siue infectum sit: pecuniam autem signatam placet eo legato nõ contineri. Idem aliquanto pòst, An cui omne argentum legatum est, ei numi quoque legati esse videantur, quæritur, & ego puto non contineri. non facilè enim quisquam argenti numero numos computat. Quoad suum nomen retinet.) Forma quoad generis nomen retinet, nunquam à genere separatur: tum separatur, cùm amisit. Legauit vir vxori ligna omnia, arbores stantes non legauit. Suum pro eius, non semel à Cicerone dicitur: nisi malis suum nomen, naturale esse nomen: vt numi argentei nomen naturale sit argentum: quod quidem amittit cùm percussus est, tum enim numus dicitur. *Si ea in manum viri non conuenerat.*) A definitione videtur, non à specie ductum argumentum. definitur enim materfamiliàs, vxor quæ in manum conuenit: eáque definitio dicitur Fabiæ non conuenire, quoniam vxor tantùm sit habita. De Matrefamiliàs Vlp. in l. Pronunciatum, de Verb. significatione, Matremfamiliàs, inquit, accipere debemus, eam quæ non inhonestè vixit: matrem enim familiàs à cæteris fœminis mores discernunt atq; separant. Proinde nihil intererit, nupta sit an vidua, ingenua sit an libertina. Nam neq; nuptiæ, neq; natales faciunt matresfamiliarũ, sed boni mores. Id & Cicero de patrefam. scribit in oratione pro Quintio: Memini, inquit, vetus est, de scurra multò facilius diuitem, quàm patremfamiliàs fieri posse. Porrò autem in manum cõuenire, est in viri manum tradi: quod genus matrimonij à Terentio in Andria significatur. Hanc, inquit, mihi in manum dat: mors continuò ipsam occupat. Quæ igitur sic in viri manum conuenerant, Matresfamiliàs appellabantur. Quarum duo genera facere Cicero videtur in oratione pro Flacco, iis verbis: Atenim Androni

Sextilio grauis iniuria facta est, & non ferenda, quòd cum esset eius vxor Valeria intestata mortua, sic egit eam rem Flaccus, quasi ad ipsum hæreditas pertineret. In quo quid reprehendas, scire cupio. quòd falsum intenderit? qui doces? Ingenua, inquit, fuit. O peritũ iuris hominem. quid? ab ingenuis mulieribus hæreditates lege non veniunt? In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. sed quæro, vtrum vsu, an coëmptione? vsu non potuit: nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorũ authoritate diminui. Coëmptione? Omnibus ergo authoribus: in quibus certè Flaccũ fuisse nõ dices. Quæ tantummodo vxores habentur.) *Scriptum sic est ff. de ritu nuptiarum, In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligẽdæ sunt: si non corpore quæstum fecerit. Multũ itaque interest inter concubinas, & eas mulieres quæ tantummodo habẽtur vxores. Terentius in Adel. Postremò quando ego conscia mihi sum, à me culpam esse hanc procul, Neq; pretium, neque rem vllã interceßisse illa aut me indignam experiar. Geta. Vxor igitur erat AEschini Philumena, nõ concubina: Alioquin qui auderet mater experiri? Hæres restituere non debet.)* Si quidem sine eius facto culpáve corruerũt, vitiúmve fecerunt. Restituuntur autem collapsæ ædes: reficiuntur, quæ vitium fecerunt. Quid reficere sit, explicat his verbis Vlpianus, Reficere est, quod corruptum est, in priſtinum statum restaurare. Verbo reficiendi tegere, substruere, sarcire, ædificare, item aduehere, adportaréque ea quæ ad eandem rem opus sunt, continentur. ff. de Riuis l. 1.

A differentia.) Differentiam diſsimilitudinem dicit, non eam qualitatem quæ speciem cum genere constituit. Argentum quod suum esset.) *Si quis legauit vxori omne argentum quod suum esset, non videtur legasse quod in credito erat. Paulus in L. Si ita legatum. ff. de auro & argento leg. Si ita, inquit, legatum esset, VESTEM MEAM, ARGENTVM MEVM DAMNAS ESTO DARE: id legatum videtur, quod testamenti tempore fuisset, quia præsens tempus semper intelligitur, si aliud comprehensum non sit. Nam cum dicit, vestem meam, Argentum meum: hac demonstratione, meum, præsens, non futurum tempus ostendit. Vlpianus in L. Q. Mutius, eo tit. Argento, inquit, omni legato, quod suum esset, sine dubio non debetur id quod in credito est: hoc ideo, quia nõ videtur suum esse, quod vindicari nõ potest. Pomponius in l. scribit Q. Mutius, eo tit. Scribit, inquit, Q. Mutius: si aurum suum omne vxori paterfamiliâs legasset, id aurum quod aurifici faciũdum dedisset, aut quod ei deberetur, si sub aurifice repensum non esset, mulieri non deberi. Pomponius. Hoc ex parte verum est, ex parte falsum. nam de eo quod debetur sine dubio: vtputa si auri libras stipulatus fuerit: hoc aurum quod ei deberetur ex stipulatu, nõ pertinet ad vxorem: cùm illius factum adhuc non sit. id enim quod suum esset, non quod in actione haberet, legauit. In aurifice falsum est, si aurum dederit, ita vt ex eo auro aliquid sibi faceret. nam tunc licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutauit. manet enim eius qui dedit: & tantùm videtur mercedem præstaturus pro opera aurifici. per quod eò perducimur, vt nihilominus vxori debeatur. Quòd si aurum dedit aurifici, vt non tamen ex eo auro fieret sibi aliquod corpusculum, sed ex alio: tunc quatenus dominium eius auri transit ad aurificem (quippe quasi permutationem fecisse videatur) & hoc aurum non transibit ad vxorẽ. Ad hæredem tamen etiam quæ in nominibus sunt, transeunt. l. Hæres. de Acq. hæred. ff.* In arcâne posítum sit argentum.) *Non est necesse, in arca positum esse argentum: satis est, posse vindicari, & in dominio nostro esse.* Non debet ea mulier cui vir bonorum.) *Iulianus in l. Quoties, de Vsufructu, Vniuersorum, inquit, bonorum, an singularium rerum vsusfructus legetur, hactenus interesse puto: quòd si ædes incensæ fuerint, vsusfructus ædium specialiter legatus peti non potest: bonorum autem vsufructu legato, areæ vsusfructus peti poterit. quoniam qui bonorum suorum vsumfructum legat: nõ solùm eorum quæ in specie sunt, sed & substantiæ omnis vsumfructum legare videtur: in substantia autem bonorum etiam area est.* Cellis vinariis & oleariis.) *Earum rerum quæ vsu consumuntur, vsusfructus neq; naturæ iure, neque verò ciuili constitui potest: cùm vsusfructus, vti Paulus ad Vitellium scribit, aliud nihil sit, quàm ius aliena re vtendi fruendi, salua rei substantia: vt re sublata & cõsumpta, tolli vsumfructũ necesse sit. Cùm igitur oleum, vinum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, quæ & ipsa vsu & assidua permutatione quodammodo extinguitur, vtendo consumantur, neque in hoc rerum genere constitui vsusfructus possit: non debet ea mulier cui vir bonorum suorum vsumfructum legauit, vino & oleo relictis putare ius sibi esse vtendi fruendi. vsus enim ei, non abusus relictus est. hæ autem res in abusu consistunt, vt scribit Vlpianus in l. Hoc. 5. C. §. si pecuniæ, de Vsufructu earũ rerum, quæ vsu consumun-*

tur. Senatus tamen vtilitatis causa censuit, posse etiam earum rerum vsumfructum constitui, vt tamen eo nomine hæredi caueatur. Itaque si pecuniæ vsusfructus legatus sit, ita datur legatario, vt eius fiat, & legatarius satisdet hæredi de tanta pecunia restituenda si morietur, aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, vt eius fiant: sed æstimatis iis, satisdatur, vt si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fuerint æstimatæ. Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructum, neque enim poterat, sed per cautionem quasi vsumfructum constituit.

COMMENTARIVS. *A genere.*) Argumentari solemus à genere ad speciem negatiuè, non autem affirmatiuè: nisi genus ipsum vniuersaliter comprehendamus, vt in exemplo Ciceroniano. Cæterùm Vlpianus in titulo de argento & auro legato, à Cicerone dissidet. ait enim nomine argenti non comprehendi pecuniam muneratam & percussam. *Forma enim à genere.*) Obiter inseruit locum Aristotelicum, id est, Axioma indubitatæ fidei, à quo argumenta ducuntur. Sensus est, Posito genere vniuerso, nullam seiungi formam, modò ea vera sit, id est, nomen generis retineat. vt tempore Vlpiani, argenti nomen pecunia percussa non retinebat. *A forma generis.*) Fabius definitioni genus & formam subiungit, quia definitionem ait constare genere, specie, differentia, proprio: Cicero autem separauit, éstque sequutus argumenti inuentionem, quæ alia est in definitione, alia in genere & specie. *Quam interdum partem &c.*) In vetusto sic legitur, quam interdum, quò planius accipiatur, partem licet nominare. atque hæc est germana lectio, quam sequitur Boëtius: Quam formam generis Cicero partem sæpe nominat, quo id quod dicitur planius significat. Porrò Latinis nomen partis erat notius quàm speciei aut formæ in hac significatione: quoniam species & forma vocabula sunt è Græco expressa. *Si ita Fabiæ.*) Argumentamur à specie aliquando directè, quando posita specie ponimus genus, aut quum per expeditionem sublatis speciebus tollimus & genus. sed hæc posterior species refertur ad partium enumerationem. Aliquando verò argumẽtamur obliquè, quum posita specie altera alteram tollimus, aut vniuersa: quo pacto hic Cicero argumentatur. Si enim duntaxat est vxor, non est materfamiliàs. Vis autem huius argumenti obliqui pendet à disparatis. *Si ea in manum viri.*) Videtur ferè argumentum esse à differentia, quoniam materfamiliàs differt ab ea quæ tantummodo est vxor per conuentionem in manum. Sed tamen hæc differentia videtur esse duntaxat argumẽti approbatio. Est enim argumentum, Vxor est duntaxat, non igitur materfamiliàs. adiicitur approbatio, quia in viri manum non conuenit. *Vna matrumfamiliàs.*) Matresfamiliàs appellantur vxores illæ, quæ in viri potestatem conuenerant per coëmptionem. Habentur loco filiarum, ac marito possunt esse hæredes, vt potest filia patri. Aliæ habentur duntaxat vsu, habentúrque veluti concubinæ: qui tamen ex eis nascuntur, legitimi sunt, ac patrem sequuntur. *A similitudine.*) Similitudo est duplex. Alia enim valet ad argumentum inueniendum, & aliquid confirmandum: de qua in præsentia loquimur. Alia valet ad illustrandum & ornandum, de qua loquitur Fabius lib. 8. Quanquam reuera vtriusque est eadem ratio. Ad hunc locum referuntur multa argumenta per fictionem, quæ appellat Fabius per hypothesin: multa quoque vera exempla, vt docet Fabius libro quinto. quanquam exempla quædam referuntur ad comparationem, vt illic quoque docet Fabius. *Si ædes exesæ.*) In antiquo legitur, Si ædes ex se corruerunt. quæ lectio videtur probabilior. Nam Boëtius in interpretatione nullo modo EXESAE agnoscit. quidam etiam codex habet, Si ædes hæ.

Vsusfructus.) Vsusfructus, potestas est alienis rebus vtendi fruendi, salua rerum substantia: potitúrque corpore, quo deperdito, perditur vsusfructus. Differt autem ab vsu, vt docet Iustinianus lib. 2. Institutionum. *A differentia.*) Locus hic contrarius est priori. est enim differentia dissimilitudo, qua res discrepant. Potest in hunc locum reduci, proprium. Nam id quo res discrepat ab alia, si cum re sua comparetur simpliciter, proprium erit: si cum alia, differens & dissimile.

Magnus est huius loci vsus in solutione similitudinis exemplorum, in oppugnatione finitionũ, & quum quæritur de eodem & alio. Huius hæc est ratio, vt posita aliqua qualitate vel essentiali vel accidentali, ostendamus quantum inter res interfit. *In nominibus.*) Nomina appellantur, inquit Asconius, tituli debitorum in aduersariis aut breuiariis scriptorum. *An in tabulis.*) Nam quod in tabulis scribitur, est mutuum. Mutuum autem dicitur, vt aiunt Iurisconsulti, quia fiat ex meo tuum. legauerat autem argentum suum: non igitur quod positum erat in nominibus. *Ex cõtrario.*) Cõtrarium generaliter accipere debemus pro oppositio, vt complectatur quatuor species, ad-

uersa, priuantia, relata, aientibus contraria. Quanquam autem contrarium generaliter accipit, tamen ab aduersis (quæ propriè ab Aristotele contraria dicuntur) petiuit exemplum, propterea quòd ea faciem contrarietatis & oppositionis magis præ se ferunt. Vsumfructum.) Iustinianus ait vsumfructum constitui in his rebus quæ ipso vsu non consumuntur, vt in fundo, in ædibus. contrà verò non constitui in oleo, vino, & vestimentis, quia ipso vsu consumuntur.

Ab adiunctis: Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari. adiungitur enim, vt secundum seruorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari. Ab antecedentibus autem, & consequentibus, & repugnantibus, hoc modo: Ab antecedentibus: Si viri culpa factum est diuortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet. A consequentibus. Si mulier cùm fuisset nupta cum eo cui connubij ius non esset, nuntium remisit: quoniam qui nati sunt, patrem nō sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. A repugnantibus: Si paterfamiliàs vxori ancillarum vsumfructum legauit à filio, neque à secundo hærede legauit, mortuo filio mulier vsumfructu non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo inuito cui datum est auferri non potest. repugnat enim, rectè accipere, & inuitum reddere.

BOETIVS. Adiuncta sunt, quæ proximum ac finitimum locum tenent: vt si vnum eorum quolibet extiterit modo, alterum quoque vel extitisse, vel extare, vel extiturum esse videatur: hæc enim sibi quasi vicina sunt. Quæ verò in existendo sibi sunt proxima, hæc vel antecedere rem volunt: vt amor sæpe concubitum. vel simul esse: vt pallor & timor. vel euenire posterius: vt post iracundiam cædes. Eáque est adiunctorum natura, vt separari quidem possint, tamen sese inuicem monstrent. Nam neque qui amauit, necessariò potitus est: & sæpe qui potitus est, non amauit. Nec qui pallet, necessariò timet: & sæpe non timens pallet. Nec ex necessitate iratus occidit: & occidit sæpe aliquis nō iratus. Sed tamen si de singulis inquiratur, eum concubuisse qui amauit, & pallere qui timet, & occidisse qui fuerit iratus, verisimile est. non quòd ita necesse sit, sed quia ex vicinis vicina colligimus. Nam quod ad exemplum attinet huius argumenti, hæc similitudo est. Capitis diminutio, est prioris status permutatio. Id multis fieri modis solet, vel maxima, vel media, vel minima. Maxima est, cum & libertas & ciuitas amittitur, vt deportatio. Media verò, in qua ciuitas amittitur, & retinetur libertas, vt in Latinas colonias transmigratio. Minima, cum nec ciuitas, nec libertas amittitur, sed status prioris qualitatis imminuitur, velut adoptatio: aut quibuslibet aliis modis prior status, retēta ciuitate, potuerit immutari. Mulieres verò antiquo iure tutelæ perpetua continebat. Recedebant verò à tutoris potestate, quæ in manum viri conuenissent. itaque fiebat eis prioris status permutatio: & erat capite diminuta, quæ viri conuenisset in manum. Quædam igitur quæ se nunquam capite diminuisset, id est, quæ in manum viri minimè conuenisset: si non tutoris authoritate testamentum fecit, Quæritur an secundum eius tabulas ex edicto Prætoris debeat dari possessio. Hic subiectus quidem terminus, mulieris nunquam capite diminutæ tabulæ. prædicatus verò, possessionis concessio. Sumitur ergo ab adiunctis argumentum, hoc modo, Nam si secundum mulieris tabu-

las nunquam capite diminutæ possessio detur: nihil causæ est cur non secundum puerulorum quoque & seruorum tabulas ex edicto Prætoris possessio permittatur. Quid enim officere potest, ne secundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas possessio deferatur? Id scilicet, quòd ea quæ testamentum confecerat, sui non fuerit iuris. quod idem & de pueris, & de seruis dici potest. Illorum enim ætas, illorum conditio, in alterius sita est potestate. Adiungitur ergo, Si secundum mulieris, quæ in suo iure non esset, tabulas, possessio detur: secundum puerulorum quoque & seruorum tabulas possessionem dari, qui sui iuris minime sint. quoniam quidem illi sub tutoris, illi sunt sub domini potestate. Proximum nanque est rei de qua quæritur, quod eius est consequens, & postea existens: vt secundum seruorum puerorúmque tabulas bonorum possessio detur, si illud quod est in quæstione conceditur. Quæritur enim an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ possessio detur. Quam rem consequitur, vt si id fiat, secundum seruorum quoque puerorúmque tabulas deferatur. Quod quia fieri non oportet: ne rei quidem præcedentis existere debebit exemplum. Nec tamen necessaria est consequutio, sed vicina. Nam fieri potest vt id recipiatur solum secundum mulieris tabulas possessionem dari: non verò id, vt secundum tabulas seruorum vel puerorum possessio concedatur. Sed proximũ est, vt qui nunc hoc recepit, posterius illud admittat. Est igitur argumentum ab adiunctis, id est ab eo quod in ipso hæret, de quo quæritur: est autem quæstio de mulieris nunquam capite diminutæ tabulis: ab affectis, scilicet ab adiunctis. Maxima propositio, Ex adiunctis adiuncta perpendi. Ab antecedentibus.) Antecedentia sunt, quibus positis, aliud necessario cõsequatur: licet illud quod antecedit, minus sit atque posterius. Minus quidem: vt, si homo est, animal est. hoc enim minus est animali, & tamen posito homine consequitur vt animal sit. Posterius verò, vt si peperit, cum viro concubuit. posterius est enim peperisse quàm concubuisse cum viro. Aliquoties verò & quod æquale, & quod simul, & quod prius est, ponitur vt antecedens. Æquale quidem: vt, si homo est, risibilis est. Simul verò: vt, si terræ obiecta est Luna, deficit. Et hæc sibi conuertuntur, vt consequentia fiant antecedentia: vt, si risibilis est, homo est: et si Luna defecerit, terræ adsit obiectio. Antecedẽs verò prius est: vt, si arrogans est, odiosus est. Prius est enim arrogans, posterius odiosus. Illud tamen in omnibus manet, positis antecedentibus necessario consequentia trahi. Exempli verò talis est explanatio, Ciuitatis Romanæ iure, liberi retinentur in patrum arbitrio, vsque dum tertia mancipatione soluantur. Ergo siquando diuortium interceßisset culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero mulctabatur. De qua re Paulus institutionum libri vndecimi titulo, De dotibus, ita disseruit, Si diuortium est matrimonij, & hoc sine culpa mulieris factum est, dos integra repetetur: quòd si culpa mulieris factum est diuortium, in singulos liberos sexta pars dotis à marito retinetur, vsque ad mediam partem duntaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur, liberorum est, qui liberi in patris potestate sunt: id apud virum necesse est permanere. Facto igitur diuortio, contenditur an dotis pars pro liberis, id est vel liberorum causa, vel quia pro numero liberorum retinebatur, apud virum debeat permanere. Hic subiectum quidem est, factum diuortium à muliere nuntiatum. prædicatum verò, apud virum sextæ partis dotis post diuortium permansio. Quæstio, an post diuortium factum, muliere nuntium remittente, sextam dotis partem apud virũ manere oporteat. Quæro igitur, si ab antecedentibus argumentum faciendum est, quid antecedat, quid consequatur. At si viri culpa factum est diuortiũ: video mulierem dotis parte non mulctari, etiam si prima repudij nũtium miſit. Quod enim anteceßit, vt viri culpa fieret diuortium, id non permittit, vt dotis pars mulieri pereat, quanuis prima repudij nuntium mittat. Non enim quòd prior repudiũ nuntiauit, dotis parte mulctanda est, sed absoluenda potius damno, quòd non sua factum est, sed viri culpa diuortium. Igitur antecedens est, viri culpa factum diuortiũ. consequens verò, dotis partem non retineri. Nam si hoc est, illud est. Argumentationem verò faciam hoc modo, Si viri culpa factum est diuortium: etiam si mulier repudij nuntium miſit, nullo modo tamen dotis parte mulctanda est. Sed viri culpa diuortium factum est: non igitur iure mulier dotis parte mulctabitur. Quòd si nõ mulctabitur dotis parte: nihil in viri domo liberorum causa, dotis nomine relinquetur. vtriusque verò conclusio syllogiſmi est hæc, Si igitur viri culpa factum est diuortium: pro liberis manere nihil oportet. Argumentum, ab eo quod in ipso est de quo agitur: versatur quippe intentio de dotis parte, eiúsque apud virũ post diuortiũ, quod vxor prima nũtiauerat, retẽtione. hoc verò anteceßit, viri culpa, quod quia præcedens est, affectum est: omne enim quod præcedit, ad id quod sequitur, necesse est vt referatur.

Maxima propositio est, Vbi est antecedens, ibi erit consequens. at in hac quæstione est antecedens, id est, viri culpa factum diuortium: ibi igitur consequens erit, sextas non retineri. Cur autem ita superius argumentum conclusionibus intexuerim: cùm de his in Tullio latius exequente tractauero, euidentius apparebit. *A consequentibus.)* *Consequentia sunt, quæ, cùm fuerint antecedentia posita, consequuntur: veluti si dicamus, Si homo est, animal est: animal est consequens. Sed in proposito exemplo non satis apparet à consequentibus argumentum, sed ab antecedentibus potius, quod paulò pòst liquebit. Filij non iure susceptι, in patrum non erant potestate: sed matres potius sequebãtur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis: nec erant nuptiæ iure contractæ, quæ non aut inter ciuem Romanum, ciuémq; Romanam inibãtur: aut cui princeps populúsve ciuitatem, vel connubium permisisset, eo scilicet modo, vt in potestatem parentum liberi redigerentur. Illud quoq; videndum, quòd ex impari matrimonio susceptι, non patrem, sed matrem sequuntur. Ergo quædam Romana vel cũ Latino, vel cum peregrino, vel cum seruo, cum quo connubiũ non erat, nuptias fecit: dotem cõtulit: factoq; inter eos diuortio, contenditur, an nuptæ mulieris cũ eo cum quo connubij ius nõ erat, apud virum dotis pars post diuortiũ debeat permanere. Hic subiectũ quidem est, nupta mulier cum quo connubiũ non erat: prædicatum verò, dotis partis apud virum post diuortium retẽtionis iure permansio. Sumitur ergo à consequẽtibus argumentum, hoc modo, Nam quia nuptias fecit cũ eo cum quo connubij ius nullum est, id consequitur, vt liberi patrem non sequantur. Si autem liberi patrem non sequũtur: ne in patris quidem sunt potestate. at si in patris potestate non sunt, matriq; applicantur: apud virum dotis pars non poterit permanere. Hic igitur antecedens est, cum eo cũ quo connubij ius non erat, nuptiæ. consequẽs, nihil pro liberis dotis nomine manere oportere. Cõcludatur argumẽtatio, Quoniam nõ permisso cõnubio, liberi qui procreantur patrem non sequuntur: ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet: quandoquidem non patrem filij, sed matrem sequuntur. Probatũ est igitur pro liberis manere nihil oportere ex hoc, quòd cũ eo mulier nuptias fecit, cum quo connubij ius non erat. hoc verò erat antecedens. Non ergo à consequẽti, sed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentum. Quòd si per id quòd nihil dotis nomine manere oporteret, probaretur eã nuptias cum eo feciſſe quicum connubij ius non esset: rectè à consequentibus argumentũ factum esse diceretur. fieret verò à consequẽtibus argumẽtum, si ita poneretur, Siquid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi sequuntur: cum eo nupta esset mulier, cum quo cõnubij ius erat. Assumo quod est consequens, Sed mulier cum eo nupta non est cum quo connubij ius erat. Cõcludo antecedens, Nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi nõ sequuntur. Argumẽtum, ab eo quod in ipso est de quo quæritur. Quæritur enim de his nuptiis, quarum nullum fuerit iure cõnubium. Ex affectis, Omne enim consequens ad id quod præcedit, refertur. Maxima propositio est, Vbi consequens non est, ibi ne antecedens quidem esse potest. Ac de his erit alius vberius differendi locus.* *A repugnantibus.)* *Secundus hæres dicitur, qui hæredi instituto substituitur. Veluti siquis filium instituat hæredem, scribátq;, si is filius intra pubertatẽ decesserit, nepotem vel quemlibet alium hæredem esse oportere. Nepos igitur vel quilibet alius, secũdus hæres dicitur. Repugnantia sunt, quæ (vt dictum est) contraria consequuntur, si ipsis contrariis comparentur. Quidam igitur hæredem testamento scripsit filium: eiq; secundum substituit hæredem: vxoriq; suæ ancillarum vsumfructum legauit à filio: dixitque vt vxori filius eius vsumfructũ ancillarum permitteret: neque illud adiecit, vt etiam secundus hæres eundem vsumfructum mulieri concederet. Successit filius: & mulieri ancillarum contulit vsumfructũ. Illo mortuo intra pubertatem, agit secũdus hæres: & vsumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur, dicens vsumfructum ei à filio legatum, à se verò minimé. Quæritur vtrum ea mulier legatum, quod testamẽto acceperat, inuita posſit amittere. Hic igitur subiectum est, legatum quod testamẽti iure rectè accepit. Prædicatum verò, inuitam posse amittere. Sumo igitur argumentum à repugnantibus. Repugnans verò est, si id quod cõtrario consequens est, alteri cõtrario comparetur, velut in hoc ipso quod tractamus exemplo, rectè accipere, & non rectè accipere contraria sunt: sed non rectè accipere, comitatur inuitum reddere. Iure enim inuitus reddit, quod nõ rectè accepit. Repugnat igitur inuitũ reddere ei quod est rectè accipere. Faciemus igitur argumentum sic, Qui testamento accepit, rectè accepit. Quod autẽ rectè accipitur, inuito ei qui semel rectè accepit auferri nõ potest. At mulier testamẽto vsumfructũ ancillarũ accepit. Idem igitur inuith nõ poterit auferri. Argumẽtũ, ab eo quod in ipso*

est de quo agitur, id est de eo quod rectè acceptum est. In ipso verò est, velut affectum contrarietatis modo, vt superius dictum est. Est autem argumentum à repugnanti. Maxima propositio est, Repugnantia conuenire non posse.

VISORIVS. Ab adiunctis.) Adiuncta dicũtur, quæ nullo necessario vinculo, sed verisimili quadam societate & probabili vicinia inter se coniunguntur: vt furtum & egestas, libido & adulterium, parricidium & temeritas. quæ inter se tametsi non necessariam, credibilem tamen affinitatem habent. Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite &c.) Caput pro statu, ciuitate, & libertate accipitur, vt apud Ciceronianas orationes sexcentis in locis reperias. vnde fit, vt serui capite careant, id est, statum, ciuitatem, & libertatem non habeãt. Capitis autem diminutio, est prioris status mutatio. quæ triplex est: maxima, mediocris, & minima. Maxima dicitur, cum aliquis simul & ciuitatem & libertatem amittit: quod accidit iis qui serui penè efficiuntur, atrocitate sentẽtiæ, vel libertis, vt ingratis erga patronos, condẽnatis: vel iis qui ad preciũ participandum se vænũdari passi sunt. Mediocris diminutio est, cũ ciuitas quidem amittitur, sed libertas retinetur. quod ei contingit, cui aqua & igni interdictũ fuerit: vel ei qui in insulã deportatus est. Denique minima capitis diminutio est, cùm ciuitas retinetur & libertas, sed status hominis cõmutatur. quod euenit iis, qui cũ sui iuris fuerint, cœperũt alieno iuri subiecti esse, vel cõtrà. veluti si filiusfamiliàs à patre emãcipatus fuerit, est capite diminutus. De minima Cic. nunc loquitur, quæ (vt diximus) libertate & ciuitate remanẽtibus priore statu mutato cõtingit. Antiquitus autem mulieres in perpetua potestate tutoris erant, neq; ab ea recedebant, nisi in manũ mancipiúmq; mariti cõueniissent, id est matresfamiliàs factæ fuissent: & tunc mulieres capite minuebãtur, cùm nubebant. nam priorem statum mutabãt: quæ si non nupsissent, neq; capite sese minuissent, iuris sui non erant. At quæ sui iuris non sunt, testamentum facere non possunt: alioqui si faciant, & serui & exules & pueri facient. Sicuti mulieres antequam nubant sui iuris non sunt, & propterea testamentum conficere nequeunt: ita serui & pueri sui iuris non sunt: sed illi in domini, hi in tutoris potestate sunt. Adiungitur itaq;, seruos & pueros testamentum conficere posse, si eiusmodi mulieres, quæ se capite nũquam diminuerunt, testamentum facere possint: vt ab adiunctis hoc argumentum est, Hæc matrona sola per viam noctu pergit, mœchum igitur expectat. vel sic, Hic pauper est, & sumptuosè viuit: ergo furatur. Ab antecedentibus autem & consequentibus & repugnantibus, &c.) Quicquid rem quancque antecedit, rei necessariò cohæret, id est, (vt cum Cicerone dicam) vel consentaneum est, vel præcurrit. Item quicquid consequitur, rei quã sequitur non esse comes nõ potest. Deniq; quicquid repugnat, eiusmodi est, vt cohærere nunq̃ possit. Vnde liquidò cõstat, hunc locũ tripertitò diuisum necessariæ semper & exploratæ collectionis esse, & indubitatã propositæ quæstioni fidẽ afferre. Quo fit, vt superiori loco qui ab adiunctis est, longè sit diuersus: quòd ille sit verisimilis, hic verò necessarius. Qua de re suo loco plura dicentur. Ad Ciceronem redeamus. Non abs re Tullius antecedentia, consequentia & repugnantia coniunxit. Hæc enim tria vnius loci sunt, qui quãuis sit tractatione triplex, inuentione tamen simplex est: id est, licet in argumentatione quæ est ab antecedentibus, consequentibus, & repugnãtibus, varia sit propositionum dispositio, eadem tamen in his tribus formis complexio est. vt si ostendere velis Ciceronẽ virum bonum fuisse, tribus modis id probato. primo ab antecedentibus ita: Si Cicero fuit orator, vir bonus fuit: atqui fuit orator: igitur vir bonus. A consequentibus hoc modo: Si Cicero non fuit vir bonus, non fuit orator: atqui fuit orator: igitur vir bonus. Deinde à repugnantibus: Non si Cicero fuit orator, non fuit vir bonus: orator autem fuit, bonus vir igitur. Vides itaque eandem in his tribus modis complexionem, quanuis propositiones diuersæ sint. Primus modus ab antecedentibus propterea dicitur, quòd in eo pronunciati cõnexi pars antecedens, id est prior, assumatur, vt consequens, id est posterior, colligatur. Secundus à consequentibus est appellatus, quia ex contradicente consequentis, contradicens antecedentis sequitur. Ex huius euersione illius remotio concluditur. Postremo tertius à repugnantibus vocatur: siquidem partis priori pars posterior repugnat. Quare pronunciatum repugnans habes hoc modo: Si Cicero est orator, non est vir bonus. quod cùm falsum sit, negatio toti pronunciato præponẽda est, quæ partem posteriorem priori repugnare significet: cuius pronunciati sic dispositi si partem priorẽ assumas, oppositum posterioris partis concludes. Sed aliàs hac de re copiosius. nũc ad exemplorum explanationem veniamus. Si viri culpa.) Si diuortium matrimonij culpa mariti, non autem mulieris factum est, mulier dotem integram à marito repetet. Contrà, si mulier diuortij causa est, & non maritus, in

singulos liberos sextam partem dotis maritus apud se retinebit ad eosdem alendos. quia quod ex dote acquiritur, liberorum est, qui patrem sequuntur, & in eius potestate sunt. Itaque si quæratur, an ea mulier quæ à marito diuertit, qui diuortij causa est, nihil pro liberis qui patrem sequuntur relinquere debeat, sed totam dotem repetat: hæc ab antecedentibus quæstio sic probabitur. Si mulier à viro cuius culpa diuortium factũ est, diuertit, pro liberis qui patrem sequuntur, apud virum nihil relinquere debet: sed à Cicerone viro suo Terentia diuertit, qui diuortij causa fuit: ergo Terentia pro Tulliolo atq; Tulliola liberis patrem Cic. sequentibus, apud Cic. maritum nihil relinquere debet.

A cõsequentibus, Si mulier.) Olim nõ omnibus ius erat connubij cum Romanis. Nam hæ demum legitimæ nuptiæ illic habebantur, quæ inter ciuem Romanum & ciuem Romanã contrahebantur. siquæ factæ secus fuissent, illegitimæ dicebantur. propterea pueri eiusmodi matrimonio illegitimo suscepti, in patrum potestate non erant, sed matres sequebantur: quare nihil apud maritum pro liberis alendis remanere oportebat, si mulier marito nuntium remisisset. proinde sic à consequentibus argumentatio struitur: Si quid dotis pro liberis manere oportet, quia patrem liberi sequuntur, cum eo nupta est mulier cum quo ius connubij erat: ideo nihil dotis apud maritum remanere debet, quoniã liberi illegitimi patrem non sequuntur. Tradamus & aliud exemplum, iuuemúsque quantũ possumus prima discentium studia: Si philosopphi sunt viri boni, gloriam contemnunt. atqui gloriã non contemnunt, sed eius sunt appetentes: igitur philosophi viri boni non sunt. A repugnantibus, Si paterfamiliâs vxori ancillarum vsumfructum legauit.) Quid sit vsusfructus, superius definiuimus hoc modo: vsusfructus est ius vtendi fruendi rebus alienis salua rerum substãtia. Insuper quarum rerum sit vsusfructus, dictum est: nempe fundi, ædium, seruorum & iumẽtorum: & cæterarum quæ vsu ipso non consumuntur. Præterea quid legare sit, definitum est. Itaq; legare est, aliquid testamento relinquere. Nec sum nescius, aliam ab hac esse huius verbi significationem, puta pro eo quod est, quempiam in legationem pro publicis magnísq; rebus mittere. vt apud Sallustium in Iugurth. Legantur tamen in Africam maiores natu nobiles, amplis honoribus vsi. Et Cicero in epistolis ad Atticum, Me legatũ iri non arbitrabar: sed hæc significatio à proposito nostro aliena est. de illa nanq; non de hac nunc Cicero loquitur. A secundo hærede.) Hæredis appellatio non solùm ad proximum hæredem, sed etiam ad vlteriores hæredes refertur. Nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellationis continetur: omnésque successores eo nomine significantur, etsi verbis expressi non sint, vt Vlpianus author est de rerum & verborum significationibus. Secundus autem hæres dicitur, qui (si primus hæres vita defungatur) hæreditatẽ cernit: aliàs minimé. vt apud Suetonium in Cæsare sic legitur: Cæsar complures percussorum in tutores filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. Decium Brutum etiam in secundis hæredibus, id est, Si quis Cæsaris filius nasceretur, ille primus Cæsaris hæres futurus erat: qui filius si moreretur, Cæsaris hæreditatẽ Brutus adiisset. Est autem hoc à repugnantibus argumẽtum: Non si mulier vsumfructum ancillarum à patrefamiliâs sibi testamento legatum rectè accepit: inuita reddet. atqui rectè accepit: non igitur inuita reddet. repugnant enim rectè accipere, & inuitam reddere. Vel sic, Non si Medea Iasonem amabat, eum perdere voluit: atqui Iasonem amabat Medea: nõ igitur ipsum perdere voluit. Nam amare quempiam, & eundem velle perdere, repugnant.



LATOMVS. Ab adiunctis, Si ea mulier testamentũ fecit.) Adiuncta sunt, quæ eueniunt circa rem, sed ab ea separari possunt, quoniam non semper eueniunt. Hæc tria amplectuntur tempora, antecedens, instans, & consequens: vt videndum sit, inquit Cicero, quid ante rem, quid cũ re, quid post rem euenerit. Alij communiter accidentia vocant, Rodolphus contingentia: eáque in tria prædicta tempora diuidit, antecedentia, adiuncta, & consequentia. Argumentum huiusmodi est: Seruorum, puerorum, & exulum testamenta edicto Prætoris probari viderentur, si mulieris quæ sub tutela est, testamentum probaretur: non est igitur probandum. Hic ei quod est, mulieris testamentum ratum haberi, adiungitur, seruorum, puerorum, & exulum testamenta rata habenda esse. quoniam illo dato, hoc quoque consequens foret. Tollitur igitur id quod consequens siue adiunctum est, vt id cui adiunctum est, pariter tollatur. Sed hoc argumentum etiam ad similitudinem referri potest. Quare illa apertiora sunt, nec aliunde quàm ex adiunctis ducta: Clodius dixit Milonem triduo periturum esse, armatus fuit, expeditus in equo, seruos barbaros, homines audaces secum habuit, ergo insidiator fuit. Et contrà, Milo in vrbem rediit post interfectum Clodium, in publicũ prodiit, populo se & Senatui commisit, non latuit, non extimuit, in oratione nusquam titubauit: ergo nulla

conscientia criminis in eo fuit. Hæc signa vocantur apud Rhetores, quorum amplissima materies ex hoc loco est, & in coniectura plurimum valent. Quod dicit, mulier quæ se capite nunquã diminuit, intelligendum est, mulieres quondã sub perpetua tutela fuisse, qua tamen liberabantur, si per coemptionem in manum viri conuenissent, sub cuius deinceps incipiebant esse potestate. Ergo mulier quæ se capite nunquam diminuit, ea est, quæ statum & cõditionem nunquam mutauit, ac proinde sub tutela mansit. Tres enim erãt, sicut hodie sunt, capitis diminutiones: maxima, qua libertas: media, qua ciuitas amittebatur: minima, qua tutela, vel patria potestas mutabatur, Instit. lib. 1. de Capitis diminutione. Cùm tabulas dicit, testamẽtum intelligit, quod in tabulis scribebatur. Prætor autem dabat vel secundum tabulas bonorum possessionem, si testamentum ritè & piè factum esset: vel contra tabulas, si non ritè factum aut inofficiosum esset: vt lib. secundo Instit. Quibus modis test. infir. & de Inofficioso testamento, & lib. tertio de Bonorum possessionibus. Ab antecedentibus autem, & consequentibus, & repugnantibus.) Hi tres loci vt hærent in re, ita vim habent ex ipsa non absolutè, sed ex ordine eius ad alteram, quo inuicem cohærent certa lege existendi, vel non existendi, vt si hoc sit, illud esse: & si illud non sit, neque hoc esse: &, non & hoc & illud esse. quorum primum est ex antecedentibus, secundum ex consequentibus, tertiũ ex repugnantibus. Cæterum sicut ordo rerum ab ipsis seiunctus non est, ita nec loci isti separati sunt à cæteris, sed sumuntur ex omnibus, quæ necessaria conditione connecti possunt cum re, vel ab ea separari. Sumuntur autem in pronunciato hypothetico, quoniam ex sola hypothesi, hoc est, conditione qua proponuntur, argumentum præstãt. Quare nec concluduntur nisi argumentatione hypothetica, in cuius propositione duo ita iunguntur inter sese, vel disiunguntur, vt necessaria efficiatur conclusio. Non enim necessitatem efficit absoluta rerum natura, sed ordo earum in conditione proposita: quæ cùm duabus partibus constet, in pronunciato hypothetico, si hæ partes ritè connexæ fuerint, non potest altera vera pronunciari sine altera: sin disiunctæ, non possunt ambæ simul esse verę. Fit autem connexio, item disiunctio, tum per affirmationem, tum per negationem, interposita hypothetica particula, quæ tanquam vinculum est sententiæ, ex vi cuius verum vel falsum pronunciatur. Sed ea vel rationalis est, vel copulatiua, vel disiunctiua. Rationalis, vt, Si homo est, animal est. Copulatiua, Et homo est, & animal est. Disiunctiua, Aut homo est, aut animal rationale non est. Item negatiuè totidem modis: Non si homo est, animal rationale non est. & copulatiuè, Non & homo est, & animal rationale nõ est. & disiunctiuè, Non aut dies est, aut nox nõ est. quæ totidem sunt genera propositionum, ex quibus constituuntur tres prædicti loci argumentandi, & septem modi conclusionum, qui posterius recensebuntur. Hærent igitur hi loci in re, sed argumentum præstant, non nisi ex ordine eius ad alteram in pronunciato hypothetico, & duci possunt per cæteros omnes locos, ex quibus materia eorum petitur, modò sumantur ea quæ certa lege vel connecti cum re necessariò, vel ab ea disiungi possint. Quæ causa fuit Rodolpho tollendi eos ex locorum numero, & inter argumentandi formas referendi: quoniam ad structuram argumentationis potius, quàm ad materiam eius pertinerent. Quintilianus aliter accipit consequentia, & repugnantia, quoniam antecedentia omnino nulla ponit: consequentia autem ducit ex rerum natura: repugnantia ad contraria refert, quem vide libro quinto de Argumentis. Sed Cicero, vt dixi, antecedentia vocat, cùm ex eo quod alterum necessariò antecedit, argumentum ducitur, hoc modo: Si homo est, animal est: atqui homo est, igitur & animal. Consequentia, cum ex eo quod sequitur ex antecedente efficitur conclusio: vt, Si homo est, animal est: atqui animal non est, igitur nec homo. Repugnantia autem, cùm ex neutro istorum, sed propositis contrariis per negationem, & altero eorum sumpto, alterum tollitur: vt, Non si homo est, animal non est: sed est homo, igitur & animal. Nam hic, hominem esse, & animal non esse, contraria sunt. pone igitur hominem esse, & deme alteri negationem, vt tollas quod negatum fuit, efficiésque ex repugnantibus conclusionẽ: si homo sit, animal quoque necessariò esse: quoniam hominem esse, & animal non esse, repugnant. Sed videamus exempla Ciceronis, quæ ex iure ciuili sumpta sunt. Ab antecedentibus: Si viri culpa.) Exemplum simpliciter proponitur extra formulam conclusionis. Erit tamen hæc ipsa conclusionis propositio, si tota exponatur, quoniam tribus partibus constat, propositione, adsumptione, & complexione, hoc modo: Si viri culpa factum est diuortium, etsi mulier nuncium remisit, tamen pro liberis nihil manere oportet. Hæc propositio est. Adsumptio, Atqui viri culpa factum est diuortium. Sequitur complexio, Ergo pro liberis nihil manere oportet. Quod exemplum pertinet

ad actionem vxoriam de dote, de qua Paulus Iurisconsultus, vt refert Boëtius, secundo Institutorum de Dotibus, ita tradidit: Si diuortiũ est matrimonij, & hoc sine culpa mulieris factum est, dos integra repetetur. Quòd si culpa mulieris factum est diuortiũ, in singulos liberos sexta pars dotis à marito retinetur, vsque ad mediam partem duntaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote cõquiritur, liberorum est, qui liberi in patris potestate sunt, id apud virũ necesse est permanere. Nuncium remittere erat, misso libello diuortium significare, quoniam nuncium Latini & rem & personam appellant. Scriptus erat libellus his verbis, Res tuas tibi habeto, res tuas agito. quo misso, matrimonium dissoluebatur. vide Cælium lib. 15, Lectionum antiquarum. fit etiam mentio in iure ciuili, C. de Repudiis. A consequentibus: Si mulier.) Neque hic seruatur forma conclusionis, sed erit hæc eius adsumptio, si tota exponatur, quod quidem est necessarium ad intelligendam vim huius loci: cùm non perinde vt in antecedentibus, ita in consequẽtibus propria vis eius appareat, nisi expo sita tota argumentatione. Tota igitur est huiusmodi: Si quid pro liberis manere oportet, mulier nupta fuit cum eo cui connubij ius fuit, ac proinde liberi patrem sequuntur: Sed liberi patrem non sequuntur, cùm mulier non fuerit nupta cum eo, cui connubij ius fuit: Ergo pro liberis nihil manere oportet. Sublato enim consequente, antecedens tollitur: cùm contrà fiat in antecedentibus, in quibus sumpto antecedente, consequens infertur. Quod dicit: Si nupta fuisset cum eo cui connubij ius non esset: & statim addit, quoniam qui nati sunt, patrẽ non sequuntur: hæc duo eodem pertinẽt: cũ prius posterioris sit causa. Patria enim potestas, non nisi ex legitimis nuptiis existit: & nisi qui legitimè nati sunt, patrem sequuntur. cum cæteri tanquam vulgo quæsiti, matrem sequantur. Impeditur autem legitimum matrimonium certis de causis, quarum nonnullæ erant apud veteres. plures hodie sunt in vsu ex principum constitutionibus, & decretis pontificum, quæ iure ciuili & cænonico continentur. A repugnantibus, Si paterfamilias vxori ancillar.) Hoc quoque exemplum extra formam conclusionis est, sed facilius intelligitur. Cùm enim ex contrariis constet, fallere minus potest. Forma eius huiusmodi est: Non si vsusfructus rectè legatus est mulieri, debet eũ mulier amittere. atqui rectè legatus est: ergo non debet eũ amittere. Repugnant enim (inquit Cicero) rectè accipere, & inuitũ reddere. Sed potest eadẽ formula etiam ex disiunctiuis concludi, hoc modo: Aut non rectè legatus est vsusfructus mulieri, aut non debet eũ amittere: sed rectè legatus est, ergo non debet eum amittere. Sed videamus verba Ciceronis: Si vsusfructus, inquit, legatus est mulieri à primo hærede, & à secundo legatus non est, mortuo primo hærede mulier non debet legatum amittere. Quod sic intelligendum est, Testamento hæredem feci Titium, & ei substitui secundum hæredem Sempronium, vxori autem vsumfructum omnium bonorum à Titio legaui, hoc est à Titio transferendum. Moritur postea Titius, & Sempronius succedit. Capit nihilominus vsumfructum bonorum vxor. Recusat Sempronius, quoniam à se nihil legatum sit. Respondetur ex repugnantibus, Non impediri oportere mulierem à secundo hærede, quo minus perfruatur eo quod à primo hærede legatum sit, quanuis à secundo nihil sit legatum: quoniam repugnant rectè accipere, & inuitum reddere: hoc est, cum disiunxeris per negationem ea quæ pugnantia sunt, nempe rectè accipere, & inuitum reddere, sumpto priori, quod est rectè accipere, posterius necessariò tollis per negationem, & infers, inuitum amittere non debere: in quo est forma conclusionis ex repugnantibus, quæ posterius suo loco tradetur. Secundus hæres est, qui substituitur primo, ita vt si primus hæreditatem non adierit, succedat secundus. quod fit his verbis: Titius hæres mihi esto, & si Titius hæreditatem meã non adierit, tunc Sẽpronius hæres esto, vt lib. primo Institut. de Vulg. & pupil. substitutione. Legatum ab hoc vel illo hærede intelligitur, quod ab eo soluendum est, & ad legatarium transfertur: modus loquendi in iure peculiaris. Ancillarum vsusfructus est, quantum ex opera & ministerio earum conquiri potest. Nam partus non est in fructu, propter dignitatem hominis, cuius gratia cætera in fructu esse dicuntur. Illud circa hunc locũ ignorandum nõ est, repugnantia non eodem modo accipi apud omnes, sed aliis repugnantia dici, quæcunque in idem conuenire non possunt: sicut Rodolpho, cui differentia & opposita sub repugnantibus cõprehenduntur. Boëtius repugnantia vocat, contraria hinc inde cum annexis suis collata: vt amicum & inimicum esse, contraria sunt: annexum, amico prodesse, & inimico nocere velle. Repugnant igitur, amicũ esse, & nocere: inimicum esse, & prodesse velle. Tertius modus est in hypothetica enunciatione, cum duo per negationem ita proponuntur, vt altero sumpto, alterum tolli necesse sit, de quo hic loquimur.

HEGENDORPH. *Ab adiunctis.) Adiuncta sunt, quæ ita inter se affecta*

sunt, vt si vnum eorum quolibet modo extiterit, alterum quoq; vel extitisse, vel extare, vel extiturum esse videatur: ita Boëtius. Et sæpe rem antecedunt, vt iniuria inimicitiam.

Aliquando simul existunt: vt timor & amor. Sic apud Ouidium,

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res est soliciti plena timoris amor.

Quorum versuum hic est sensus: Amor est res solicita, & timoris plena, ergo timui. Porrò ex adiunctis aliquid verisimiliter, non necessariò colligitur. Bonorum possessio est ius persequendi retinendique patrimonij quod alicuius fuit cum moritur. Porrò possessio secundum tabulas, est possessio quæ in tabulis testamenti scripta, scriptis in testamento hæredibus datur: quòd si illi non adsunt, vocantur substituti. Vide legem tertiam ff. de Bonorum possessione secundum tabulas. Vbi hoc animaduertendum est, quòd qui in aliorum potestate sunt, testamentum facere possunt. L. Qui in potestate, ff. de Testamentis. cuius generis sunt, nulier quæ nondum caput minuit, seruus, puer. l. Quæ ætate. ff. de Testamentis, & institut. Qui testamentum facere possunt. Si ea mulier.) Hoc est, Si mulier quæ nõdum caput minuit, facto testamento, citra cõsensum tutoris, bonorum possessionẽ scriptis hæredibus concedere potest: ergo etiam puer, serui, facto testamento, sine tutoris auctoritate aliis bonorum possessionem permittere poterit. Ab antecedentibus.) Plerique definiunt antecedentia esse, quibus positis, aliquid necessario consequatur: vt, Si homo est, igitur animal est. Si peperit, ergo cum viro concubuit. Cæterùm Rodolphus Agricola sic ab antecedentibus colligi scribit: Quoties proposita conditionali, ab eo quod in conditione antecedens fecimus, mox inferimus: vt, Si homo est, animal est: homo est antecedens. ab hoc ergo sic infero, ergo animal est. Item, Si emptio est, contractus est: sed emptio est, ergo contractus est. Si matrimonium est, dos est: sed matrimonium non est, ergo dos non est. Diuortium, est à diuersitate mentium dictum, quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, L. Diuortium. ff. de Diuortiis & repudiis. Porrò Repudium est renunciatio quæ fiebat sponsæ, verbis quibusdam solennibus: Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. L. eadem, eodem titulo. Si viri culpa.) Hoc est, Si viri culpa factum est diuortium, etsi mulier nuntium remisit, nihil apud virum pro liberis remanere oportet. Sed viri culpa factũ est diuortium: ergo nihil dotis apud virum remanebit. A consequentibus.) Consequentia sunt, quæ, cum fuerint antecedentia posita, consequuntur: vt, Si homo est, animal est. Si matrimonium est, dos est. Porrò Rodolphus scribit, à consequentibus argumẽtum duci, quoties proposita conditionali, ab eo quod ex conditione consequens erat, argumẽtatio petitur: vt, Si homo est, animal est: hoc est consequẽs. Ducitur ergo argumentum à consequenti: Sed nullum animal est: ergo nullus homo est. Sic Cicero: Ex viro & muliere cui nubere ius Romanum non permittebat, liberis natis, facto diuortio, quæstio incidit, an apud patrẽ aliquid pro liberis manere oporteret. Nihil manere oportere, sic ex consequenti probare possumus: Si mulier nupserit ei cum quo connubij ius non esset, hoc antecedens est, qui nati sunt, patrem non sequuntur. hoc consequens est. Iam ex hoc consequenti sic colligimus: Sed hi liberi patrem non sequuntur: efficitur ergo, liberis manere nihil oportere. Cum eo cui connubij ius.) Caius Iurisconsultus in libro priori Institutionum. Legitimæ, inquit, sunt nuptiæ, si Romanus Romanã, nuptiis interuenientibus, vel consensu, ducat vxorem. Patrem non sequuntur.) Et hoc probat lex, Lex naturæ. ff. de Statu hominum: Lex naturæ hæc est, vt qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. A repugnantibus.) Repugnantia, quæ per se habent dissidentes habitus, ita vt alterum dici id esse quod alterum non possit: vt, iustum esse, iniustum esse: facundum esse, infantem esse: rectè accipere, & inuitum reddere: vt hic inquit Cicero Si paterfamiliàs.) Exempli Ciceronis sensus hic est, quod quis iure accipit, rectéque accipit, ita accipit, vt ab eo inuito auferri non debeat: sed vxor rectè iuréque, siquidem ex testamento, accipit ancillarum vsumfructum: inuitæ igitur non est auferendus. Neque à secundo hærede.) Huc facit paragraphus primus ex Institu. de pupillari substitutione: ex quo discimus primũ hæredẽ appellari, qui primùm institutus est: secundum, qui hærede instituto substituatur.

COVEANVS. Ab adiunctis.) Quæ Cicero adiuncta vocet, ex eo exemplo quo hoc loco vtitur, intelligi non potest. quod enim affert argumentum, à pari, non ab adiunctis ducitur: id quod ipse Cic. sensit, in repetitione loci huius sic scribens, A B adiunctis posui equidem exemplum paulò antè, multa scilicet adiungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic

magis ad coniecturales causas, quæ versantur in iudiciis, valet, cum quæritur, quid aut sit, aut euenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit. Si ea mulier.) Huic loco magnam adfert lucem Ciceronis ad Trebat. epistola, quæ his verbis scripta est, Cicero Trebatio S. Silij causam te docui. is postea fuit apud me, cùm ei dicerem, tibi videri, sponsionem illam nos sine periculo facere posse, SI BONORVM TVRPILIAE POSSESSIONEM Q. CAEPIO PRAET. EX EDICTO SVO MIHI DEDIT, negare aiebat Seruium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non haberet. Species igitur huiusmodi est: Turpilia cùm se capite nunquam minuisset, testamentum fecerat, & hæredē Silium scripserat. ex iis tabulis Prætor Silio bonorum Turpiliæ possessionē dat. pater Turpiliæ postea re audita in hæreditatem lege agit. Silius cum possessionem suā tueri vellet, sponsionem facere vult, Si Prætor sibi ex suo edicto bonorum possessionem dedisset. quæ sponsio Seruio periculosa videbatur: quoniam iis tantum Prætor bonorum possessionem edicto pollicetur, qui testamenti tabulas protulerint. Silium tabulas testamenti non protulisse, cum eas tabulas protulerit, quæ nullæ erant, vtpote ab ea muliere institutæ, quæ quia se capite nunquam minuerat, hoc est, quia emancipata non erat, testamenti condendi ius non habebat. Quam capitis diminutionem vt hoc loco intelligam, facit Vlpianus, qui libro quinto Opinionū sic scribit: POST mortem filiæ suæ, quæ vt materfamilias quasi iure emancipata vixerat, & testamento scriptis hæredibus decessit, aduersus factum suum, quasi non iure eam neque præsentibus testibus emanciparit, pater mouere controuersiam prohibetur. Vt secundum seruorum.) Qui aut sui iuris, aut mentis cōpotes non sunt, aut ciuitatem amiserunt, testamentum facere non possunt. Qui in insulam relegati sunt, & quibus terra Italica, aut sua prouincia interdicitur, testamenti faciendi ius retinent, vti scribit Caius. Possessio videatur ex edicto dari.) Cum Prætor bonorum possessionem ex iis tabulis dedit, quæ nullæ erant, non videtur, vti antea scripsimus, ex edicto possessionem dedisse. tabulas siquidem non intelligitur protulisse, qui pupilli protulit, aut filij familias, aut exulis, aut serui, aut furiosi. Ab antecedentibus.) Ab antecedentibus ex mente Ciceronis ducitur argumentum, cùm rebus duabus propositis, ab ea quæ antecessit, argumentamur. Tractauit quis duriter vxorem, ea diuortium fecit. Duo proposui: viri sæuitiam, & discessionem vxoris. ex eo quod primum posui, colligo nunc, Nihil ex te pro liberis apud virum manere oportere, quoniam culpa viri fuerit factum diuortium. Si enim temerè à viro vxor diuertisset, & dotem & donationem ante nuptias amisisset. C. de Rep. l. Cōsensu. §. Vir quoque. Verum porrò diuortium, vti scribit Paulus lib. 25. ad Ed. id demum est, quod animo perpetuam constituendi diuisionem fit. Itaq; si misso repudio, breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur. Etsi vxor nuntium remisit.) Nūtium vxor remittit viro, vel præsenti vel absenti, per eū qui in potestate eius sit, cuiúsve in eā ve ī potestate sit. Remittit autē his verbis, RES TVAS TIBI HABETO: item his, RES tuas tibi agito. Pro liberis manere.) Quorum fauor, vt scribit Imperator in l. Consensu, C. de Repudiis, dissolutionem matrimonij difficiliorem faciebat. Quæ tamen si contigisset, siquidem mulieris culpa, certa dotis pars, quemadmodum in locum hunc scribit Boëtius, apud patrem remanebat: si verò de vtriusque consensu dirimebatur matrimonium, tamen de dote aliquid, déque donatione ante nuptias apud patrem remanebat, quemadmodum scribit Imperator in l. Quod hodie. C. de Repudiis. Quis Romæ repudij inuentor fuerit, scribit Aul. Gel. his verbis, Memoriæ proditum est, quingentis ferè annis post Romam conditam nullas rei vxoriæ neque actiones, neque cautiones in vrbe Roma, aut in Latio fuisse: quia profectò nihil desiderabantur, nullis etiam tunc matrimoniis diuertentibus. Seruius quoque Sulpitius in libro quem composuit de Dotibus, tum primùm cautiones rei vxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum Sp. Carbilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit, quòd liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno ad Vrb. cond. D. XXIIII. M. Attilio, P. Valerio Coss. Atque is Carbilius traditur vxorem, quam dimisit, egregiè dilexisse. A consequentibus.) A consequentibus ducitur argumentum, cùm propositis duobus, à posteriore argumentamur, hoc modo: Mulier seruo cui imprudens nupserat, nuncium remisit: qui ex ea coniunctione nati sunt, patrem non sequuntur: quare pro liberis ex dote apud patrem manere nihil oportet. id quod ex eo collegi, quia patrem liberi non sequerentur: quod è duobus quæ proposui, posterius est. Cui connubij ius non esset.) Seruo homini connubij ius non est. iustæ enim nuptiæ inter ciues Romanos contrahuntur, qui secundum legum

præcepta coëunt. *Nuncium remisit.*) Si coniunctio liberæ mulieris cum seruo homine matrimonium non est, neque disiunctio & separatio erit diuortium. Quare nunciũ remisit, hoc est, eius consuetudine abstinuit, eúmque à se habuit alienum. *Quoniam qui nati sunt, patrem non sequũtur.*) Siqui aduersus leges coëunt: neque vir, neque vxor, neque nuptiæ, neque matrimonium, neque dos intelligitur. Itaque qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ij, quos mater vulgo concepit. *A repugnantibus.*) Repugnantia, contrariorum sunt consequentia, aut contrarium vnum, & consequens alterius. Repugnant, studium iuuandi, & nocendi voluntas: item, amicus, & nocendi voluntas. Contraria sunt, rectè accipere, & malè accipere: repugnant, rectè accipere, & inuitum reddere. Is enim reddere cogitur, qui non rectè accepit. *Ancillarum vsumfructum.*) Vsusfructus ancillarum, omnis ea vtilitas est, quæ ex ancillis percipi potest, præter earũ partus, qui in fructu non sunt, sed ad proprietatis dominum pertinent: neque enim placuit homines in fructu esse, quorum gratia rerum omnium fructus natura comparauit. *Quod enim semel testamento.*) Ius semel acquisitum nemo sine suo facto inuitus amittit, siue ciuili ac legitima ratione, siue iure gentium fuerit acquisitum.

COMMENTARIVS. *Ab adiunctis.*) In veteri legitur, Ex coniunctis: ac sic legisse videtur Boëtius. sic etiam appellat Cicero in Partitionibus: tamen postea adiuncta vocabit. Locus hic appellatur ab aliis, à communiter accidentibus: à Rodolpho, à contingentibus. *Si ea mulier.*) Exemplum quod subiicit, esse potius comparationis aut similitudinis videtur: quod hac de causa factum est, quia instituerat exempla ducere à iure ciuili, quod maxime spectat qualitatẽ. Adiuncta autẽ referuntur ad coniecturam. Itaque postea dicet locum esse oratorum proprium, non iurisconsultorum. quanquam tanta est adiunctorum latitudo, vt hanc quoque formulam amplecti possint. Ab hoc loco ducuntur argumenta circunstantiarum, de quibus apud Rhetores. *Quæ se capite.*) Apud Romanos mulieres erant in perpetua tutela, non poterant igitur testamentum facere: sed illa mulier quæ conuenerat in viri manum per coëmptionem, exibat è tutorũ potestate, erátque in mariti mancipio: sed tamen cum eius status mutaretur, capitis diminutionem patiebatur.

Ex edicto Prætoris.) Duo sunt Prætoris edicta. alterum secundum tabulas appellatur, quando legitimum est testamentum, ac iure scripti sunt hæredes: Alterum dicitur contra tabulas, quando testamentum non est legitimum, sed vel inofficiosum, vel irritum, vel cùm non iure scripti sunt hæredes. *Seruorum.*) Serui testamentum facere non possent, propterea quòd subditi sunt alterius potestati. *Exulum.*) Exules testari non possunt, propterea quòd amiserunt ex diminutione capitis ius ciuitatis. Ciuis autem tantum ex iure ciuili potest testari. *Puerorum.*) Nemo apud Romanos testari potest ante decimumquartum annum: itaque pueri non possunt facere testamentum.

Ab antecedentibus.) Hi loci simplices non sunt, sed syllogismos illos efficiunt, qui dicuntur hypothetici: nam ex consecutione pendent & annexione. itaque illorum tractatio pertinet ad iudicium dialecticum, id est, formulas argumentationũ hypotheticarum, & argumentationis complexionem. Nonnulli tamen simpliciter interpretari conantur, sed male. horum locorum inuentio spargitur per omnes locos superiores. Argumentamur autem ab antecedentibus, cùm posita propositione conditionali, assumimus antecessionem, & colligimus consequutionem. vt igitur argumẽtum Ciceronianum explicetur, assumere oportet & colligere, quia posita est duntaxat propositio. *Si viri culpa.*) Quando mariti culpa fit diuortium, mulier potest repetere integram dotem: sed cùm mulieris culpa, apud virum remanent tot sextæ, quot fuerunt liberi, duntaxat ad dimidium dotis. Sed vt argumentum intelligatur, assumi debet antecessio, & colligi consecutio. *A consequentibus.*) A consequentibus argumentamur, cùm posita propositione hypothetica contrarium consequutionis assumimus, & colligimus contrarium antecessionis. Itaque Ciceronis exemplum est enthymematicum, assumeréque oportet contrarium redditionis, aut (vt vult Boëtius) à fine contrariam contexere propositionem oportebit. *Nupta.*) Iustinianus titulo de nuptiis eas ait legitimas esse nuptias & iustas, quæ fiunt inter ciues Romanos: siqua igitur nupsisset peregrino, nuptiæ non fuissent iustæ, nisi donatus ille fuisset ciuitate aut connubij iure. *Qui nati sunt.*) Iurisconsulti docent ius patriæ potestatis proprium esse ciuium Romanorum. est autem huiuscemodi, vt in patris potestate sint qui nati sunt ex legitimis nuptiis. Qui autem nati non sunt ex legitimis nuptiis, non sunt in patris potestate, nec patrem sequuntur, sed matrem. *A repugnantibus.*) A repugnantibus sic argumentamur, cùm positis quibusdam quæ adiuncta sunt, additísque duabus negationibus, alterum

assumimus,& alterum eodem modo colligimus: aut cùm sumptis oppositis, ac præposita negatione, alterum ponimus,& reliquum tollimus. Si paterfamiliàs.) Non exposuit Cicero rationem argumẽtationis, sed tantùm exposuit hypothesin, quam appellãt casum iurisconsulti: deinde subiicit argumentum, à quo duci debet argumentatio. Paterfamiliàs (vt inquit Vlpianus) est, qui siue pubes siue impubes est, sui iuris est. contrà filiusfamiliàs est, qui alterius iuri subiicitur, vt iuri patriæ potestatis, siue sit pubes, siue etiam impubes. Legauit à filio.) Legare à primo hærede, est aliquid testamento relinquere quod velis à primo hærede præstari. Quod enim.) Plures fiebant apud Romanos hæredum ordines, quæ res substitutio appellatur, éstque duplex, vulgaris, & pupillaris.

Ab efficientibus causis hoc modo: Omnibus est ius parietem directum ad parietem communem adiungere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, non debebit præstare quod fornix vitij fecerit. Non enim eius vitio qui demolitus est, damnum factum est, sed eius operis vitio quod ita ædificatum est, vt suspendi non possit. Ab effectis rebus, hoc modo: Cùm mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Ex comparatione autem omnia valent, quæ sunt eiusmodi: Quod in re maiore valet, valeat in minore: vt, Si in vrbe fines non reguntur, neque in vrbe aqua arceatur. Item contrà, Quod in minore valet, valeat in maiore: licet idem exemplum conuertere. Item, Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est: vt, Quoniam vsus authoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & sunt cæterarum rerum omnium, quarum annuus est vsus: Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat.

BOETIVS. Causarum quidem multa sunt sunt genera, quæ Cicero paulò posterius diuidit. Sed nunc de efficiẽtium causarũ disserit argumento. Efficiens verò causa est, qua præcedente aliquid effectum est, non tempore, sed proprietate naturæ, velut in hoc quod nunc declaramus exemplo. Damni infecti promissio est, quoties quis promittit, siquod damnum eius opera contigerit, suæ restitutione esse pensandum. Ius autem est, parieti cõmuni parietem alium vel fornicatum, id est arcum habentẽ, vel directum continuúmq; coniungere. Quidam igitur ad parietem cõmunem alium extrinsecus parietem iunxit, dedítq; satis damni infecti. Communis autem paries fornicatus fuit, id est arcum habens, vel signinam fabricam sustinẽs. adiungente igitur eo qui satis dederat,& vt adiungeret, demoliente partẽ parietis, quo iunctura cohæresceret, vitium cõmunis paries fecit. quæritur an damni infecti promissio cogat eum qui promiserit, damnũ restituere. Subiectus terminus: dãni infecti promissio. prædicatus: vitij restitutio. Sumimus igitur argumentum à causis hoc modo, Si enim is qui damni promisit infecti, eius vitij causa fuit: restituere debet vitium quod eius accidit culpa. quòd si ea natura parietis fuit, vt suspendi sustinerique non posset (fornicati enim parietis non ea natura est vt suspendi queat) parietis potius forma, quàm demolientis culpa vitium fecisse videbitur. atque ita non cogitur præstare vitium, qui se damni infecti promissione obstrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo, Si penes parietis formam constitit, vt eo adiungente parietem, qui damni infecti promiserat, vitium fieret: id vitium, qui promisit præstare non cogitur.

Fuit autem causa paries vt vitium fieret: qui ea fuit natura vt suspendi sustineríque non posset. Non igitur quod fornix vitium fecerit, præstare debet qui damni promisit infecti. Argumentum ab eo quod in ipso est de quo agitur, id est in vitij restitutione, ex affecto, id est ex causa. Causa enim vitij forma est parietis, non culpa coniungentis parietem. Itaque factum est vt fornix vitium faceret. quæ causa vitij cùm absit ab eo qui parietem iunxit, abest etiam eiusdem vitij restitutio. Maxima propositio, Vnamquanque rem ex causis spectari oportere. Ab effectis.) Effecta sunt, quæ aliquibus efficiuntur causis, non tempore præcedentibus. sed natura. velut si quæratur, Vxore defuncta quæ in manum viri cõuenit, an eius bona ad virum pertineãt. In qua quæstione, bona vxoris defunctæ quæ in manũ viri cõuenerit, subiectum est. ad virum autẽ pertinere, prædicatũ est. Quæro igitur argumentum ab effecto: dispicioq; quid perfecerit ipsa in manum cõuentio: atque ex eo argumentum traho. id autem est, Omnia viri dotis nomine fieri, quæcunq; mulieris fuêre. Ipsa igitur in manus conuentio omnia quæ mulieris fuêre, viri fecit dotis nomine, nõ præcedenti tempore, sed statim propria vi naturæ. Nam vt in manum quæque cõuenerit, mox eius bona dotis nomine virum sequũtur. Facio igitur argumẽtum sic, Si mulier quæ defuncta est, in manũ cõuenit: in manũ verò cõuenientis mulieris bona, viri fiunt dotis nomine: hæc quoq; bona de quibus agitur, viri sunt. Argumẽtum ex eo quod in ipso est de quo agitur cõtinetur. Agitur enim de eius bonis quæ in manum cõuenerit: scilicet ab effectis, id est à causæ effectis. Effectũ nanq; est, in manum conueniẽtis omnia quæ mulieris sunt, viri fieri dotis nomine. Quanq̃ hic quoq; non ab effectis: sed à causa factũ argumentum mõstretur esse: Ostensum est enim fieri viri dotis nomine quicquid mulieris fuerit, ex eo quòd mulier in manum conuenerit. Sed hæc causa est, vt quæ mulieris sunt, viri fiant dotis nomine. Sed dicat quis, ex eo quòd ea quæ mulieris erant, viri fiunt dotis nomine, id approbari quòd defunctæ bona ad virum debeant pertinere. Sed quæ mulieris sunt, ea viri fieri dotis nomine, & bona ad virum pertinere: vel idem est, vel neutrum alteri causa est. vel siquis dicat eam esse causam, vt bona mulieris viro debeant cedere, quòd per in manus conuentionem, viri facta sunt dotis nomine: à causa rursus, ac non ab effectis factum esse argumentum putabit, id est à dote: ab effectis verò non oportet aliud nisi causam probari. Esset verò ex effectis argumentum, vt ex eo causa probaretur hoc modo, Si quæstio esset, an mulier in manum viri conuenisset: & indubitatum haberetur omnia quæ fuissent mulieris, viri facta dotis nomine, diceretur ita, Si omnia quæ fuêre mulieris, viri facta sunt dotis nomine: mulier igitur in manum viri conuenit. Maxima propositio, Causas ab effectis suis non separari. Ex comparatione.) A comparatione locus qui dicitur, tripartitò scinditur. aut enim à comparatione maiorum, aut à comparatione minorum, aut à comparatione parium nascitur. A comparatione igitur maiorum est, quoties maiora minoribus comparantur, hoc modo: vt, Quod in re maiore valet, valeat in minore. Fit enim quæstio, an in Vrbe aquam liceat arceri. In hac igitur subiectus est terminus, in vrbe aqua. prædicatus verò est, ius arcendi. Regi fines dicuntur, quoties vnusquisq; ager propriis finibus terminatur. Arcet verò aquam, qui eam per sua spatia meare non patitur. Faciamus igitur argumentum sic. Quoniam plus est regi fines, minus verò arceri aquam: si in ciuitate fines non reguntur, quod maius est: ne id quidem quod minus est, fiet, vt aqua in ciuitate arceatur. Hic igitur sumptum est argumentum ab eo quod in ipso hæret, de quo quæritur. Quæritur verò de arcendæ aquæ iure, ab affecto scilicet, id est à maiore, quod refertur ad id quod minus est. Notandum verò, quòd Tullius maximam propositionem argumentationi inclusit, hoc modo, Quod in re maiore valet, valeat in minore. & deinceps ea nisus, argumentationẽ expediuit, vt manifestius appareat id quod primo volumine commemoratum est, has maximas propositiones aliquoties quidem argumentationibus includi, vt in præsenti monstratur exemplo: aliàs verò vires argumentationibus dare, vt in superioribus exemplis locorũ. quòd si idem conuertamus exemplum, dicemus, Quod in re minore valet, valeat etiam in maiore. At in Vrbe aqua arcetur: regentur igitur fines. Hic tamen quæstio permutatur, hoc modo: Quæritur enim an in Vrbe fines oporteat regi. Sed à minore sumitur argumẽtum, id est ab arcenda aqua: vt sit hic quoque argumentum ab eo quod in ipso est, id est ab eo quod est in regendis finibus, ab affecto scilicet, id est à minore. Id enim quod minus est, affectum est: illud nanq; respicit ad id ad quod comparatur. Hic quoque maxima propositio à Tullio posita est, eáque est, Quod enim in re minore valet, valeat etiam in maiore. A paribus verò fit similiter comparatio, Necesse est enim vt valeat æquitas, quæ paribus in rebus paria iura desiderat. Plurimarum igitur rerum vsucapio annua est,

vt siquis eis anno continuo fuerit vsus, id firma iuris authoritate posßideat, velut rem mobilem: Fundi verò vsucapio, biennij temporis spatio continetur. de ædibus in lege nihil ascriptum est. Quæritur ergo, vsus ædium vnóne anno, an biennio capiatur? Faciemus à paribus argumentationem: & quoniam immobilium æqua possessio est, ædes verò immobiles sunt: vt biennio fundus vsucapitur, ita etiam oportet ædes vsucapere biennio posßidentem: AEquitas enim paribus in rebus paria iura desiderat. Quæ etiam maxima propositio à Tullio clarissimè posita est: sed exemplum restrictius dictum est, nec promptissimè ad intelligendum. Ita nanque ait, Vt quoniam vsus authoritas fundi biennium est: sit etiam ædium. hic igitur ædium vsus authoritatem biennio fieri sentit: sed adiecit, At in lege ædes non appellantur: & sic sunt cæterarum omnium quarum annuus est vsus. hic rursus ædes in his videtur ponere, quæ annuo vsu capiuntur. & concludit nihil definiens, nisi, Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat. Sed videtur ita dictum, Quoniam immobiles sunt ædes vt fundus: biennio verò fundus vsucapitur: ædes quoque biennio vsucapientur. & sibi ipse rursus opponit, Sed in lege XII TABVL. de ædibus nihil ascriptũ est: & inter eas relictæ sunt res taciturnitate legis, quarum est vsus annuus. Nam cùm de fundo præscriberet lex biennij vsucapionem, tacuit ædes. & iis potius hac taciturnitate eas iunxit, quarum annuus est vsus. Sed soluit obiectionem: ita scilicet, AEquitas paribus in rebus paria iura desiderat. Itaque quoniam æquè fundus, atque ædes immobiles sunt: æquè biennio vsucapientur. Factum est igitur hic quoque argumentum ab eo quod in ipso est de quo agitur, id est ab affecto pari. Nam cùm agatur de ædium possessione: argumentum sumptum est ab vsucapione fundorum. Expeditis igitur his locis qui in ipso de quo agitur, inherebant: nunc iam loci eius quem dixit esse extrinsecus, ponit exemplum. Hic verò qui sumitur ab authoritate iudicij, est locus valde probabilis: etiam si non maximæ necessitatis. Quæ enim necessaria sunt: hæc ex propria considerantur natura. Quæ verò probabilia sunt, plurimorum iudicium expectant. Ea nanque sunt probabilia, quæ videntur vel omnibus, vel pluribus, vel maximè famosis, atque præcipuis, vel secundum vnamquanque artem scientiámque eruditis, vt quod medico in medicina, geometræ in geometria, cæterísque in propria studiorum facultate versatis. de quo extrinsecus loco sic loquitur.

VISORIVS. Ab efficientibus causis.) Quia Ciceronis textus satis est obscurus, antequam de natura loci huius quicquam dicamus, exempli Ciceroniani tum sententiam, tum particulas explicemus. Ius est, solido vel fornicato parieti (qui cõmunis est duobus vicinis) alium parietem directum adiungere. Quidam ergo ad communem parietem etiam extrinsecus adiunxit, dedítque satis damni ~~infecti~~, id est, in se suísque fortunis recepit se ~~pensaturum~~ si quid sua culpa vitij fieret. Communis ille paries, ad quem alter iungebatur, fornicatus erat. Itaque adiungente vicino, & communem parietem demoliente, vt iunctura cohæresceret, communis paries vitium fecit, & corruit. quæritur, an is qui cõmunem parietem demolitus est, vitium præstare debeat, quod communis paries fecit. Ab efficientibus causis probabis, eum non debere damnum pensare, qui parietem communem est demolitus. sic igitur argumentatio construitur: Si penes parietis communis formam constitit, vt communis ipse paries corruerit, dum nouus alter paries ei iungeretur, is qui nouum parietem iunxit, damnum præstare non debet, quod fecit paries communis. Fuit autem paries ille communis causa, vt vitium fieret. nam ea forma erat, vt neque ~~suspendi~~, neque sustineri posset. igitur qui damni infecti promisit, vitium præstare non debet, quod fornix fecit.

Directum.) ~~Directus paries contiguus est, qui iuxta alterum attollitur, & ei coagmentatur.~~

Vel solidum.) ~~Solidum parietem appellat, in quo nullus est arcus.~~ Vel fornicatum.) ~~Fornicatus est paries, qui arcum habet. Nam fornix est arcuata vel camerata in modum testudinis structura.~~ Hæc enim vocabula, arcus, fornix, camera, testudo, cognata sunt. Nonnihil tamen inter se differunt, vt inquit Budæus. Nam cameratum opus, & concameratio, ad similitudinem pergularum hortensium fit, quæ iunipero conflectuntur ad ambulationes opacandas: lingua nostra nomen à cunabulis infantium habet. quo genere in hypogeis vinariis structuræ fieri solent. Testudo autem ex duobus arcubus in centro sese secantibus constat: quatuor enim plæ arcuatæ, inuicem transuersæ, & crucem configurantes, testudinem absoluunt. At fornix generalius nomen est: hinc fornicarij sunt, opifices & ppolæ & institores, vel si mauis minutiarij negotiatores, qui tabernas à fisco conducunt sub fornicibus, vt ibi merces suas vænales habeãt: cuiusmodi solent esse in porticibus fori vænalium, id est macelli, quas fullas appellant. Aliter, fornices antiquitus erant arcus, in

memoriam rerum à triumphalibus viris gestarum extructi, quasi monumenta victoriarum. in quæ significatione Cicero secundo de Oratore fornicem accepit: Vt in forum descendens, caput ad fornicem Fabij demitteret. Aliter etiam fornix pro lupanari & meretricio loco vsurpatur. vt apud Iuuenalem 10. Satyra de Phiale meretrice loquentem, sic legitur:

- Bona tota feruntur
Ad Phialen. tantum artificis valet halitus oris,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.

Damni infecti promiserit.) Damnum infectum dicitur, quod nondum factum est, sed futurum timemus. Insuper is damni infecti promittere dicitur, qui se pensaturũ & instauraturum satis dat: id est, spondet & pollicetur, si quid vitij sua culpa fiat. Præstare vitium.) Præstare interim perficere est, vt apud Ciceronem tertio Officiorum. Si autem dictum est, non omne præstandum, quod dictum non est, id præstandum putas? Interim à iurisconsulto accipitur pro eo quod est, exitium rei in se recipere, vel alienæ culpæ dispendium velle luere: vt præstare euentum, præstare promissum alienum. Sic Cicero ad Vatinium, de seruo Dionysio inquit: Si me amas, confice: quancunque fidem dederis, præstabo. Idem de Oratore: Perge verò Crasse. istam enim culpam quam vereris, ego præstabo: id est, in me recipio. Expositis textus particulis difficilioribus, de natura huius loci & proprietate nõnulla dicamus, & primùm quid sit causa definiamus. Causa igitur est, cuius vi aliquid euenit: vt ignis causa est incẽdij. Causarum verò quatuor genera sunt, materia, forma, efficiens, & finis. Materia est, ex qua res fit. vt lutum, materia est conficiendi vasis. Forma dicitur, per quam res est, vel à qua quæq; res nomen subit, & vt sit, habet: vt lapis in Herculis imaginem conformatus, non lapis, sed aut Hercules, aut Herculis imago dicitur. Efficiens causa est, à qua res conficitur: vt figulus vasis fictilis efficiens causa est, nam à figulo vas fingitur, vnde & figulus appellatus est. Finis vocatur, propter quem res est, vel gratia cuius aliquid fit: vt, pecunias paramus, vt nullius egeamus: ædificamus, vt à frigore & æstu tuti simus. Nullius egere, & à frigore tutos esse, fines sunt. Itaque cum tot causarum modi sint, de solis efficientibus causis nunc agitur. non ita tamen, vt Cicero causas omnes ad efficientes redegerit, sicut Agricola Ciceronem notans dicit. nam Cicero paulò pòst de omnibus causarum generibus plurima verba faciet. Nunc autem de sola efficiente, quemadmodum admonuimus, loquitur: quam & aliter sic finimus, vt sit, quæ rei faciendæ operam suam præstat. à qua sic argumentum elicitur: Ignis est, igitur incendium est. Ab effectis rebus.) Effecta sunt, quæ ab efficientibus causis fiunt: vt domus architecti dicitur effectus. Cicero nomine effectorum, quæcunque vi & impulsu causarum proueniunt, id est, omnia euenta comprehendit. id quod Agricola notauit, cum alioqui euentus tanquam genus sit, & effectus velut species. Nam euenta duplicia sunt, effecta scilicet & destinata. vt effecta sunt, quæ ab efficientibus fiunt: destinata verò, quæ propter finem fiunt, vel ad finem aliquem referũtur atque ordinantur. vt calceus est & effectus, & ad quid destinatum. effectus scilicet artificis, sed ad tutandos pedes à frigore destinatur. Cùm mulier viro in manum conuenit.) Conuentio mulieris in manum mancipiúmque mariti, causa est efficiẽs, vt quæ fuerant ipsius mulieris antequam nuberet, efficiantur mariti postquam matrimonium contractum est, & nuptiæ completæ sunt. Ab effectis hoc argumentum depromitur: Si ærarij copias & ab belli adiumenta, & ad ornamenta pacis vtimur, vectigalibus seruiamus. Ex comparatione.) Comparatio est, maiorum cum minoribus, minorum cum maioribus, pariũm cum paribus in numero, specie, vi, & quadam ad res reliquas affectione contentio. In numero, vt plura bona paucioribus anteponuntur, & postponũtur pauciora pluribus. In specie, vt quæ propter se expetuntur, pluris habenda sunt iis quæ propter aliud amantur: & contrà, quæ propter aliud desiderantur, minoris sunt iis quæ propter se expetuntur. In vi, vt præponenda sunt stabilia, certa, & quæ eripi non possunt, mobilibus & incertis: è contrario posthabenda sunt hæc illis. In affectione verò sic: Vt, principum commoda meliora sunt quàm reliquorum: & reliquorum minora commoda quàm principum. non quòd ita semper sit, sed quia sic opinantur, sic putant, sic afficiuntur homines, vt quæ à pluribus probantur, vel à potẽtioribus proueniunt, ea meliora credunt, quàm quæ à paucioribus commendantur, aut ab humili & vulgari aliquo proficiscuntur. Hæc de maiorum & minorum comparatione dicta sufficiant. Itaque de parium collatione dicamus. Si numerus, species, vis, & affectio sint æquales in his quæ conferuntur, parium erit comparatio, quæ nec elationem nec submissionem habet: est enim æqualis. vt si consilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in

laude ponendum est, pari gloria debent esse ij qui consulunt, & ij qui defendunt: at primum verum est, igitur & id quod sequitur. Rodolphus Agricola comparationem duorum in vno tertio collationem definiuit. eámque à similitudine differre scripsit, quòd similitudo sit duorum in duobus comparatio: duorum, non in duobus, sed in vno tertio collatio. Verbi gratia, Comparatio est maioris cum minore, vt regis cum homine populari in diuitiis: minoris cum maiore, vt discipuli cum præceptore in eruditione. Paris verò cum pari, vt amici cum amico in probitate. At similitudo hoc modo, vt senectus & hyems inter se similes in segnitie & frigore sunt. sicut enim frigus est hyemis, ita senectutis est segnities. Verum contrà fieri persæpe docebimus, cum ad huius loci pleniorem expositionem, quam postea Cicero faciet, venerimus. Sicut Rodolphum malè Ciceronem in pleriſque taxasse, in paucis verò rectè, nullo negotio probabimus. Interim huius loci cõtextum declaremus. Quod in re maiore valet.) Idem Agricola Boëtium arguit, quòd singulis locis Ciceronianis quandã, vt vulgò loquimur, Maximam dederit, id est pronunciatum quoddã, vna sententia multa cõplexum, cui sit indubitata fides: vt, De quocunque definitio dicitur, de eodem & definitum: de quocunque species, de eodem & genus. Arguit, inquam, Boëtium Agricola, propterea quòd id nullum in vsum fieret, neque Aristoteles, neq; Cicero id feciſſent. Quòd autem Aristoteles in Topicis id non fecerit, viderit Rodolphus: idque quàm sit verum, diligens lector secum expendat. Sanè quantum ad Ciceronem spectat, maximas propositiones nonnullis locis addidisse videtur, quales sunt hæ: Quod in re maiore valet, valeat in minore. item contrà, Quod in re minore valet, valeat in maiore. Tum, quod in re pari valet, valeat in hac quæ par est: vel si mauis, valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat. Hæ sunt, si Boëtio credimus, maximæ propositiones quas Cicero facit. Verùm vt Agricolã non planè falsum fuisse doceamus, sed potius Boëtium, qui has propositiones esse maximas dixit, quid super hac re sentimus, aperiamus. Maximæ propositioni veritas vsquequaque certa, & indubitata fides semper ineſt, neq; vllo modo labefactari vel refelli potest. Vnde fit vt maxima vocetur. At superiores non vsquequaque certæ sunt, neq; omnino necessariæ, sed tantum verisimiles, & quæ falsæ atque mendaces esse possint. Nã non quicquid in re maiori valet, in re minori valere necesse est. neq; cõtrà, id omne quod in minori valet, necessum est vt in maiori valeat, siue affirmes, siue perimas. Exẽpli gratia: non cõtinuo sequitur, eum esse occidendum qui loris cædi debet: neque statim furtum aliud cõmittere, si sacrilegium commisit. E contrario, non protinus discipulus ignorat, si præceptor ignoret. nec si non facile & palàm mentitur, statim colliges non peieraturũ. Quapropter hic locus tantum est verisimilis, & non necessarius, siue à minori ad maius, siue à maiori ad minus argumenteris: idque vel affirmando vel negando. Quo fit, vt maximæ propositiones non sint, quas Boëtius esse dicebat. Fines non reguntur.) Fines regere, est disterminare agros. Proinde fines regi dicuntur, quoties vnusquisque ager propriis finib. terminatur. & hæc actio regendorum finium non ad vrbana ædificia, sed ad agros (authore Iurisconsulto) pertinet. Aqua arceatur.) Arcet is aquam, qui eam per fua spacia meare non patitur: actio autem aquæ pluuiæ arcendæ aduersus eum competit, qui in agro fossam facit, in quam colligat aquam aut deducat, ex qua damnum alteri accidit. quæ actio ad rustica tantum prædia, quemadmodũ & superior, pertinet. neque aliàs locũ habet, q̃ si aqua pluuia agro noceat. Vt quoniam vsus.) Vsucapio, secundum iurisconsultos, est possessio obtenta certo spacio temporis, necnon iuris authoritate formata. quæ duplex est: vna rerum mobilium, vt pecuniæ, iumenti, bouis, equi: altera rerum immobilium, vt ædium, & fundi. Quæ est rerum mobilium, communi nomine vsucapio dicitur. quæ rerum immobilium, propriè præscriptio dicitur. Rerum autem mobiliũ vsucapio annua est: ita vt si anno integro possederis, res tua sit. Præscriptio immobilium rerum, duorum annorum spacio ad minimum cõtinetur. Itaque cum ædes sint immobiles, quemadmodum fundus, & fundus in lege de præscriptionibus exprimatur, nulla verò de ædibus illic verba fiant, sed inter eas res ædes reponantur, quæ sunt mobiles, & quarum vsucapio annua est: tamen quia ædes eiusdẽ generis cum fundo sunt, ideo postulat æquitas, vt vsucapio fundi biennio terminetur, vsucapio quoque ædium pari spacio contineatur.

LATOMVS. Ab efficientibus causis.) Sub efficientiũ nomine Cicero omnes causas cõplectitur, vt materiam, formam, & efficiẽtem. Sed ita distinguit, vt efficiens per se vi sua conficiat, cætera sint sine quibus effici non possit. Locum etiam & tempus addit, quæ alij separant à causis, & per se locos faciunt: qui materiã etiam & formã referunt inter partes. Materia est, quæ subiecta

est efficienti, & sine qua effici non potest. Efficiens, quod vi sua efficit. cuius multæ sunt differentiæ, quæ posterius explicabuntur. Forma, quæ dat esse rei, hoc est, vnde id ipsum quod res est, accipit: vt anima rationalis in homine, vita in arbore. Finis est, cuius gratia fit. Allicit enim & stimulat efficientem ad agendum, vt cùm lucri vel nauigãdi gratia fit nauis. Atque hæ causæ ab Aristotele numerantur. Efficientium exemplum à Cicerone ex iure sumptum est, de damni infecti actione: quæ est in eum, qui ædificando vicinum damno affecit. Itaque fit, vt si author damni non fueris, non tenearis ista actione. id quod Cicero ex efficientibus probat, hoc modo: Fornix vitium fecit in communi pariete demoliendo: ergo is qui demolitus est, damni non tenetur. Etenim à quo causa remouetur, ab eodem etiam remouetur effectus, quæ huius loci maxima est. Omnibus est ius, inquit, parietem directũ ad parietem cõmunem adiungere, vel solidum, vel fornicatum. Parietem directum appellat, qui iuxta alterum ita ædificatur, vt totus lateri eius applicetur. Hunc si adiungas communi parieti, inserere in eum possis, vt cohæreat, & quasi vnum opus efficere: si non sit communis, non possis, quoniam iure ciuili prohiberis. Communis autem est, qui tuus & vicini est, sicut inter cõtinentia ædificia, qui & communi sumptu ædificatur. Cæterùm idem solidus (sicut quiuis alius) vel fornicatus esse potest, hoc est, arcu suspensus: fitq; vt qui fornicatus est, periculosius rescindatur, eo quòd minus sustineri possit. Itaque in ædificãdo si quid periculi fore videatur, vicino damni infecti promitti solet, id est, damnum te nullum in eo opere facturum esse: aut si feceris, præstaturum. Ergo si quis, inquit Cicero, in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, non debebit præstare quod fornix vitij fecerit. Quo in loco vitium facere dicit, pro damnum facere, Iurisperitorum consuetudine. Addit deinde rationem, cui argumentum inest. Non enim, inquit, eius vitio qui demolitus est, damnum factum est: sed eius operis vitio, quod ita ædificatum est, vt suspendi non possit. Vitium rursus dicit, primùm pro culpa hominis, qui author damni fuerit: deinde pro forma parietis, qua suspendi non potuit. Sunt etiam ista ex efficientibus: Venenum dedit, igitur occidit: Extraxit ab vndis, seruauit igitur: Malè secuit hominem medicus, gladium irato præbuit, ergo in culpa est necis. Item, Nõ suppetit materia, non possunt igitur fieri naues. Si non locus, non tẽpus pugnæ conuenit, non est confligendum. Sic, puluis bõbardicus deficit, ægrotat miles, spes prædæ exigua est, ergo ab obsidione desistendum: quorum priora duo sunt ab instrumento obsidendi, posterius à fine, qui nobis ad causam efficientem pertinet. Ab effectis rebus, hoc modo.) Effecta & causæ mutui sunt loci, quare hinc inde se ostendunt. Itaque argumẽtum ex effectis est, Omnia quæ mulieris fuerunt, facta sunt viri, dotis nomine: ergo mulier in manum viri conuenit. Vbi, bona mulieris viri facta esse dotis nomine, effectum est: in manum viri conuenisse, causa. Sed Cicero exemplum conuertere videtur, & ex causa effectum probare, cùm ita proponat: Cùm mulier in manum viri conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Quo in loco attendendum est, non totam argumentationem exponi, sed vim eius duntaxat significari, quæ ab exponendi ratione separata est. Itaque vt ex effectis esse intelligatur, causa adiungitur, & præponitur effectui, hunc in modum: Cùm mulier in manum viri conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Hæc propositio est, causam (vt dixi) cum effectu complectens. Deinde persequendum est, & addenda assumptio: Atqui omnia quæ mulieris fuerunt, facta sunt viri, dotis nomine. sequitur cõplexio, ergo mulier in manum viri conuenit. Sed eandem argumentationem concludere etiã possis negatiuè, si assumptionem negaueris, hoc modo: Atqui nihil eorum quæ mulieris fuerunt, factũ est viri, dotis nomine: ergo mulier in manum viri non conuenit. Quo genere conclusionis propriè tractatur argumentum ex consequentibus. Sed differunt consequentia ab hoc loco, quia illa in sola conditione sunt posita, ex qua vim obtinent, nec possunt concludi, nisi ratiocinatione hypothetica: secus de causis & effectis, & cæteris omnibus locis, qui & per se vim habent extra hypothesin, & aliis etiam modis concludi possunt. Sunt & illa ex effectis: Magna strages edita est, ergo magna pugna fuit: Ingens classis ædificata, igitur præsto fuit materia: Non potuit vi expugnari oppidum, vires igitur & belli apparatus defuit. Eodemque modo de cæteris, nisi quæ ad finem referuntur, destinata quàm effecta appellare malueris: vt, Instrumentum bellicum paratum est, miles conscriptus, stipendium in sex menses constitutum: igitur bellum futurum est. Sed de fine suprà dictum est, & quæ hic sumpta sunt destinata ad bellum, etiã ad adiuncta referri possunt, sed tunc alia ratione accipiuntur. Cæterùm quomodo idem modò causa, modo effectum, modò instrumentum aut destinatũ dici possit, vide Rodolphum, apud quem hic locus diligenter explicatur.

Ex comparatione.) Diximus similitudinem & differentiam circa qualitatem esse, tum substantialem, tum accidentalem: comparationem autem circa quantitatem, cum æqualia vel inæqualia, hoc est, paria, maiora vel minora inter se conferuntur: quæ distinctio diligenter est obseruanda. Ex maiori argumentum est: Si in vrbe fines non reguntur, neque in vrbe aqua arceatur. Est enim maioris negotij, & natura prius, fines regere, quàm aquam arcere. Quod argumentum conuerti potest, & pariter ex minori duci, sed non nisi per affirmationem, hoc modo: Si aqua pluuia arcetur in vrbe, & fines in vrbe regantur. Maiora enim per negationem, minora per affirmationem sumuntur. Fines regere, est terminos agrorum definire: quod sæpe vsuvenit inter vicinos, & in agris duntaxat locum habet. Aquam arcere, est prohibere, ne aqua pluuia nocens, quæ de alieno venit, vel in agro, vel in vrbe, excipiatur finibus nostris: quod ius tam ad vrbana, quàm rustica prædia pertinet. Itaque de eo cauetur. ff. de Finibus regundis, & de aqua pluuia arcenda. Ex pari exemplum est: Quoniam vsus authoritas fundi biennium est, sit etiam ædium, id est, quoniam fundus biennio vsucapitur, vsucapiantur & ædes: quoniam vtrunque est earum rerum quæ soli sunt, hoc est, immobilium. Vsum possessionem vocat: biennium, tempus possessionis lege definitum: authoritatem, ius quod acquiritur, quam vsucapionem appellant. Est enim vsucapio, ius acquirendi dominij, ex certi temporis possessione: cui additur in iure, vt sit bonæ fidei possessor. Illud ignorandum non est, veteres vsucapionem tam in mobilibus quàm in immobilibus dixisse: sed postea distinctione facta, in rebus mobilibus vsucapionem, in iis quæ soli essent, præscriptionem appellatam. Tempora quoque vsucapionis mutata sunt: quoniam biennio quondam res immobilis, anno vno mobilis vsucapiebatur. Postea constitutum fuit, vt mobilis triennio, immobilis decennio inter præsentes, vicēnio inter absentes vsucaperetur. quo iure hodie vtimur. vt Instit. & ff. de Vsucapionibus. Sed reuertamur ad exemplum Ciceronis. Quoniam vsus, inquit, authoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. Huic deinde occurrit, vt vim loci comprobet: At in lege, inquit, ædes non appellantur. Legem 12. tabularum intelligit, in qua fundi duntaxat fit mentio, non ædium, cùm ibidem ius vsucapionis describatur. Et sunt cæterarum, inquit, rerum omnium, hoc est, hominis, iumenti, suppellectilis, quarum gratia ædes sunt comparatæ, quarū annuus est vsus. i. annua vsucapio. Ex quibus effici vult, idem ius ædiū quod fundi sit, esse nō oportere, cùm ædes in lege adscriptæ nō sint, & ad alias res pertineant. Sed respondet, & soluit ex pari: Valeat, inquit, æquitas, quæ in paribus causis paria iura desiderat: quæ est maxima huius loci in iure, quoties aliquid scripto comprehensum non est. Vnde & status est apud rhetores ex syllogismo siue ratiocinatione, cùm causa in similitudine constituitur.

HEGENDORPHINVS. Ab efficientibus. Causa efficiens est, qua præcedente aliquid & fit & effectum est: vt, Nubes mediocriter collisæ fulgurationes efficiunt: sed si maiore impetu impulsæ sint, fulminat. author Seneca lib. 1. Naturalium quæstionum. A causa efficiente sic colligimus: Nubes mediocriter colliduntur, ergo fulgurat. Sol oritur, igitur dies est. Omnibus est ius parietem directum.) Quidam ad parietem communem, alium extrinsecus parietem iunxit, deditque satis damni infecti, id est, promisit se damnum futurum præstaturum: at communis paries fornicatus fuit, id est, arcuatus. Cùm igitur is qui damni infecti promiserat, parietem adiungeret, & partem parietis communis demoliretur, vitium communis paries fecit, id est, ruit. Iam est quæstio, An is qui damni infecti promisit, ruinam parietis communis restituere cogatur. Sumitur ergo argumentum hoc modo: Si is qui damni infecti promisit, vitij parietis communis causa fuit, restituere debet vitium, quod eius culpa accidit. l. inter quos. §. 1. ff. de Damno infecto. Quòd si ea natura parietis communis fuit, vt suspendi sustentarique non posset, parietis potius forma, quàm demolientis culpa vitium factum videbitur. Proinde vitium restituere non cogetur is, qui damni infecti promisit. Cùm mulier viro in manum.) Mortua est vxor, quæ in manum viro conuenerat, hoc est, legitima eius vxor fuerat. Iam est quæstio, An bona vxoris ad virum pertineant. Huic quæstioni sic fit fides: Ipsa in manus conuentio facit omnia bona vxoris viro accedere, dotis nomine. vnde sic colligo: Si mulier quæ obiit mortem, in manum viro conuenit, omnia bona quæ mulieris fuerunt, dotis nomine viri fiunt. id quod probat lex prima. ff. de Iure dotium. Si in vrbe fines non reg.) Vt rectè intelligas exemplum Ciceronis, primò omnium te scire oportet, quid sit actio finium regundorum. Est verò quoties de diuidundis agrorum finibus controuersia fit. l. 1. ff. de Iudicio finium regundorum. Porrò fines dicūtur regi, quoties vnusquisque ager propriis finibus circun-

scribitur. Præterea nec ignores aquæ pluuiæ arcendæ actionem contra illum instituí, qui fossa facta aquam pluuiam agro alicuius dante, damnum facit. Cæterùm ille aquam pluuiam arcet, qui non per spacia sua meare patitur. Iam est quæstio, An prohibitum sit aquæ pluuiæ actionem agitare in vrbe, hoc est, prædiis vrbanis, hoc est, intra ædificia continentia? Quòd si obtinuerimus finium regundorum iudicium in vrbe interdictum esse, quod maius est: efficiemus aquæ arcendæ iudicium quoque in vrbe vetitum esse, quod minus est. Porrò actionem finium regundorum ad rustica prædia pertinere probat l. Hæc actio. §. Hoc iudicium. ff. Finium regundorum. Quoniam authoritas.) Vt ad plenum exemplum intelligas, Iurisconsultos consulas oportet, qui vsucapionem ita finiunt, Vsucapio, est acquisitio dominij per cõtinuationem possessionis temporis lege definiti. l. 2. ff. de Vsucapion. Præterea scias oportet, lege Tabularum duodecim, quæ hac in parte abrogata est, olim cautum fuisse, vt in solo Italico res mobiles anno: immobiles biennio vsucaperentur. l. 1. ff. de Vsucapionibus. & Institutionibus, eodẽ titulo, in principio, & in l. Vnica. C. de Vsucapione trãsformanda, ex qua lege Cicero exemplum suum deriuauit. Sic verò colligit: Quemadmodũ lege Tabularum duodecim cautum erat fundum biennio vsucapi posse, ita & ædes biennio vsucapi censebuntur. At in lege.) Est obiectio, quam mox diluit Cic. Nam cùm quis obiicere posset, ædium in lege Tabularũ duodecim nullam mentionem fieri, fundi tantum mentionem fieri: respondet Cicero, Rerum immobilium est æqua possessio, sed ædes & fundus res immobiles sunt, proinde cùm fundus biennio vsucapiatur, etiam ædes biennio vsucapientur. Valeat æquitas.) Idem habes l. Non possunt omnes. ff. de Legibus.

COVEANVS. Ab efficientibus causis, hoc modo: Omnibus est ius parietem.) Causarum quot sint, & quæ genera, subtilissimè posterius explicabit ipse Tullius, quo loco de causis nos quoque plura dicemus. Nunc satis sit monuisse, causam omnem, quia omnis ad efficiẽdum aliquid conferat, efficientem nunc dici à Tullio. Quod ad exemplum attinet, Omnes, inquit, ad parietem communem, siue is solidus sit, siue fornicatus, possunt directum adiungere parietem: ne si incumbens adiungatur, paries communis corruat. Quidam ad parietem communem fornicatum, hoc est, fornicatim & arcuatim ædificatum (cui contrarius solidus est) parietem communem vt adiungeret & inscreret, demoliri parietem communem cœpit, cùm antè damni infecti apud Prætorem promisisset. (prætoria enim hæc est stipulatio) paries communis corruit. Quoniam tamen non eius culpa qui demolitus est, damnum datum est, sed operis vitio fornicati, quod ita ædificatum est, vt diruta parte aliqua suspendi & in altero retineri non posit, non tenetur damnum præstare, qui damni infecti promisit. Nam quemadmodum scribit Vlpianus. ff. de Damno infecto in l. Fluminum publicorum, si ex loci vitio damnum timeatur, damni infecti stipulationẽ interponi non oportet. & Pomponius eodem titulo, Inter quos, inquit, paries communis est, ædificiorum nomine quæ quisque propria habet, stipulari damni infecti solet. Sed tunc ea cautio necessaria est, cùm aut alter solus ædificat, & vitium ex opere futurum est: aut alter precioſiora ædificia habeat, & plus damni sensurus sit decidente pariete, alioquin si æquale periculum est, quantum quis vicino præstat, tantum ab eo consequitur. Ab effectis rebus.) A causis, non ab effectis duci argumentum hoc videtur: Mulier viro in manum conuenit: quare quæ mulieris fuerunt, omnia viri dotis nomine effecta sunt. hoc enim effecit conuentio in manum. Si autem sic colligas: Stichus dotalis Seiæ seruus Sempronij mariti est, quoniam quæ mulieris fuerunt, posteaquam ea in manum conuenit, viri fiunt, dotis nomine: à rebus quidem effectis argumentaris, non tamen propriè. id enim ex quo collegisti, effectum non est eius quod collegisti: id quod fieri debet, cùm ab effectis rebus argumẽtari volumus. Nunc ad exemplum. Quæ mulieris fuerunt, posteaquam illa in manum aut viro, aut ei cuius in potestate vir est, conuenit, omnia viri fiunt dotis nomine. Earum vxorum quæ in manum conueniunt, duo paulò antè genera fecimus ex Cicerone in oratione pro Flacco, in qua eadem ita demum mulieris bona omnia fieri refert Orator, si mulier tutoribus authoribus (in quorum potestate leges semper esse mulieres volebant) omnia sua bona doti dixisset. Nõ enim mulieris omnia bona viri continuò fiebãt, vbi illa in manum conuenerat. Id quod ex verbis M. Catonis intelligimus in suasione legis Voconiæ, quæ sic habent, Principio nobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit: eam pecuniam viro dat mutuam: postea vbi irata facta est, seruum receptitium sectari atque flagitare virum iubet. Cicero pro Cecinna, Ipse nunquam auderet iudicare deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. Neque existimandum est,

bona quæ mulier doti dicit, sic viri fieri, vt eorũ verus is dominus sit: sed in bonis quidem viri sint, mulieris tamen maneãt: nam neque à viro res dotalis alienari potest, & soluto matrimonio dos repetitur. Magis igitur est, vt vir in vxoris bonis vsumfructum quàm dominium habeat. Idq; ex l. Cùm post diuortium. ff. de Iure dotium, colligi potest, in qua scriptum iis verbis est, Partus dotaliũ ancillarum dotis esse portionem conuenit: ideóque frustra pacisci virum, vt inter vxorẽ & se partus communis sit. Quòd si vir verus esset rerum dotalium dominus, partus quoq; ancillarum eius essent: sed quoniam vsumfructum duntaxat habet, ideo partus ancillarum qui in fructu non sunt, dotis esse portionem conuenit. Quòd autem dicimus virum non esse verum rerum dotalium dominum, sic intelligi volumus, si modò res æstimatæ in dotem traditæ non sint. tum enim, quanuis eas mulier in vsu habeat, viri tamen dominium factum videtur. Vt igitur locum hunc concludamus, quæ mulieris fuerunt, non simpliciter viri fieri dicuntur à M. Tullio, sed viri fieri causa dotis, quæ voto tantùm atque animo dantis perpetua est. Vt si in vrbe fines non reguntur.) Iudicium finiũ regundorum habet locum in cõfinio rusticorum prædiorum, in vrbanorum displicuit. neque enim confinia hæc sunt, sed magis vicina dicuntur, eáque communibus parietibus plerunque disterminantur. Et ideo si in agris ædificia iuncta sint, huic locus actioni non erit. Sed quanuis iudicium agrorum proprium sit, in vrbe tamen locum interdum habet propter hortorum latitudinem, l. Sed & loci. ff. finium regund. Neque in vrbe aqua arceatur.) Actio aquæ pluuiæ arcendæ non aliàs habet locũ, quàm si aqua pluuia agro noceat. Cæterùm si ædificio aut oppido, cessat hæc actio. agi autem ita poterit, ius non esse stillicidia vel flumina immittere. Specialis enim est actio de aqua arcenda: de stillicidio autem & flumine immissis, generalis. Licet idem exẽplum conuertere.) Si in vrbe aqua arcetur, fines in vrbe regantur. Vt quoniam vsus & authoritas fundi biennium est, sit etiam ædium.) Cicero pro Cecinna, Lex iubet vsum & authoritatem fundi esse biennium, ac vtimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Quo in loco & vsus & authoritas pro vsucapione ponitur. Vsum pro vsucapione dici à Cicerone, dubium non est. sic enim paulò post hoc eodem loco in Topicis, Et sunt cæterarum omnium rerum quarũ annuus vsus est, hoc est, quæ anno vno vsucapiuntur. Papinianus. ff. Quibus ex causis maiores, &c. in l. Denique. Denique, inquit, si emptor priusquam per vsum sibi acquireret, ab hostibus captus sit, placet interruptam possessionem postliminio non restitui. Authoritatem pro eadem re dicit Cicero in oratione pro domo sua. sic enim scribit: Multæ sunt domus, Patres conscripti, in hac vrbe, atq; haud scio an penè cunctæ, iure optimo, sed tamen iure priuato, iure hæreditario, iure authoritatis, iure mancipij, iure nexi. Eodem modo intelligit Budæus Venuleij dictum in l. vlt. de Euictionibus, Si alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero, amitti authoritatem placet. Argumentum igitur huiusmodi est: Fundus biennio vsucapitur, quare ædes biennio vsucapiẽtur. Quemadmodum enim fundus, sic & ædes in rebus soli & immobilibus videntur posse numerari. Quanquam fundi appellatione, vt Florentinus scribit libro septimo Institut. omne ædificium & omnis ager continetur, ita vt ager cum ædificio fundus dicatur: tamen quemadmodum scribit Vlpianus in l. Locus. ff. de verb. signif. fundum plerunque accipimus, locum sine villa: & Iabolenus in l. Quæstio. ff. de verb. sign. fundum esse scribit quicquid solo tenetur. AEdes Florentinus in lege, Fundi. ff. de verb. sig. vrbana ædificia: rustica autem, villas scribit appellari. Neque tamen ædificia vrbana omnia ædes dicentur, nisi quæ habitandi causa parata sint. Nam neque porticus, neque fornices, neque theatra, neque templa, neque basilicæ, ædium appellatione continentur. At in lege ædes non appellantur.) At de ædibus silet lex duodecim tabularum: ideóque in cæteris rebus quæ anno vno vsucapiuntur, numerantur. æquitas tamen obtinuit, vt biennio vsucaperentur. Cùm enim constent ex solo, quod biennio vsucapitur: & superficie, cuius annuus est vsus: nihílq; iuri ciuili tam sit contrarium, quàm vt res eadem diuersis vsucapiatur temporibus: conuenit ædes biennio vsucapi debere propter solum, cui cedere superficiẽ liquidi iuris est. Quæ de re scribit his verbis Iabolenus in l. Eum qui. ff. de vsucap. & vsurp. Eum, inquit, qui ædes mercatus est, non puto aliud quàm ipsas ædes possidere: nam si singulas res possidere intelligeretur, ipsas ædes non possideret. separatis enim corporibus ex quibus ædes constant, vniuersitas ædium intelligi non poterit. Accedit eò, quòd si quis singulas res possidere dixerit, necesse erit vt dicat, in possessione superficiei tempori de mobilibus statuto locum esse, & se solum capturum ampliore tempore: quod absurdum & iuri ciuili minimè conueniens est, vt vna res diuersis temporibus capiatur: vtputa cùm ædes ex duabus rebus constent, ex solo & super-

ficie, & vniuersitas earum possessione temporis immobilium rerum dominium mutet.

COMMENTARIVS. Ab efficientibus causis.) Cicero per efficientes causas complectitur materiam, ex qua aliquid fit: formam, per quam: efficientem, à qua: finem, propter quam. Sed ideo appellat efficientes omnes causas, propterea quòd causa omnis suopte impulsu aliquid agit, aut saltem absque ea aliquid fieri nequit. In quodam codice scribitur, ab efficientibus rebus: vt paulò pòst, ab effectis rebus, quæ lectio non displicet. Omnibus est.) Hæc lex est duodecim tabularũ. Appellant autem parietem communem, quem Festus vocat intergerinum, qui inter confines & vicinos medius est & intergerit. quo ex genere est etiam paries contractitius à Papiniano vocatus. Directum parietem quidam appellant applicitum æqualiter communi. Haud scio an melius ita appellaremus parietem rectum, qui altera extremitate contingat communem. Damni infecti.) Caius iurisconsultus libro 39. Digestorum ait damnum infectum esse, quod nondum factum est, sed quod futurum veremur. Est autem promittere damni infecti, polliceri siquid vitij acciderit, se præstaturum. Cæterùm iurisconsulti præstare appellant, euentum & culpam luere, & compensare velle.

Non enim.) Initio legem posuit more iurisconsultorum, postea subiecit hypothesin, postremò argumentum. Cæterùm opus vocat quod suspendi non possit, opus quod in sublimi absq; fundamento tibicinibus sustineri non queat: qualis est exempli causa opus signinum. g. fort de tuilleaux. Ab effectis.) Effecta proprie dicuntur, quæ à causis efficientibus fiunt. sed quia Cicero efficientes appellauit omnes causas, effecta quoq; quæ ab omnibus causis proficiscuntur vocat. Rodolphus mauult appellare euenta. nam effectum ad efficientem, destinatum ad finalem causam redigit. Cùm mulier.) Materfamiliàs quæ in viri manum conuenerat, loco filiæ erat, & maritus ius patriæ potestatis in eam habebat. itaque omnia eius bona quæ in dote erant, viri fiebant: attamen quædam erant aduentitia, quæ parapherna à iurisconsultis vocãtur, quæ etiã mulieris erãt. Omnia quæ mulieris fucrunt.) Probat duntaxat propositionem: sed vt argumentum fiat, ab effectis colligere oportet, à consequentibus, vel simpliciter, ex vi materiæ: vel negando consequutionem, ex argumentationis forma. Ex cõparatione.) More Aristot. etiã axioma posuit, quod tamen accipiẽdum est negatiuè: vt quia hoc non fit, nec hoc fiat. Nam à maiori per negationem argumentamur. sed maius accipere debemus, maiorẽ veritatis speciẽ: vt minus, minorẽ veritatis speciẽ. Quod in re maiore.) Hic locus à similitudine differt: quia illa est in qualitate, hic autẽ locus in quãtitate. Fines nõ regũtur.) Fines regere, est certis limitibus agros terminare. At Vlpianus ait, si cui aqua pluuia noceat, ex iure aquæ arcendæ illam auerti. altera actio finium agendorum maior est, ac locum duntaxat habet in agris: inde petitur vis argumenti. Quod in minore.) Contraria est ratio argumentandi quã in superioribus. hic affirmatio valet, illic negatio. Sic igitur argumẽtabimur conuertendo, In vrbe aqua arcetur, ergo in vrbe fines regi debent. Item, Quod.) Hoc axioma ductum est ab Isonomia, id est ab æqualitate iuris, quæ seruari debet in rebus paribus, tametsi nihil constituerit lex. sic rhetores in statu syllogistico quod scripto non est cautum, redigere solent ad scriptum ex paritate aut aliqua comparatione, vt docet Fabius. Vt, Quoniam vsus authoritas.) Vsus & authoritas legendum videtur, quam lectionem probat Budæus, & Cicero agnoscit, qui sic scribit pro Cecinna: Lex iubet vsum & authoritatem fundi biẽnium esse. At vtimur eodem iure in ædibus, quæ in legibus non appellantur. Est autem vsus, vsucapio ex tempore definito & descripto lege: authoritas autem ius dominij. Potest etiam hæc seruari lectio, vt sit authoritas vsucapionis. At in lege.) Hypophora est, quam sibi obiicit. Est autem (si Hermogeni credimus) hic locus status ratiocinatiui, atque adeo omnium legalium, quando negamus aliquid esse scripto comprehensum.

Cæterarum.) Iustinianus libro secundo Institutionum ait, ex lege duodecim tabularum vsucapionem fuisse biennij in rebus solidis: vnius anni in rebus mouentibus. Obiicit igitur ædes ex rebus mouentibus esse, ac proinde anno vno vsucapi debere.

Quæ autem extrinsecus assumuntur, ea maximè ex authorita

Loci extrinsecus sumpti inartificiales.

te ducuntur. Itaq; Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes: vt si ita respondeas, Quoniam P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis

tegendi causa tectum proiiceretur, ex quo ~~in tectum eius ædis~~ qui protexisset, aqua defluere, id tibi ius videri.

BOETIVS. Alia quippe argumenta sunt, quæ ipse elicit orator, atque ipse quodammodo ex designatis locis sibi comparat, & propria facultate conquirit. Alia quæ extrinsecus posita non ipse inuenit, sed præsentibus vtitur & paratis: veluti testimonia, tabulæ, fama, cæteraq; de quibus M. Tullius latius tractaturus est. Non enim sibi ipse testimonia parat orator: sed paratis vtitur. nec ipse iudicium facit: sed iam posito ac spontaneo rumore veniente vtitur ad causam. atque idcirco hos locos Græci ἀτέχνους vocant, id est inartificiales, atque, vt Tullius dixit, artis expertes. quæ enim non proprio oratoris artificio comparãtur, sed se extrinsecus venientia subministrant, hæc iure artis expertia appellata sunt. Huius exemplum est. Vt si ita respondeas.) Solum ambitus ædium est, quantum soli ædium ambitus claudit. Scæuola igitur dixit id esse ambitus ædium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestũ est enim tecta latius fundi, nec parietibus adæquari, vt stillicidium longius cadat. Quæ cum ita sint, quidam parietem communem tegere nitebatur. quæritur an sit aliquod ius tegendi. Respondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius esse tegendi parietis communis, vt in eius qui tegat, aliud quodlibet tectum stillicidij aqua fundatur. aliàs nõ esse iuris, vt tegat quis parietem, stillicidio in vicini tecta defluente. Hæc enim stillicidij seruitus noua, nisi consentiente vicino, nihil iuris habet. Sed si huic responso opponatur, Nesic quidem vt tegat esse iuris: quandoquidem ædium solum tantum est, quantum cuiusque parietes claudunt. Qui verò tegit, tectum longius mittit. Tu, inquit, responsum tuum Scæuolæ autoritate firmabis, dicens Scæuolam respondisse, Hoc esse solum ambitus ædium, quantum tectum proiiceretur, non quantum parietes ambirent. Ius est igitur proiicere tectum, quia intra ambitum adhuc suarum ædium tegit: sed ita vt in suum tectum aqua defluat, nec vicino noua noceat seruitute. In qua quæstione neque à subiecto, neque à prædicato termino ductum est argumentum: quod in his locis considerari moris est, qui in ipsis hærent de quibus agitur terminis: vt in omnibus exemplu est diligentißimè declaratum. Sed quia sumitur argumentum extrinsecus, dubitationi iudicium cuiuslibet opponitur, vt nunc Scæuolæ, cuius autoritate responsum est: atque ideo ex loco qui vocatur extrinsecus, sumptum dicitur argumentum.

VISORIVS. Quæ autem extrinsecus assumuntur.) Probationem artificialem iam absoluit, quam in quatuor species distribuerat, definitionem, partes, notam, & res affectas. Nunc inartificialem persequitur, quæ testimonij nomine comprehenditur. ~~Est enim testimonium, extrinsecus assumpta probatio. extrinsecus assumptam vocamus, quæ ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem, id est, quam orator ex causa non trahit, nec excogitat, nec inuenit, sed extra dicendi rationem accipit.~~ Ea maximè ex authoritate ducuntur.) Persona, teste Cicerone, non qualiscunque testimonij pondus habet, ad faciendam enim fidem authoritas quæritur. ~~Est autem authoritas, in ingenioſis, opulentis, ætatis spacio probatis.~~ Item in iis quos studio doctrináque præstare putamus, quorumque vitam constantem & laudabilem esse opinamur. De authoritate Quintilianus cap. 11. lib. 5. in hanc fermè sententiam scribit. Adhibetur extrinsecus in causam & authoritas. hæc secuti Græcos, à quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes vocant: non de quibus ex causa dicta sententia est (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) sed si quid ita vsum gentibus, populis, sapientibus viris, claris ciuibus, illustribus poëtis, referri potest ab oratore, si ad causam pertineat. vt si de incommoditate vitæ dicas, poteris in tuam causam extrinsecus adhibere persuasionẽ earum nationum, quæ fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant.) Quintil. cap. 1. lib. 5 scribit Aristotelem ita diuisisse probationes, vt earum alias ἐντέχνους, id est, artificiales vocaret: alias verò ἀτέχνους, id est inartificiales. Nam τέχνη græcè, latinè ars dicitur. Insuper α litera nomen ea virtute priuat, quam haberet, si præposita non fuisset. Has autẽ probationes ideo inartificiales dicimus, quòd eas oratoris ars non pariat, sed ad oratorem vnà cum causa deferantur. non enim testes inuenit, non tabulas, non rumorem & famã, sed reus ad oratorem defert. Cicero in Partitionibus oratoriis ait testimonia non ideo sine arte dici, quòd sine arte sint: sed quòd ea non gignat oratoris ars, verũ foris ad eum deferantur, & extrinsecus ab eo sumantur, delata tamen arte tractat. Quo fit, vt inuentione testimonia inartificialia

fiunt, tractatu verò artificialia. Secundo tamen libro de Inuentione, diuersam sententiam Cicero secutus est, vt qui probationes artificiales illic testimonia faciat. In qua etiam sentẽtia Rodolphum esse iam prædiximus: his enim testimonia quæri & inueniri tradit. Sed hunc scrupulum iam ademimus. Quapropter ad reliqua pergamus. Vt si ita respondeas.) Exemplum est probationis ab authoritate ductæ, cuius sensus hic est: Tantũ est solũ ambitus ædium, id est, planicies & latitudo domus tanta est (authore Scæuola) quantum tectum proiicitur, hoc est, diffunditur & extẽditur parietis communis tegendi gratia. Certum est autem, tecta latius diffundi quàm parietes, nec parietibus æquari, vt stillicidium longius cadat. Si quis ergo parietem sibi vicinóque suo communem tegere velit, & vicinus impediat, tu Trebati si causam eius defendis, qui tegere vult, respõde ius esse communis parietis tegendi, modò stillicidium vicino non incommodet, quoniam ita Scæuolæ placuit. Proiiceretur & protexisset.) Protegere (vt inquit Budæus hunc locum citans) est tectum proiicere: proiicere dico, id est, procul iacere, longè extẽdere, necnon extra parietes diffundere. A protegẽdo protecta, sicut à proiiciendo proiecta dicta sunt. Sunt autẽ protecta & proiecta, partes domus prominẽtes, qualia sunt meniana & podia pensilia, vnde aspectus est nobis in vicos & plateas. Proiecturæ verò, teste Vitruuio, prominentiæ sunt domus, & veluti quædam supercilia parietum arcendis stillicidiis inuenta: fabri larmieros appellant, Latini intabulamẽta dicere possunt, quæ etiam coronæ nomine proprio vocãtur, siue structura, siue intestino opere (quam minutiariam vulgò dicunt) constent.

LATOMVS. Quæ autem extrinsecus assumũtur.) Hoc est, alterum genus locorum, quod in quæstione non hæret, sed extrà assumitur: quia neque in substantia rei est, neque ad eam refertur, sed in sola authoritate est positum, Græci ἄτεχνον vocant, id est ad verbum, inartificiale: non quia arte tractandũ non sit, sed quia nullis inueniatur artis præceptis, sed casu potius oblatum, vel conquisitum ab oratore ad causam afferatur. Vt si ita respondeas.) Respondere proprium est Iurisperitorum, cùm in causis consuluntur: vnde responsa prudentum in iure ciuili appellata. Quoniam P. Scæuola.) Ius non est in alieno ædificandi. Sed vicinus parietem cõmunem tegere vult, & ædibus suis adiungere. Tu licere negas, quoniam tui etiam iuris sit paries. Itaque si ædificare velit, permittis vt intra ambitum ædium suarum ædificet. Respondet Scæuola, & ambitum ædium definit, solum eius id esse, non qua paries claudat, sed quantum communis parietis tegendi causa tectum proiiciatur, modò aquam pluuiam in tuam partem recipias. Solum dicitur quod cuique rei subiectũ est, vt area ædificio, & terra pedibus nostris. Itaque solum ambitus ædium intelligimus aream, cui ædes impositæ sunt.

HECENDORPHINVS. Artis expertes.) Dicuntur autem istiusmodi argumentationes artis expertis, quòd non oratoris arte parantur, sed se extrinsecus subministrant. Vide Fabium libro quinto. Quoniam P. Scæuola.) Exemplum Ciceronis ita intellige: Erat cuidam paries cum altero communis, hunc tegere volebat. Iam est quæstio, An' ne sit ius quoddam tegendi? Respondet hic Cicero, hic ius esse tegendi parietem communem, vt stillicidium in illius qui tegit, tectum, quò libet proiiciatur, id est, demittatur. Seruitus enim noua stillicidij, nisi vicinus cõsentiat, iuris habet nihil. l. Seruitus. §. Qui in area. ff. de Seruitutibus vrbanorũ prædiorum. At si hic reclamaueris, ne sic quidem vt tegat, esse iuris, cum ædium solum tantum, id est, tam latè se tendat, quantum cuiusque parietes claudat: qui verò tectum tegit, longius proiicit, id est, mittit: Tu, inquit Cicero, ex Scæuolæ authoritate responde, hoc esse solum ambitus ædium, id est, tantum spacium ambitus ædium existere, quantum tectum proiicitur, non quantum parietes ambiant. Ius est igitur, tectum proiicere ei, qui intra ambitum adhuc suarum ædium tegit, sed ea ratione vt stillicidium in suum, & non vicini tectum dependeat.

COVEANVS. Quæ autem extrinsecus assumuntur, ea maximè.) Extrinsecus assumuntur, quæ ex se causa non parit. ita absunt, longéque disiuncta sunt. quare nõ inueniri, sed assumi ab oratore dicuntur. quæ causa est cur ab Arist. probationes sine arte in Rhetoricis appellẽtur.

Vt si ita respondeas, Quoniam P. Scæuola id solum.) Hic est Publius Scæuola Pontifex Maximus, Q. Scæuolæ Pontificis Max. pater, qui, vt scribit Pomponius l. 2. de Orig. iuris, decem libellos de iure ciuili reliquit. Is interrogatus quantus ædium esset ambitus, respondit, quãtum parietis tegendi causa tectum proiiceretur, ex quo in tectum eius qui protexisset, aqua deflueret. Si quis igitur id sibi ius videri respondeat, quoniam P. Scæuolæ visum sic est: authoritate is, nõ artificiosa

probatione faciat fidem. Quod ad exemplum attinet, non videtur P. Scæuola de omniũ ædium ambitu respondisse: insularum enim ambitus quæ parietem cum vicino communem non habent, definiri sic non potest. Species igitur de qua respondit Scæuola, huiusmodi mihi videtur: Cum paries cõmunis aut reficiendus esset, aut demoliendus, aut in eum aliquid immittendum, déque eo diuidendo ageretur, ambigebatur quemadmodum fieri diuisio deberet. Hoc constabat, partem eam quæ in mearum ædium ambitu esset, hoc est, in mea area, partem inquam esse meam, cùm superficies cedat solo. quærebatur igitur, qui ædium mearum esset ambitus. Communi diuidundo agi in re hac posse scribit Vlpianus ff. de Com. diuidun. l. Si ædes, inquit, communes sint, aut paries communis: & eum reficere, vel demoliri, vel in eum immittere quid opus sit: COMMVNI DIVIDVNDO iudicio erit agendum, aut interdicto VTI POSSIDETIS experimur. Idem scribit Paulus ff. de Ser. vrb. præ. l. in re communi: In re, inquit, communi, nemo dominorum iure seruitutis, neque facere quidquam inuito altero potest, neque prohibere quo minus alter faciat. nulli enim res sua seruit. Itaque propter immensas contentiones plerunque res ad diuisionem peruenit. Sed & per communi diuidũdo actionem consequitur socius, quo minus opus fiat, aut vt id opus quod fecit tollat. Ex quo in tectum eius, qui protexisset, aqua defluere.) Quid enim? si tectum ita proieci, vt parietem totum communem protexerim: an ideo paries communis totus meus erit? non: sed tantùm ex qua parte aqua in meum tectum defluit. Verùm si rem attentius consideremus, videbimus profectò eandem de tecto dubitationem emergere, quæ de pariete antea erat, quatenus scilicet tectum meum sit. Quare putarim suggrundis quibusdam & aquarum diuortiis tectum parietis cõmunis diuisum fuisse. Huc enim respexisse Cicero videtur scribens ad Cælium, Montem Amanum sibi cum Bibulo communem, diuisum aquarum diuortiis. & 3. de Orat. Hæc autem, vt ex Apennino fluminum, sic ex communi sapiẽtium iugo sunt doctrinarum facta diuortia. Protegere autem, quemadmodum Budæus interpretatur, est tectum proiicere.

COMMENTARIVS. Quæ autem extrinsecus.) Loci hi externi appellantur, & inartificiales. Externi, si rem spectes, quoniam extra quæstionem sunt: Inartificiales, si personam: quoniam ab oratore non inueniuntur, sed vel in promptu sunt, vel à litigatore deferuntur. Adhibentur autem ad causas coniecturales magna ex parte. Itaque non sunt iurisconsultorum, sed oratorum & dialecticorum. Ex authoritate.) Locum postea appellabit à testimonio, sed quia testimonij pondus pendet ab authoritate, idcirco nunc ab authoritate appellat. Itaque Græci.) Vt Aristoteles (quemadmodum est in Rhetoricis ad Theodecten) qui primus author fuit huius diuisionis, vt author est Fabius lib. 3. Artis expertes.) Hoc non referẽdum ad tractationem, sed ad inuentionem: nam tractatio est artificialis, teste Fabio. P. Scæuola.) Hic locus variè legitur in exemplaribus, & aliter quoque legitur à Budæo in Pandectis. Licet autem parietem communem protegere, dummodo vicino non imponatur seruitus stillicidij.

His igitur locis qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum tanquam elementis quibusdam significatio & demonstratio datur. Vtrum igitur hactenus satis est? Tibi quidem tam acuto, & tam occupato puto. Sed quoniam auidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, vt reliquiarum sit potius aliquid, quàm te hinc patiar non satiatum discedere.

BOETIVS. Omne elementum principium est eius rei, cuius elementum esse perpenditur. Nam eius quod ex elementis fit, ipsa elementa necesse est loco esse principij. Ergo quoniã loci superius designati, argumentorum quasi quædam principia sunt (ipsi enim sunt qui continent argumenta. omne autem quod continet, eius quod continetur, principium est) idcirco ait Cicero velut quædam elementa argumentorum videri locos hos, quos superius posuit. cautissimèque adiecit, quasi quædam elementa. Non enim integrè elementa, sed quasi in similitudine elementorum sunt hi loci.

qui in argumentis efficiendis sumuntur idcirco, quoniam argumentorũ quædam videntur esse principia: alioquin elementum omne minima pars est eius cuius elementum est. & id quod ex elementis efficitur, partes inuicem coniungit, vt literæ orationem. at verò locus, non pars argumenti, sed totum est. est enim significatio quædam, & demonstratio ad reperiendum argumentum data: vt si locum respexeris, noueris vbi conditur, vnde duci debeat argumentum. Sed reliqua ad Trebatium expeditissimè dicta sunt: blanditurque ei etiam breuia posse sufficere acuminis prærogatiua, præsertim cùm sit iuris occupatione districtus, & tempus legendi plura non habeat. Sed quoniam, vt inquit, auidissimum studij ad has doctrinarum epulas recepit, non vult degustatum, sed satiatum relinquere, vt ne desit aliquid, sed de pleno etiam relinquat: factáque est à conuiuando translatio iucundissima. Declaratis omnibus igitur locis, eorúmque exemplis diligenter expositis, pauca quædam de locorum vi atque ordine disputabo: quibus plenissima disputatione expeditis, ad ea quæ restant explananda transgrediar. sed id tertio iam volumine faciendum est: quoniam secundus liber habet proprium modum.

IN M. T. CICERONIS TOPICA Ioannis Visorij Commentarius II.

IS Igitur locis.) Hactenus locorum velut quædam semina & initia nu merúmquæ subtilissimè descripsit, & suum cuique loco exemplum subiecit. posthac à capite rursus exorsurus, singulos exactius & vberius exequetur: quorum breuis hæc fit enumeratio, quæ mentem lectoris reficiat, & à tædio vindicet: deinde si quid elapsum memoriæ fuerit, animóq; exciderit, in mentem reuocet. Sit ergo (vt diximus) hic breuis locorum epilogus, vt alij in eo de quo agitur hæreant, id est, in proposita quæstione sint insiti, necnon ab ea dicentis ingenio præsentem in rem deducãtur. quos ideo vocauimus artificiales, quia oratoris ars eos gignebat. qui duplices sunt: aut enim ad totum adhibentur, aut affecti sunt. Ad totum adhiberi dicebamus eos, qui totam rei propositæ naturam explicant: vt sunt, definitio, partes omnes, & notatio verbi. Qui loci sunt vniuersales & reciproci, nec latius patẽt, nec angustius sese contrahunt, quàm res de qua quæritur: sed cum ea reuertuntur, & obambulant. vt definitum & definitio reciproca sunt: partes omnes toti æquipollent, interpretatio vocabuli vocabulo æqualis est. quocirca tres hi loci ad totum adhiberi dicuntur. Reliqui sunt affecti, qui quamuis in toto sint, ad totum tamen non adhibentur. quippe qui rei de qua agitur æquales non sint, sed amplius sese fundant, aut arctius contrahant quàm proposita quæstio. Et eos idcirco vocauimus affectos, quòd verius iuxta totum quàm in toto essent. Sicut enim qui in vestibulo ædium esse dicuntur, neq; omnino intus, neq; foris omnino sunt: ita loci affecti neq; omnino in rei propositæ substantia, neq; extra substantiã eius, sed velut in medio quodã interuallo sunt. quos in tredecim species distribuimus, cõiugatum, genus, formã, similitudinem, differentiam, contrariũ, adiunctum, antecedens, consequẽs, repugnans, causam, effectum: deniq; comparationem maiorum, parium, & minorũ. Alij autem extrinsecus assumuntur, quos ideo inartificiales diximus, quòd eos oratoris ars non pariat, sed ad oratorem cum causa veniant, atq; à litigatore deferantur: quos omnes testimonij nomine Cicero comprehendit. Significatio & demonstratio datur.) Cicero in principio dixerat: Vt igitur earum rerum quæ abscõditæ sunt, demonstrato & notato loco facilis inuẽtio est. sic cùm perueſtigare aliquod argumẽtum volumus, locos nosse debemus. Sunt enim loci velut communes quædam rerum notæ, quæ nos eorum omniũ admonent quæ de re quaq; probabiliter dici possunt. Quapropter à Rodolpho significantissimè descriptus est locus, ita: Locus est communis quædam rei nota, cuius admonitu quid in quaque re probabile sit, inueniri potest. Tibi quidem tam acuto & tam occupato.) Hæc succincta descriptio locorũ, duplici ratione Trebatio satisfacere poterat, nẽpe vt acuto & occupato: Acuti enim crassa & effusa expositione nõ indigent: éstq; satis admonuisse loci. nã acumine ingenij freti, per se discunt, scrutantur, vestigant, inquirunt, & inueniunt: Insuper occupati verbosa & perplexa descriptione, necnon odiosa præceptorũ multitudine turbantur, eorúmque prudentia impeditur, &

memoria obruitur confusa partium copia. Verùm tametsi Trebatius & ingenij acumine valeat, & varijs negotijs implicitus detineatur, quia tamen locorum tam studiosus est, eos Cicero copiosius & explicatius iterum tradet, eorúmque proprietates & naturas similitudinesque ac differentias aperiet.

LATOMVS. His igitur locis qui sunt expositi.) Hactenus exposuit omnes locos, deinceps transit ad vim & vsum eorum vberius explicandum. Significationem & demonstrationem dicit, respiciens ad id quod suprà locos notas & signa inueniendorum argumentorum appellauit.

Ad has dicendi epulas.) Per allegoriam loquitur.

HEGENDORPHINVS. Tanquam elementis.) Ipsi enim loci iam expositi, argumenta continent: omne autem quod continet, eius quod continetur, principium est. Igitur locos, elementa vocat Cicero.

COVEANVS. Tanquam elementis quibusdam significatio.) Alludit ad rationem quandam scribendi obscuram per elementa & notas, qua veteres vtebantur: de qua Cic. iis verbis ad Atticum scribit lib. 13. Epist. Et quod ad te de decẽ legatis scripsi, parũ intellexisti, credo quia διὰ σημείων scripseram. De C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem. Ad quam rationem scribendi respexit quoque lib. 2. de Diuinatione, diuinationem irridens iis verbis: Quàm scitè per notas nos certiores facit Iupiter? Paulus ff. de Militari testamento. Lucius Titius miles notario testamentum scribendum notis dictauit, & antequam literis perscriberetur, vita defunctus est.

COMMENTARIVS. His igitur.) Interfatio est epilogistica, & transitio ad locorum tractationem. Sedenim statim initio locum appellat elementum, more Aristotelis & Theophrasti, quo intelligere debemus initium argumenti inueniendi & tanquam fontem. Vtrum igitur.) Proleptica est interrogatio, qua ingenium Trebatij cõmendat: sed tamen postea iustam subiicit causam quamobrem locos vberius tractare debeat. Non satiatum.) Metaphora sumpta est à splendido conuiuatore, qui lautius solet accipere conuiuas. Eadem sententia, sed dissimili metaphora, est vsurus in fine libri.

Quando ergo vnusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quædam membra habet, ea quàm subtilissimè persequamur, & primùm de ipsa definitione dicatur. Definitio est oratio quæ id quod definitur, explicat quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima: Vnum earum rerum quæ sunt, alterum earum, quæ intelliguntur. Esse ea dico, quæ cerni tangíve possunt, vt fundum, ædes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cætera. quo ex genere quædam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quæ tangi demonstrarive non possunt: cerni tamen animo, atque intelligi possunt: vt si vsucapionem, si tutelam, si gentem si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quædam conformatio insignita & impressa in intelligentia, quam notionem voco: ea sæpe in argumentando definitione explicanda sunt.

ANITII MANLII SEuerini Boëtij in Topica M.T.C. commentariorum Liber tertius.

ANtequam latiorem M. T. diuisionem de numeratis superius locis aggrediar, pauca, vt sum pollicitus, de vi atque ordine locorum mihi videntur esse tractãda: vt eorum natura diligentius cognita, facilior se argumentorum copia subministret. Primùm igitur, quoniam loci omnes diuisi sunt in eos qui in ipso hærent de quo quæritur, & in eos qui extrinsecus assumerentur: videndum est quínam sunt hi loci, qui in ipso hærent de quo quæritur, vel qui ab ipsis rebus differunt in quibus hærere dicuntur. Atque illud quidem planissimè expeditum est, ipsos dici terminos illos, qui in quæstione versantur. horum esse alterum prædicatũ, alterum verò subiectum, superior expeditio patefecit. Ab eo igitur termino de quo agitur, quid differt locus à toto? quandoquidem idem est ipsum esse quod totum. neq; enim est aliud esse quemlibet terminum in quæstione propositum, quàm totum esse terminum eundem qui in quæstione est constitutus. de partibus quoque idem dicemus: nam si omnes partes efficiunt id, cuius partes sunt, terminúmque in quæstione propositum suæ partes efficiunt: non est dubium quin partes quoq; omnes conuenientes id esse quod ipsum est in quæstione propositũ, rectissimè intelligãtur. Notatio verò, eodẽ modo illud ipsum est, quod in quæstione proponitur. rem enim vnãquanque omne vocabulum designat ac denotat. Fit igitur vt totum, partes, ac nota, idem quod est ipsum de quo quæritur, esse videantur. In tanta igitur similitudine rerum danda est differentia. neque enim, vt dictum est, si locus hæret in eo ipso de quo quæritur, atque ab ipso de quo quæritur capi non potest argumentum, fieri potest, vt locus idem esse possit quod ipsum est. Sed hæc differentia est: ipsum est, quod confuse ac singulariter intelligitur: vt homo: in eo inest totum suum, quod est definitio. Ipsius igitur totum, ab eo quod ipsum est intelligẽtia separatur, quòd illud quidem singulariter intelligitur, hoc verò sub generis ac differentiarum enumeratione mõstratur. Diuidit enim definitio atque dispertit, totúmque patefacit, quod in re ipsa singulariter intelligebatur. de partibus quoque eadem ratio est. Si enim ad membrorum multitudinem, vel specierum omnium enumerationem, singularem termini referas intellectum: statim ipsius ac partium differentias comprehendas. Nota etiã, ab eo cuius nota est, facile distat. quia illud vox & significatio est: illud res significationi supposita. eorum verò quæ affecta sunt, nõ sunt dubiæ differentiæ ab his, quorum affecta esse monstrantur. Quis enim idem dicat esse coniugatum, quod est id cui coniugatum est? Quis idem esse iustè quod iustitia? Quis genus idem quod forma? quis contraria? quis similia? quandoquidem neque contrarium, sibi ipsi contrarium esse potest: nec simile, sibi ipsi simile: nec genus sibimetipsi genus. & de cæteris eadem ratio est. Nunc illud dicendum est propter quod ista præmisimus. quandocunque enim ab illis tribus locis qui primi propositi sunt, argumenta sumuntur, id est à toto, à partibus, à nota: fit vt ipse quidem terminus ad cuius fidem quæritur argumentum, intra quamlibet earum rerum contineatur: quæ cum ad argumentum ductæ fuerint, loci esse monstrantur. velut cum fit argumentum à toto: ipse quidem terminus cui fides affertur, intra totum comprehenditur: totum verò ipsum, quod est definitio, res est, si quidem orationem rem vocari placet. At si ex ea sumitur argumentum, fit locus. Iam ipsum quidem de quo agitur, intra totum clauditur: à quo toto cum fit argumentum, fit ipsum totum locus: quod totum, quoniam claudit terminum qui in quæstione versatur, eidem termino videtur inhærere. quo fit vt locus quoque qui à toto est, eidem inhæreat termino, de quo in quæstione dubitatur. Partium quoque enumeratio eundem terminum claudit, quem partium collectione coniungit. Ipsáque partiũ enumeratio res quædam est, si oratio rebus annumeranda est. Sed si ab ea ducitur argumentum, fit locus. Sed quoniam partium multitudo in eodem termino est, quem cõuentus partium iungit: necesse est eum quoq; locum qui est à coniunctione partium, ipsi illi termino de quo quæritur, inhærere. Nota etiam rem designat, & signatione aliquo modo comprehendit. à qua si ducitur argumentum, fit locus. & quoniam nomen omne ei videtur adesse, cuius intelligentiam signat: locus quoque qui est à notatione, in ipso hæret de quo versatur intentio. At in affectis, quæ in tredecim partes diuisa sunt,

non idem est. Nam quoniam respicientia quodammodo terminum sunt, & quasi extrinsecus constituta: non videntur eodem modo coniuncta esse cum termino, quo coniuncti sunt hi loci, qui à toto, à partium enumeratione, à nota esse prædicti sunt: sed tamen id quod affectum est, ad aliquid dicitur. Id verò aliquid, iunctum est illi semper quod ad eius ducitur relationem: ac sine eo esse nũquam potest: quare cum ipso nascitur, & quodãmodo altero dicto intelligitur alterum. Nam si id de quo quæritur, eiúsq; affecta perpẽdas: ea quoq; quæ perhibentur affecta, extra id de quo ambigitur, posita esse cõsideres. nihil enim eorum quæ sunt ad aliquid, ex seipso esse potest, sed est semper ex altero. vt enim in prædicamentis ostenditur, omnia quæ ad aliquid dicuntur, opposita sunt. non tamen ita disiuncta sunt, vt omnino sint distributa. sed quoniam relatiua prædicatione iunguntur, necesse est aliquo modo in ipso sint ad quod vidẽtur affecta. Omne quippe affectũ, ex eo ad quod affectũ est, suscipit formam, & sine eo esse non potest: & dicto altero, alterius se statim subiicit intellectus. vt cùm dixero dimidium, duplum intelligitur: & cùm patrem nominauero, filius ad intelligẽtiam venit. & omnia quæcunque ad aliquid sunt: ex sese pendent, nec à seinuicem deseruntur. Igitur omne affectum, & ad ipsum respicit ad quod refertur, & in ipso est. ad ipsum quidem respicit, quoniam ad affectum suum, velut ad aliquid, relatiuè more prædicationis refertur. In ipso verò est, quòd ea est affectorum natura, vt alterum existat ab altero, seq; ipsa possideant. quandoquidem & id quod affectum vocatur, eius est termini ad quem consideratur affectum: & terminus in quæstione propositus affecto suo intelligitur esse connexus. Quæ cùm ita sint, cùm argumentum sumitur à coniugatis: quoniam id quod coniugatum est, affectum est ad id quod ei ex altera parte est coniugatum, id quidem de quo quæritur, in altrinsecus posito coniugato hæret. Is verò locus vnde argumentum trahitur, ab altero ducitur coniugato. veluti, si compascuus ager est, ius est compascere. Igitur compascere atque compascuum, coniugata sunt. sed quærebatur an ius esset compascere. Tractum verò est argumentum à compascuo. Itaque terminus quidem de quo fuit quæstio, in altero coniugato positus deprehenditur, id est in compascendo. locus verò vnde argumentum tractum est, in altero est, id est in compascuo. Item quoties à genere ducitur argumentum, id de quo quæritur in forma hærere necesse est. vt cùm ostenditur legata esse numerata pecunia: quoniam fuerit argentum omne legatum. Quæritur enim de numerata pecunia: quæ est species argenti. & argumentũ tractum est ab argento, id est à genere. Itaque ipsum de quo quærebatur, in forma fuit, id est in specie. Argumentum verò tractum est ab affecto, id est à genere. Quòd si à forma generis argumentum fiat: conuerso modo est. id quidem quod quæritur, in genere esse monstratur: ipsum verò vnde sumptum est argumentum, in forma esse perpenditur. Nam cùm quæratur an legatum sit vxori argentum, ostenditur non esse legatum: quia non fuerit vxori tantum legatum, sed matrifamiliàs vxori. Vxor verò genus est: materfamiliàs, species vxoris. Quæritur igitur de vxore, id est de genere. Argumentum factum est à matrefamiliàs, id est à forma. Quoties verò à similitudine trahitur argumentum: quoniam id quod simile est, non sibi, sed alteri esse simile perpenditur: res quidem de qua quæritur, in vno eorum quæ sunt similia, posita est: at verò locus, in altero. velut cùm quæritur an hæres restituere vitium ruinámve cogatur ædium in vsumfructum relictarum. In hoc igitur quæstio est, locus verò in similitudine: quia non oportet hæredem ædes restituere: sicut nec mancipium, si id aliqua ratione depereat. Cùm igitur similis sit ædium vsusfructus atque mancipij: quod quæritur, in ædium vsufructu positum est. Locus verò, in vsufructu mancipij. In differentia quoq; idem est. eorum nanque quæ differunt, in altero positum est id quod quæritur: in altero verò illud à quo id quod est ambiguum, comprobatur. vt cùm quæritur, an id quoque argentum quod in nominibus debeatur, legatum sit. Hic igitur illud est quod dubitatur. In eo vero quod ab hoc differt, locus: à quo ostenditur minimè legatum esse argentum quod in nominibus debebatur, quia multum differt in arcáne sit positum, an in nominibus scriptum. A contrario quoque idem est: vt in eo quod quæritur, an vsusfructus penus legatus sit. In vsufructu igitur quæstio est, sed probatur minimè esse legatus. quia non potest esse vsus earum rerum, quæ vtendo pereunt, sed potius abusus. in abusu igitur locus est: scilicet in altero contrariorum cùm fuerit in vsu quæstio. Ab adiunctis etiam locus eodẽ modo ab eo quod quæritur, segregatus est: vt in vno adiuncto sit quæstio, in altero verò sit locus. Nam cùm quæratur an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ possessio detur: in hoc quæstio est: at in huius adiũcto, locus. ostenditur enim minimè dari debere possessionem, quia sit proximum vt secundum puerorum atque seruorum tabulas bonorum possessio

concedatur. Ab antecedentibus verò ita est locus, vt quæstio sit in consequẽtibus. Nam quod quæritur, an aliquid dotis nomine pro liberis manere oporteat, sumitur argumentum nullo modo manere oportere ex antecedẽtibus, quòd viri culpa factum est diuortium. locus itaque, in antecedẽti: quæstio verò in consequenti. Consecutũ est enim viri culpa factũ diuortiũ, nihil apud patrem pro liberis permanere, cùm viri culpa præcesserit. A consequentibus verò si sit argumentum: res quæ dubia est, in antecedentibus esse deprehenditur: velut cũ quæritur an diuortio facto cum eo cum quo connubiũ non erat, dotis nomine aliquid pro liberis manere oporteat: fit argumentum sic, Siquid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi sequerentur: cum eo nupta esset mulier, quicum connubij ius esset. hic antecedens est, Siquid ex dote pro liberis manere oporteret: & in eo quæstio, an aliquid manere oporteat. consequens, Cum eo mulier nupta quicum connubij ius esset. à quo sumitur argumentum, id est à consequenti. Nam cum manifestum sit non cum eo esse nuptam, cum quo connubij ius erat: ostenditur quòd minime patrem liberi sequantur. atque idcirco nihil pro liberis manere oportere. Hic igitur res quidem quæ dubitatur, in antecedẽti est, in eo scilicet, an ex dote pro liberis manere aliquid oporteat. argumentum verò in eo loco, qui est in consequentibus, id est in muliere quæ nupta est cum eo cum quo nulla erant iura connubij. A repugnantibus etiam quoties argumenta sumuntur: res quidem dubia in altero repugnanti, in aduerso uerò locus est argumenti. vt cum quæritur, An possit inuita mulier reddere legatũ quod rectè testamẽto semel accepit. Locus à repugnanti: minime posse inuitam reddere quod rectè acceperit. Quæstio igitur est in eo, quòd intelligitur inuitam reddere. argumentum verò, in altero repugnanti, id est in eo, quòd intelligitur rectè accipere. Pugnant enim inuitã reddere, & recte accipere. sed quæstio in vno eorum est: locus in altero. Quoties verò à causis efficientibus ducitur argumentum, quæstionem in effectis esse necesse est: vt in exemplo quo quæritur, an qui satisdederit damni infecti, vitiũ parietis præstare cogatur. In hoc igitur, id est, vitio parietis, quæstio est. sed de causa trahitur argumentum: Dicitur enim non oportere præstare: quoniam natura parietis causa fuerit vitij, non is qui de præstando vitio satisdedisset. Effectum igitur causæ, vitium parietis fuit. Itaque quæstio quidem in effecto: locus verò esse consideratur ex causa. At si ab effectis aliquid approbetur: locus in effecto, quæstio in causa est constituta: veluti cùm quæritur, An mulier quædam cuius bona viri facta sint, dotis nomine in viri manum conuenerit. Quoniam ergo in manum conuentione perficitur, vt bona mulieris post eius mortem vir adipiscatur: argumentum ducimus ab effectis. Efficitur enim per in manum conuentionem, vt quæcunq; sunt mulieris, viri fiant dotis nomine. ergo cùm ea quæ mulieris fuêre, vir nomine dotis adipiscitur: mulierẽ in manum viri necesse est cõuenire. Quæstio itaq; de muliere est, An in manum conuenerit. argumentum verò, ab effecto causæ, id est in manum conuentionis. hoc verò est, quòd ea quæ fuêre mulieris, vir nomine dotis acquirit. quo fit, vt quod quæritur, in causa: locus verò, sit in effectis. A comparatione verò maiorum si fuerit argumẽtum: quæstio erit in minoribus. vt si quæratur, An in vrbe aqua debeat arceri: defendatúrque minimè debere: neq; enim fines regũtur. ita in aqua arcenda, quod minus est, quæstio est: locus verò, in finibus regendis, quod maius est. Contrariè verò, si à minore argumentum ducatur: erit id quod dubitatur, in re maiore: vt si dubitetur, An fines in ciuitate regantur: Respõdeamus minimè: quoniam ne aqua quidem arcetur. Ita id quod dubitatur, in re maiore consistit: illud verò vnde argumentum sumitur, in minore. Et in comparatione parium similis ratio est: in vno enim eorum quæ sunt paria, quæstio consistit: in altero locus intelligitur argumenti. veluti cùm quæritur, An ædium vsus biennio capiatur: id approbamus, quoniam fundorũ quoq;. Cùm igitur paria sint fundus atque ædes: quæstio quidem de ædibus est, argumentum verò ducitur à fundo. Ac de vi quidem locorum, quóque à se modo quæstiones & loci argumentorum separentur, hæc dicta sint. Nunc eorum ordinem breuissimè commemorabo. Ex hoc itaque oritur omne iudicium. Qui locus prior, qui sit posterior existimandus, si eos terminos considerabimus, qui in propposita quæstione versantur. Quæcũq; enim his terminis propinquiora sunt, hæc rectissimè priora numerantur. Posteriora verò quantũ à propositis longissimè quoq; recesserint. id autem tali ratione clarescet. Primùm nanque, locorum est diuisa pluralitas in eos qui in ipso sunt de quo agitur, & in eos qui assumuntur extrinsecus: in quo præpositos esse intelligimus eos locos qui in ipso sunt, his locis qui trahuntur extrinsecus. Hic verò locus qui in ipso est, in primas quatuor distribuitur partes: quarum prima est definitio. qui locus à toto est nuncupatus. idcirco autem primus à toto ponitur: quoniam nihil est alicui tam proximum, quàm propria definitio. Consequitur enume-

ratio partium: quia post definitionem proximum locum partes tenere debent, quæ totũ id cuius partes dicuntur esse, coniungunt. His apponitur nota: quæ quasi conuerso modo definitio est. Nam sicut definitio explicat quod implicitè nota designat: ita nota inuoluit & confuse indicat, quod patefacit atque expedit definitio. Nota verò tertia ideò est, quia definitio substantiam tenet. partitio ea dinumerat, quæ totum compositum iungunt: nota verò nihil efficit, sed tantùm designat. Post hæc quæ in ipsis terminis principaliter hærent, illa quæ sunt affecta numerantur: quæ iam non ipsis insunt terminis, sed eosdem velut exterius posita consequuntur. atque idcirco solùm in ipsis esse dicuntur, quoniam sine his esse non possunt, quorum prima sunt coniugata. Nihil enim inter affecta sic proximum est, quàm quod & re, & nomine participat: nisi quòd parua nominis inflexione seiũgitur. Nam id quod iustum est, & iustitia participat, & inflexo iustitiæ nomine nuncupatur, & in cæteris quidem coniugatis idem est. Post hæc adnumeratum est genus. Genus verò quod cuiuslibet vniuersaliter substantiam monstrat, & quod multorum specie diuersorum, sustantialis est similitudo, à propositis terminis longius quàm coniugata, seiungitur. quia tametsi substantiam monstrat: tamen ne inflexo quidem vocabulo cum termini nomine copulatur: sed longè latéque diuerso. Huic adiuncta est species: quam formam Tullius appellauit, quia nihil est tam proximum generi, quàm species. Species verò est substantialis indiuiduorũ similitudo, & quod sub genere ponitur. Post hanc similitudo est constituta. etenim post illud idem quod in substantiis intelligitur, illud idem rectè ponitur quod in qualitate esse perenditur. Paulatim verò res incipit à similitudine recedere: nec statim à contrario locum ducit, sed prius ad differentiam locum statuit. Nam remota similitudine, nihil aliud occurrit prius, nisi differentia. post hanc, à contrario ducit, id est à maxima differentia. rursus ad amica sibi affecta cõuertitur. sed non eo modo amica, quo sunt similia: adiũcta enim proponit, quæ non sunt integræ similitudinis, sed inter se iudicij & veluti cuiusdam rerum sibi cohærentium propinquitatis. Post adiuncta verò, antecedẽtia Tullius posuit. Post id enim quod aliquo modo iunctum est, aliquid necesse est aut antecedens, aut consequens intelligatur. Prius itaque antecedens, post consequens collocatum est. Post hæc repugnantia dixit: vt quodammodo duplex ordo contrarietatum ac similitudinum nasceretur. Prius enim posuit à simili, à differentia, à contrario. atq; hic vniuersus ordo est similium & contrariorum. Rursus ab adiunctis, ab antecedentibus & consequentibus, à repugnantibus. Hic rursus secundus ordo similium & contrariorũ esse deprehenditur. sed primus valde euidentior, quàm secundus: plus est enim simile esse, quàm adiunctum: plus est differre, quàm antecedere, vel consequi: plus esse cõtrarium, quàm repugnans. Et in suo quæq; plenam retinẽt formam: velut quia similitudo propinquitatẽ quandam tenere debet, propinquius est id quod est simile ei cui simile esse consideratur, quàm id quod adiunctum est ei cui naturali vicinitate coniungitur. Rursus quoniam differentia dissimilitudinis author est: dissimilius est id, quod ab alio differt, quàm id quod consequitur, vel antecedit. Rursus quoniam contrarium longissimè ab eo cui contrarium est, oportet abscedere: longius abscedit contrarium quàm repugnans. Post hæc quid aliud restare poterat, quàm effectorum causas quærere? aut post effectorum causas quid aliud quàm ipsarum causarum perquirere effectus? Præterea à comparatione loci, postremum ordinem tenent: quia siue similitudinem, siue dissimilitudinem in sola obtinent quantitate. Et de locorum ordine satis dictum. Illud præterea considerandum puto, Num hi quoq; argumentorum loci, qui in ipso hærent de quo quæritur, inter affecta iure numerentur. quandoquidem quæ affecta sunt, idcirco esse dicuntur affecta, quia sunt ad aliquid, & proposíti terimini relatione nectuntur. Nam & definitio, alicuius est definitio: & totum, partiũ totum est: & nota, significati nota est. Sed inspiciẽda natura est singulorum: & videndum num similiter hæc ad aliquid referantur, vt cætera. Nam definitio rem quam definit, quodammodo explicat atque confirmat. Item partes, rem cuius partes sunt, propria coniunctione perficiũt. Nota verò, eius intellectum communiter tenet. & cùm hæc cætera quæ vocantur affecta, non faciant, iure hæc non inter affecta ponuntur. Sed in eo ipso quod veluti efficiunt atque conformant, inesse dicuntur. Sed quoniam de vi atque ordine locorum sufficienter dictum est: nunc ad sequentia transeamus. Præter omnia enim quæ superius dicta sunt, illud animaduertendum maximè est, quia non siquid in argumentis fuerit sumptum, illud eorum argumentorum locus dicendus est: nisi non solùm insit argumentis, verùm etiã ab eo argumẽta nascantur. id quod dico, planiore liquebit exemplo. Si quod enim fuerit argumentum in quo sumatur genus vel species: non statim illud argumentum ex genere vel specie tractum esse dicitur: nisi ei argumento

vires generis vel speciei qualitas subministret. Age enim, sit quæstio, An idem sit animali esse quod viuere. quia ne inanimato quidem idem est esse, quod mori: plurima quippe sunt inanimata, neque moriuntur. Nam quæ nunquam vixêre, ne mori quidem posse manifestum est. Hic igitur inanimatum genus est lapidum ac fusilium metallorum. & sumptum est in argumento, sed non ex genere factum est argumentum, licet in eodem genus videatur inclusum, sed potius à contrario. Nanque contrarium est vitæ quidem mors: animali autem inanimatum. sed mori non sequitur inanimatum. igitur ne animali quidem viuere. Non ergo ex genere locus iste dicendus est, sed potius ex contrario: quanuis genus huiusmodi contineat argumentum: tunc enim locus esset à genere, si ab animalis vel à viuendi genere argumenti ratio traheretur. velut si ita fieret argumentum, Animali esse, substantia est. ipsum verò viuere, substantia non est, sed in substantia venit. Non est igitur idem viuere quod animali esse. A substantia igitur tractum est argumentum, à genere videlicet animalis. Hoc igitur argumentum, & genus continet, & ex genere ductũ est. in priore verò, etsi genus continet, à contrario tamen ductum esse perpẽditur. Illud enim semper speculandum est, non quid in argumento sit, sed ex quo ducitur argumentum. & in cæteris quidem eadem ratio tenenda est. neque est enim in singulis immorandum. Si quos enim diligentia decursæ superius expositionis exercuit, facile in reliquis colligent, quod vno declaratur exemplo.

Quando ergo vnusquisque &c.) Propositis breuiter argumentorum locis, eosdem subtilius atque enodatius statuit per suas partes & conuenientia membra partiri: Ita enim locorum omnium diligentius natura considerabitur, si non confuse solum, verùm etiam distributim, & in suarum partium proprietate noscantur. Dat verò hic multam inueniendorum copiam argumentorum. vt enim de definitione dicamus, Si cunctas aliquis definitionum partes agnouerit: ex omnibus sibi poterit argumenta conquirere, erítque in inueniendis copiosior argumentis eo, qui quot sint definitionis species ignorat. Ex tot enim definitionum partibus argumenta producet, quantas quis definitionum partes esse cognouerit. Is verò habebit plurimam talium locorum facultatem, quem definitionum diuersitas non latebit. Ob hoc igitur M. Tullius quos confuse atque indigestè posuit locos, nunc eosdẽ diligẽtiore ratione partitur. Ac primùm illud prestiore considcratione tractandum est, quòd, vt dictum est, etiam loci ipsi res quædam sunt: sed esse intelliguntur loci, cum ab his trahitur argumentum. Ergo nunc Cicero non principaliter locos, sed res ipsas diuidit: quæ ad argumentum ductæ, speciem sumunt locorum. Definitio nanque, & pars, & nota, res quædam sunt. sed cum ab his argumentum ducitur, loci fiunt. Cum igitur M. Tullius res ipsas ita vt sunt, naturaliter partiatur: simul cum rebus diuidit locos. Si enim res vna est, à qua duci poterit argumentum: tum vnus est etiam locus. at si illa diuiditur: quot partes eius rei fuerint, tot erunt etiam loci generis eiusdem de quo argumenta nascuntur. Quæ cum ita sint, cúmque primus omnium locus à toto sit, id est à definitione: prius quid sit definitio declarat: vt patefacta rei natura, species eius vel membra conuenienti ordine partiatur. Definitio, inquit, est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit. sicut definitio est hominis, animal rationale mortale. Dictum verò cautissimè est, explicat. Nam quod nomen confuse denuntiat: id definitio per quædam substantialia mẽbra diffundit. Quod enim confuse nomine hominis declaratur: id aperit atque explicat definitio, dicens, hominem esse animal rationale & mortale. Nam nisi ita dixisset, potuerat esse communis definitio generi, velut hoc modo, Definitio est, quæ designat quid est id quod definit. Sed genus quoque designat quid est id de quo prædicatur: sed non explicat. Sola enim definitio explicat quid sit: quæ oratione perficitur. Genus verò, & cætera quæ singulis plerunque nominibus proferuntur, minime. Explicat autem definitio id quod definitur: non quoquo modo, id est, non in eo quod quale, vel quantum est, non in quolibet aliorum prædicamentorum: sed quid sit, id est, cius quod definit, substantiam monstrat. Ea verò definitio substantiam digerit, quæ ex genere differentiísque consistit: hæc nanque vniuscuiuslibet substantiam signant: sicut in his dictum est, vbi de genere, ac specie, differentia, proprio, accidentíque dictum est. ergo omnis definitio explicat quid sit id quod definitur. Aristoteles verò eodem penè modo definitionem determinat, dicens, Definitio, est oratio quid est esse significans. Hanc M. Tullius partitur hoc modo. Definitionum autem duo genera.) Omnem definitionem manifestum est ad aliquid dici: alicuius est enim semper definitio. Quæ verò ad aliquid dicuntur, quandam proprietatem ex his sumãt necesse est, ad quæ referuntur. Quo fit vt ex his rebus quas determinat definitio, in ipsas definitiones quædã proprietas transferatur. sed

quia quod ad aliquid refertur, id non potest idem esse ei ad quod dicitur: propriam quoque ipsum quod refertur ad aliud formam necesse est posidere. Eóque fit, vt in definitionibus, & sua cuique insit forma: & ea quam ab his accipiunt, quæ definiunt, consideretur. Quod M. Tullius videns, primùm diuidit definitiones secundum ea quæ definiuntur. quarum genera duo esse proponit: vnum earum rerum quæ sunt, alterum earũ quæ intelliguntur. Has igitur definitionum differẽtias ex his videtur sumpsisse, quæ in definitione monstrantur. Omnia enim quæ definiuntur, aut corporalia sunt, aut incorporalia. Res enim omnes in hæc primitus diuiduntur. Ea verò quæ corporalia sunt, esse dicit: quæ incorporalia, non esse: Non quòd omnino ea quæ incorporalia sunt, nõ sint: alioquin nec definitionem susciperent. Nã si definitio est qua explicatur id quod definitur quid sit: eius rei, quæ omnino non est, nec quid sit, explicatio vlla esse potest. Sed quia humanũ genus sensibus degit: id maxime esse arbitratur, quod sensuũ cõprehensioni subiicitur. Quis enim sibi non magis lapidem scire videatur, aut hominem, q̃ iustitiam, vel hæreditatem, vel quicquid aliud non sensibus, sed intelligentia comprehendit? Vnde fit, vt propter euidentiam cognitionis ea magis esse videãtur quæ subiecta sunt sensibus: ea minime, quæ intelligentiæ ratione capiuntur. Sed id sciẽdum est, M. T. ad hominum protulisse opinionem, nõ ad veritatem. Nã vt inter optimè philosophantes constitit, illa maximè sunt, quæ longè à sensibus segregata sunt: illa minus, quæ opiniones sensibus subministrãt. Vnde etiam idem Cicero in Timæo ait, Quid est, quod semper sit, nec vllũ habeat ortum: & quod gignatur, nec vnquam sit? Quorum alterum intelligẽtiæ ratione cõprehenditur: alterum affert opinioni sensus rationis expers. Hic igitur id quod semper sit, rationi adiecit. id verò quod nunquam sit, sensibus iunxit. Sed vt dictum est, corporea esse, & incorporea non esse: non ad veritatem, sed ad communem quorumlibet hominum opinionem locutus est. Ponit igitur exempla earum quidem rerum quæ sunt, formas quasdam corporalium rerum: vt fundum, ædes, parietes, stillicidium, atque id genus: quæ corporalia esse hac ratione ostendit, quoniam cerni tangíque possunt. Earum verò rerum quæ non sunt, exempla posuit, vsucapionem, tutelam, gentem, cæteráque quæ sunt incorporea: quæ ex hoc incorporea esse monstrauit, quòd ait ea tangi demonstrariue non posse, sed intelligentia atque animo comprehendi. Cur verò ea non esse dixerit, supposuit rationẽ, dicens, nullum quasi corpus earum rerum esse, nec molem aliquam quæ feriat sensum. Quod enim corpus esse potest vsucapionis? Nam ipsa quæ vsucapiuntur, corporea sunt: ipsa verò vsucapio corporea non est. Ipsa enim per vtendi consuetudinem possidendi firmitudo, quódnam corpus habere potest? Item, quod quis tutela regit, corporale est: homo nanque est. Ipsa verò cura tutelæ, atque ipsum ius alium tuendi, nihil omnino corporis habere potest. Homines quoque qui in eadem gentilitate sunt, corporei sunt. Ipsa verò gentilitas, id est, communis nominis liberorum societas, vt Scipionum, Valeriorum, & Brutorum, certè incorporea est: sed quædam earum rerum incorporalis animi conceptio est atque intelligentia, quam notionem vocauit. Ipsa enim imaginatio vsucapionis vel tutelæ atq; intellectus incorporalis rei, notio dicitur. quam Græci ἔννοιαν vocant. Diuisit igitur definitionem in has duas partes, scilicet secundum subiecti differentias, vt alias quidem esse diceret definitiones earum rerum quæ sunt, id est corporalium: alias verò, rerum quæ non sunt, id est incorporalium. Hinc quæri potest, quod etiam superius breuiter commemoraui, Quónam modo definitio non inter affecta numeretur, cum omnis definitio ad aliquid esse videatur. Idcirco enim affecta esse dicta sunt, similitudo, contrarium, & cætera: quoniam semper ad aliquid referuntur. Quod si etiam definitio refertur ad aliquid, nec est absolutæ ac propriæ considerationis: ea quoque inter affecta ponenda est. Sed occurritur, quoniam ea quæ affecta sunt, tanquam vmbræ quædam corpus, ita extrà posita non possunt id relinquere ad quod probantur affecta. & aut omnino substantiam eorum ad quæ affecta sunt, non significant, vt contrarium, simile, & cætera: aut siquando designant, vna quædam pars intelligitur esse substantiæ, velut genus, species, differentia. Non enim genus tota substantia est speciei: quandoquidẽ non solum genus speciem format, sed differentiæ quoque. nec differentiæ totam substantiæ continent formam: quandoquidem non solæ differentia speciem perficit, sed etiam genus. Ipsa verò species, quædam generis pars est. at verò definitio, etsi ad aliquid est, tamen totam substantiam monstrat, atque exæquatur ei rei quam definit, & substantiam perficit, vt neque extrà posita sit, sicut similitudo, & contraria: neq; pars eius substantiæ sit, quam definitione determinat, sed potius ipsa substantia sit. Ac de hac quidem re satis dictum est. Idem verò de partibus dici potest. Nam coniunctæ partes, totum id efficiunt

cuius partes sunt. Nota quoque totum signat id quod designat: atque omnia coæquantur, & definitio definito, & partes toti, & nota rei quam significatione declarat, si non sit vniuoca, vel æquiuoca, vel si res quæ signant, non sint multiuocæ. Sanè illud dubitari rectè potest, cur cum dixisset duo genera esse definitionum, non ipsas definitiones partitus est: sed quæ designantur, id est corporale atque incorporale. Quod idcirco dictum videtur, quia definitio cum sit ad aliquid, vt dictum est: quandam capit ex his, quorum substantiam determinat, qualitatem.

VISORIVS. Quando ergo &c.) Age, videamus verum sit necne quod Tullius ait, vnumquenque locum sua quædam membra habere, & à capite incipiamus. Primùm omnibus ~~in confesso est~~, varia esse definitionum genera, siquidem earum alia substantiæ est, alia accidentis: illa quid sit res de qua quæritur, quàm breuissimè declarat, & vera legitimáq; definitio est: hæc verò qualis sit res verbosius explicat, & descriptio vocatur. Nihil enim est aliud descriptio (teste Valla) quàm qualitatum omnium alicuius rei & eiusdem actionum verbosissima explicatio. cuius hoc est exemplum: Historia testis est temporũ, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Insuper definitionum nonnullæ sunt rerum earum quæ sensibus percipiuntur, id est, quæ tãgi videríque possunt: vt si pecudem definire velis. nonnullæ earum quæ sola mente comprehenduntur, nec videri tangíve possunt. Sensibus percipiuntur corpora, res incorporeæ solum intelliguntur. Vtrarumque rerum definitio esse potest. Præterea definitionum quædam per diuisionem fiunt, quæ formas omnes definiti generis complectuntur: quædam per partitionem, cum res ea quæ proposita est, quasi in membra discerpitur. Definitiones deinde aliæ solius ornatus causa fiunt, quales sunt metaphoricæ: aliæ significationis, cuiusmodi grammaticæ sunt, quæ non quid sit res, sed quid verbum significet exponunt. Postremò aliæ sunt necessitatis, vt cũ propriis legitimísque differentiis careamus, cogimur (vt inquit Cicero) per contraria, paria, dissimilia definire. Ex his omnibus liquidò constat, definitionis plura esse membra: quibus sua subiiciemus exempla, cum ad ea venerimus. Nunc ad partes descendamus, & sint nécne multiplices, scrutemur. Partes (authore Boëtio) duplices sunt, species & membra. Species generis sunt partes, membra verò totius. Agricola verò triplicem partium diuersitatem facit, earúmq; alias esse substantiæ, alias quantitatis, alias denique qualitatis scribit. Substantiæ, vt materia & forma, vtq; partes corporis humani sunt, caput, brachia, crura, pedes. Quantitatis, vt, cubitus, tricubitus, bicubitus. Qualitatis, vt cum dicimus, mearum est partium, id est, mei muneris est, meum est officium. Ex quo colliquescit varia esse genera partium. Ad notationem verbi progrediamur. Eius certè (si Boëtio credimus) nulla membra sunt. Inquit enim in locorum epilogo Boëtius, locum à nota simplicem esse & indiuiduũ: id quod cum Cicerone pugnare videtur. quippe qui dicat, vniuscuiusq; loci membra quædam esse. at notatio verbi locus est. verùm mẽbra non habet: sed (vt Boëtio placet) simplex est & indiuiduus. nisi cum Rodol. Agri. triplicem huius loci vsum facere velis: vnũ ab interpretatione vocabuli, alterũ ab homonymia. i. ab agnominatione, quæ vulgò æquiuocatio dicitur: aliũ autem à metaphora. Exemplũ primi: vt, Pecunia domus instruitur, ergo pecunia domesticũ est instrumẽtum. Secundi, Quis negat Aeneæ magna de stirpe Neronẽs? ~~Sustulit hic matrem, sustulit ille patrẽ~~. vel sic, Pessimè faciunt qui plebẽ aduersus patres incitant, cum nullũ sit nomen in terris sanctius magísq; venerãdum q̃ patrum. Tertij verò hoc modo: Quis enim celauerit ignem, Lumine qui semper proditur ipse suo? Primo locorũ gradu exposito, qui ad totum adhibẽtur, ad secundũ veniamus, qui est à rebus affectis, quem esse multiplicem nemo nescit, vt qui tredecim mẽbra habeat: de quibus suo loco dicetur. Quapropter ad postremum gradũ festinemus, qui à toto remotissimus est. Eum verò multa mẽbra habere reperiet, qui legerit quæ Cic. in Partitionibus de testimoniis scripsit, & quæ in hoc opusculo cum ad eũ locum venerit, scripturus est. Scinditur enim testimonium in diuinum & humanum. Vtriusque rursus multa genera sunt, quæ nos in testimoniorũ explicatione detegemus. Ex his itaque sole clarius euadit, quod Cicero dixit, vnumquenque locum sua membra habere. Primùm de ipsa definitione dicatur.) Consentaneum est vt à definitione incipiamus, quippe quæ vniuscuiusque rei substantia sit, quam Laurentius regium censorem quæstoremque ærarium propterea vocat, quòd nihil aliud cõsideret quàm regium illud verbum, quid est, id est quæ res: quemadmodum eius ministra interrogatio eodem verbo vtitur: vt, Quid est homo? quid est virtus? Definitio est oratio &c.) Definitio est oratio quæ rei propositæ naturã proprie, breuiter, & dilucidè declarat. Signãter autem Cicero definitionem orationẽ esse dixit. nam ea duabus vt minimũ vocibus, id est genere & differẽtia

definitionum Gaora-rum

Valla Dial. disput. lib. 1. cap. 19. & 20.

constare debet. id quod & Cicero in Partitionibus confirmat, dicẽs, Non est dubium quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam aut communium frequentia, ex quibus proprium quid sit eluceat. insuper adiicit Explicat, quasi dicat, dilatat & diffundit. Nam definitio, vt antè dictum est, id quod inuolutum est euoluit: neque aliud quicquam est definire, vt inquit Rodol. quàm rem intra fines naturæ suæ conclusam explicare, id est diducere, & quodammodo amplificare. Bene ita que in Partitionibus Cicero dixit, verbum in orationem dilatari, vt definitum in definitionem. Contrà orationem in verbum contrahi, cum definitio ad definitum reuocatur. Est ergo definitio, coactæ in se & complicatæ rei explicatio. Vnde paratum est colligere, eas definitiones improprias esse, quæ nomen pro nomine reddunt: vt si gladium per ensem definias, ædes per domum. Cuiusmodi sunt omnia quæ grammatici synonyma, & dialectici polyonyma vocãt. non sunt inquam propriæ definitiones, quia orationes non sunt: neque sanè explicant, quia pluribus verbis non efficiuntur. Definitionum autem duo sunt genera.) Rerum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ. Res sunt corporeæ, quæ sensibus percipiuntur, id est, quæ videntur, audiuntur, tanguntur. Nam vt inquit Lucretius:

Tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res.

Eas verò res incorporeas dico, quæ quanuis sensibus humanis non obiiciantur, animo tamẽ cerni possunt. vt virtus res est incorporea: eius enim nullum subest corpus. est tamen quædã conformatio insignita & impressa in intelligentia, quã Græci ἔννοιαν vocant, Latini notionem dicunt. Res verò corporea est, vt homo, quippe qui videatur. Vtræque res definiri possunt, vt quid sit virtus, & quid sit homo, definimus. Stillicidium.) Stillicidium, vt inquit Festus Pompeius, est quando stillæ frigore concretæ decidunt. Est enim stillicidium aqua, quæ ex tecto stillando guttatimque cadit. id quod ex ipso nomine liquet. Nam stillicidium à stillando & cadendo dicitur, quia distillando defluat. Mancipium.) Mancipij multiplex est significatio. interim enim significat hominem bello captum, & seruituti mancipatum: id quod etymologia nominis ostendit. Mancipium enim nomen est, à manu & capiendo dictum. Significat insuper domini comparationem vel traditionem, aliquando pro iure possidendi accipitur, vulgo sesinam dicunt. vnde mancipare est, quod vulgo sesire dicitur. Nonnunquam præterea pro dominio, & metaphoricῶs pro potestate & libertate sumitur. pro potestate: vt, Mulier in mancipio mariti est. Pro libertate verò: vt, Ego sum mei mancipij. Penus.) Penus omnia significat quæ esu potúque continentur, vel quæcũque ad victum annuum, nõ publicum quidem, sed priuatum, domi recondita pertinẽt. Tutelã.) Tutela, vt inquit Seruius Iurisconsultus, est vis & potestas iure ciuili data & permissa in capite libero, ad tuendũ eum qui se suáque per ætatem defendere non potest. Centem.) Gens, vel si mauis gentilitas, eorum est qui inter se eodem sunt nomine ab ingenuis orti, quorũ maiorum nemo seruitutem seruiuit, & non sunt capite diminuti. Agnationem.) Agnatio ad eos refertur, authore Vlpiano, qui per patrem cognati ex eadem familia sunt: ita vt omnes agnati cognati sint, non contrà. Nam & per matrem cognati esse possunt, quos agnatos nequaquã dixeris. Dum grammaticum ago, vereor ne à professione mea recedere videar: vt qui dialectici personã subierim, quæ tamen sint dialectici silentio præteream. Nam in lectione Ciceronis interpretanda, scrupum subobscurum præterire videor, qui non grammatica interpretatione, sed acumine dialectico nõ parum indiget. Dicit itaque Cicero: non esse ea quæ tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt: quæ nihilominus definiuntur, vt ipse tradit. At hæc nimirũ pugnantia sunt. Nam quod non est, definiri non potest, vt Aristoteles capite primo libri secundi Posteriorum resolutionis testatur. Quod enim definitur, necesse est esse, vel Cicerone & Quintiliano testibus: qui tria quæstionum genera faciunt, An sit, quid sit, & quale sit. Primum est sanè, quod vllæ de re quæri possit, an sit: deinde vbi constiterit esse, proximum est, vt quid sit, quæratur, id est, vt definiatur. Si verò de re & nomine conueniat, reliquum est, vt de qualitate sit quæstio. Ex his manifestum euadit, nihil definiri posse, quod non sit certum esse. Quónam igitur pacto Cicero dixit definitionũ alias esse rerum quæ sunt, alias rerũ quæ nõ sunt? Hũc ego scrupulum tibi sic adimo. Cicero ea non esse dixit, quæ sunt incorporea, non quòd non sint, alioqui definitionem non susciperent: sed quia genus humanum maximè sensibus degit, id esse Cicero arbitratus est, quod sub sensus cadit, eósque ferit. Ergo quia res incorporeæ sensibus nostris non subiiciuntur, eas non esse, id est nõ sentiri dixit. sunt tamen, sed intellectu. id quod & ipse cõfirmat, cum inquit, Non esse ea rursus dico, quæ tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt.

LATOMVS. *Definitio est oratio.*) *Differt definitio à descriptione, quòd illa quid sit res: descriptio qualis sit, ostẽdat. itaque altera philosophorum, altera oratorum & poetarum est propria. Quid sit res, ex genere & differentia cognoscitur, quæ est optima definiendi ratio, ab Aristotele tradita. Sed quia proprias rerum differentias ferè ignoramus, ad alia confugiendum est, nempe ad ea, quæ si non ex ipsa rei substantia, tamen aliunde ducta, quid sit res, nobis propriè ostendant. De quo quidem genere definiendi posterius tradetur certa formula, intra quam si constiterimus, quid sit vnumquodque de quo quæritur, animaduersa natura eius ac proprietate, commodè & sine errore definire poterimus. Definitionum autem duo sunt genera.*) *Hæc diuisio pertinet non ad formam definiendi, sed ad res quæ definiuntur. Quare alienior est à proposito: quia non quomodo definiendum sit, sed quæ sint ea quæ definiuntur, ostendit. Earum rerum quæ sunt.*) *Loquitur secundum vulgi opinionem, quòd imperitis non videntur esse, nisi ea quæ cerni tangíve possunt. Vt fundum, ædes, parietem.*) *Fundus est definita pars agri, siue culta, siue inculta sit. Prædium latius patet, & tam de vrbano, quàm rustico, nec de solo tantùm, sed etiam de ædificio dicitur. Stillicidium est quà aqua pluuia de tecto excipitur. Mancipiũ, res est nostri dominij, quæ alienari potest. Supellex instrumentum est in domestico apparatu. Penus, omne quod ad victum longæ vsionis causa reponitur, præter panem & vinum, sicut definit Gellius. Vsucapio, est dominium quod ex iusta & certi temporis possessione acquiritur. Tutela, est potestas in libero capite tuẽdi eius qui se propter ætatem tueri non potest. Gens est eiusdem nominis & originis coniunctio, nulla capitis diminutione interrupta. quam & familiam appellamus. Agnatio, est coniunctio per virilis sexus cognationem. Itaque gens latius patet, quàm agnatio. Confirmatio insignita.*) *Id est, imago mente concepta, ac certa proprietate distincta à cæteris rebus, quam Græci tum ἐννοιαν, tum πρόληψιν vocant. Impressam dicit, quia notiones sunt insitæ animis nostris, hoc est, innatæ, cùm sint rerum vniuersalium intelligentiæ, quas mens nostra per se gignit. Singularium enim rerum cognitiones, sensuum sunt propriæ, nec nisi à sensibus informatæ ad animum transferuntur: vniuersalia intellectus facit.*

HEGENDORPHINVS. *Definitio, est oratio.*) *Vt, Iustitia est virtus tribuens vnicuique quod suum est: vel, Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens. §. 1. Instit. de Iustitia & iure. id est, iustitia est tum vsu confirmatus habitus, tum quæ refert haud dubiam quandam & immutabilem sentẽtiam, natura insixam animis, ius suum vnicuique reddendum esse. Quæ cerni tangíve.*) *Fundus est, quicquid solo continetur. l. Quæstio. ff. de verborum signi. l. Fundi appellatione. ff. eodem titulo. Aedes, est ædificium parietibus, fenestris, vaporariis, cubiculo constans. Paries, est pars ædium dirimẽs locum à loco. Festus Pompeius Stillicidium esse dicit, cùm stillæ concretæ frigore cadunt. Mancipium est seruus ab hostibus manu captus. §. Serui. Instit. de Iure personarum. Pecudes sunt propriè, quæ gregatim pascuntur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ, sues. §. 1. Instit. de lege Aquilia. Supellex, est domesticum patrisfamiliàs instrumentum. l. 1. ff. de Legata supellectile. Penus, est quicquid esu potúque continetur. l. Qui penum. ff. de Penu legata. Si tutelam.*) *Tutela, est vis atque potestas in capite libero ad tuendum eum qui propter ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. §. Est autem. Instit. de Tutela. Si gentem.*) *Id est, gentilitatem. Gentilitas, est cõmunis nominis societas, vt Scipionum, Valeriorũ, Brutorũ. Ita Boëtius. Esse ea dico quæ.*) *Huc facit §. 1. Instit. de Rebus corporalibus & incorporalibus. Corporales sunt, quæ sui natura tangi possunt, vt homo, vestis, aurum, argentum. Cicero vocat ea esse. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunc ea quæ in iure consistunt, sicut hæreditas, vsusfructus, obligationes. Cicero vocat ea non esse.*

GOVEANVS. *Definitionũ autem duo sunt genera prima.*) *Rerũ enim quæ definiuntur, duo sunt prima genera. Aut enim tangi cernívе possunt, aut intelliguntur tantùm, hoc est, animo & cogitatione cernuntur. Fundus, ædes, mancipium, paries, stillicidium, pecus, supellex, penus, sensibus subiecta sunt. Quanquam enim fundum cùm dico, cæteráque eodem modo, rem vniuersam dicam: res autem vniuersæ longè absint à sensibus: : fundus tamen hic aut ille cùm cernitur tangitúrve, fundus cerni tangíve dici potest: vt cùm Socratem video, hominem video. Eæ igitur res dicuntur tangi cernívе, quarum subsunt quædam corpora. Quarum autem nulla subsunt corpora, eæ intelliguntur tantùm: cuius generis sunt hæc, vsucapio, tutela, genus, agnatio: quarum rerum in animis nostris impressa quædam notio est, atque intelligentia. De fundo atque item de ædibus paulò antè scripsimus quid essent. De pariete Aelius Gallus sic scribit, Paries est, siue murus, siue*

maceria est. Stillicidium, notæ significationis est. Mancipium variè accipitur: nã & hominem bello captum, & seruituti mancipatum, quomodo hic accipio, & dominij cõparationem, possidendíque ius, & dominium, & mancipationem ipsam significat. Pecudis appellatione M. Tullius omnẽ bestiam intelligit lib. 1. de Legibus. sic enim scribit, Itaque ad hominum commoditates & vsus tantam rerum vbertatem natura largita est, vt ea quæ gignuntur, donata consultò nobis, non fortuitò nata videãtur: nec solùm ea quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur, sed etiam pecudes, quod perspicuum sit, partim esse ad vsum hominũ, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. In lege tamen Aquilia de damno iniuria dato, pecudis appellatione neque feræ bestiæ cõtinentur, neque canes, sed eæ tantùm quadrupedes, quæ gregatim habentur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ, sues: nam & ij gregatim pascuntur. Supellex, est domesticum patrisfamiliàs instrumentum, quod neque argento, auró ve facto, vel aresti adnumeratur. sic enim à Pomponio definitur. ff. de Supel. leg. l. 1. Supellectilis autem originem eam fuisse ex Labeone scribit Celsus, quòd olim iis qui in legationem proficiscerentur, locari solerent quæ sub pellibus vsui forent. Penu legatæ contineri quæ esui potuíque sunt, scripsit Q. Mutius lib. 2. Iuris ciuilis. de qua his verbis A. Gellius lib. 4. cap. 1. Sed vt faciam æquiore animo vt sis, ne illi quidem veteris iuris magistri, qui sapiẽtes appellati sunt, definisse satis rectè existimantur quid sit penus. Nam Q. Scæuolam ad demõstrandum penum his verbis vsum audio, Penus est, inquit, quod esculentum aut poculentum est. Quod enim ipsius patrisfamiliàs, aut liberorum patrisfamiliàs, eiúsque familiæ, quæ circum eos, aut liberos eius est, & opus non facit, causa paratum est, vt Mutius ait, penus videri debet. Nam quæ ad edendum bibendúmque in dies singulos prandij aut cœnæ causa parantur, penus non sunt: sed ea potius, quæ huiusce generis lõgæ vsionis gratia contrahuntur, & recõduntur: ex eo quòd non in promptu sint: sed intus & penitus habeãtur, penus dicta sunt. Præterea de penu ascribẽdum hoc etiam putaui, Seruium Sulpitium in reprehensis Scæuolæ capitibus scripsisse, Sext. Aelio placuisse, non tantùm quæ esui & potui forent, sed thus quoq; & cereos in penu esse, quódque esset ius fermè rei causa comparatum. Massurius autem Sabinus in Iuris ciuilis 2. etiam quod iumentorum causa apparatum esset, quibus dominus vteretur, penori attributum dicit. Hæc Gellius. Cic. lib. secundo de natura Deorum, Penum his verbis definit, Neque longè absunt ab hac vi dij Penates, siue à penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines, penus) siue ab eo quòd penitus insidẽt, ex quo etiam penetrales à poëtis vocantur. Quo ex genere quædam interdũ nobis &c.) Quamobrem quæ tangi cerníve possunt, interdum, non sæpe oratoribus definiẽda sunt? An quia perspicua per se sunt, quatenus iudici & populo satis est? A philosophis autem cur sæpe definiuntur? An quia rerum intimam naturam perscrutantur, neque populo, sed sibi & Musis (vt est in prouerbio) scribunt? sic videtur. Vt si vsucapionem, si tutelam, si gentem.) Vsucapionem Modestinus definit, adiectionem dominij per continuationem possessionis tẽporis lege definiti. Verum autem atq; integrum est vsucapio, eadem figura qua pignoriscapio dictum est à Catone. vide Aulum Gellium lib. 7. cap. 10. Tutela à Seruio Sulpitio sic definiebatur, Vis ac potestas in capite libero cõstituta ad tuendum eum qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data & permissa. Quid gens sit, ex gentilium definitione, quæ paulò pòst ponetur à Cicerone, intelligi poterit. Agnatio iuris ciuilis nomen est: definitur, cognatio per virilem sexum. qui autem per fœminiñ sexum coniuncti sunt, nomine vniuersi generis, cognati nominantur. Conformatio.) Pro eodem dicit M. Tullius conformationem, notionem, & intelligentiam, quam Græci ἔννοιαν appellant. Tutelæ igitur corpus nullum subest: est tamen notio quædam in animis nostris impressa, quæ sæpe definienda est. neque enim facile est intelligere id quod neque videtur, neque tangitur, nisi definitione explicetur. Neque tamen putandum est, ita dicere M. Tullium, rerum earum, quarum nullum subest quasi corpus, notiones esse, vt earum rerum quarum subsunt corpora, notiones esse neget. cùm enim hæ quoque res definiantur, nihílque nisi notio possit definiri: negari non potest, quin harum quoque rerum notiones sint. Sed hoc interest inter fundum & tutelam, quòd fundi & notio sit, & corpus quoque aliquod subsit. tutelæ nullum quasi corpus subest, notióque duntaxat est.

COMMENTARIVS. Quando.) Eodem deinceps ordine locos persequitur, quo antea enumerauit. eorum addit proprietatem, vsum, & ambitum: vt vniuscuiusque cognita virtute, facilius possit argumentum duci. Sed enim ea quæ dicturus est, potius sunt rerum locis comprehensarum, quàm ipsorum l ocorum, id est nominum primæ intentionis potius, quàm secundæ: quan-

quam quadam ratione etiam ipsius secundæ intentionis. *Definitio est.*) Non solùm complectitur eam quæ genere & differentiis constat, quam propriè solent dialectici appellare definitionem: sed etiam comprehendit quancunque descriptionem, siue constet proprietatum enumeratione, siue accidentium complexione. *Definitionum autem.*) In vetusto sic legitur, Definitionum autem duo sunt genera prima: (in multis enim aliter legebatur:) quæ melior est lectio, quoniã postea alias definitionis species ponet. *Vnum.*) Nõ videtur hoc pertinere ad definitionum species, sed rerum definitarum: quanquã etiam quadantenus ad ipsas definitiones. Nam eorum quæ sunt, definitione cõprehenditur quasi corpus & moles quædam: eorum quæ intelliguntur, definitione comprehenditur duntaxat notio. Est igitur definitio quædam notionis: quædam contrà non notionis, sed ipsius rei & corporis. *Alterum.*) Vulgus aliter sentit quàm philosophi. Nam putat esse, quæ sensu vsurpat: quæ sub sensum non cadunt, non putat esse. Contrà philosophi ea quæ sub sensum cadunt, esse negant, propter aßiduam mutationem: quæ autem sub sensum non cadunt, putant esse, quia non mutantur. *Esse ea dico.*) At Plato in his rebus FVISSE & FORE tantummodo putat dicendum, propter materiæ mutationem aßiduam: in Deo autem ESSE potißimùm: deinde in rebus simplicibus secunda ratione, & quadam participatione, quia accedũt ad simplicitatem substantiæ diuinæ. *Mancipium.*) Veteres iurisconsulti mancipij nomine rem quancunque intelligunt quæ est in dominio nostro. frequentius tamẽ postea inoleuit, vt accipiatur pro seruo quasi manu capto. *Supellectilem.*) Supellectilem finiunt iurisconsulti, domesticũ patrisfamiliàs instrumentum. *Nobis definienda.*) In veteri legitur, vobis. quod magis quadrare videtur, propterea quòd iurisconsultorum vsurpauit verba, quæ plerunque illis sunt definiẽda, vt definiũtur in Pãdectis iuris ciuilis. *Si gentem.*) Gens propinquitatis est coniunctio, & eiusdem nominis communio: inde gentiles sunt Scipiones, Valerij, Cicerones. *Agnationem.*) Agnati sunt (inquit Iustinianus) qui per personas virilis sexus coniunguntur: Cognati, qui per personas virilis & muliebris sexus.

Quarum rerum &c.) Res illæ simplices & corpore carẽtes, sensibus nullo modo comprehenduntur: sed duntaxat intellectu concipiuntur. *Conformatio.*) Quam appellat conformationem hoc loco Cicero, lib. 1. de natura Deorum appellat informationem, & anticipationẽ quandam, id est prolepsin, quam libro 1. de Legibus appellat inchoatam intelligentiam. Est autem ea species, quæ in animo nostro intellectu insculpitur. *Explicanda est.*) In quodam legitur, sunt: vt seruetur ἀνθυφαίρεσις, & vt id ad nomina illa referatur.

Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum, aliæ diuisionum. Partitionum, cùm res ea quæ proposita est, quasi in membra discerpitur: vt si quis ius ciuile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. Diuisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt quod definitur: hoc modo, Abalienatio est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Sunt & alia genera definitionum, sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent: tantùm est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt, cùm sumpseris ea quæ sunt ei rei quam definire velis, cum aliis communia, vsque eò persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit: vt hoc, Hæreditas est pecunia. commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ.

Adde quod sequitur, Quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. nondum est definitio: multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum adde verbum, Iure: iam à communitate res disiuncta videbitur: vt sit explicata definitio sic, Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum est satis: adde, Nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta: confectum est. Itémque illud, Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit: abest etiam nunc. Qui capite non sunt diminuti hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scæuolam Pontificem ad hanc definitionem addidisse. Atque hæc ratio valet in vtroque genere definitionum, siue id quod est, siue id quod intelligitur, definiendum est.

BOETIVS. Quoniam definitio ita ex subiecta re quam definit, proprietatem capit, vt tamen formam propriam non relinquat: idcirco post eas differentias definitionum, quæ ab his rebus tractæ sunt quæ definiebantur: nunc à propria forma definitionum differentias tradit. Propria verò forma vniuscuiusque compositi, in suis partibus constat. Itaque ex partibus definitionum tales differentias docet: quòd aliæ definitiones per diuisionem, aliæ per partitionem fiunt. Definitur enim res quælibet dum aut eius species omnes enumerantur, aut partes. Partes verò à specie quid differant, paulò posterius dicam. Nunc exponenda arbitror Ciceronis exempla: dat enim partitionis exemplum hoc. Sit enim propositum definire quid sit ius ciuile: dicemus ita, Ius ciuile est, quod in legibus, Senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum autoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit. Lex igitur est quam populus cẽturiatis comitiis sciuerit. Senatusconsulta sunt, quæ fuerint senatus authoritate decreta. Res iudicatæ sunt, quæ inter eos qui super aliqua re ambigunt, sententia iudicum fuerint constitutæ: quarum exemplo cæteræ quoque iudicantur. Iurisperitorũ autoritas est, eorum qui ex duodecim tabulis, vel ex edictis magistratuum, ius ciuile interpretati sunt, probatæ ciuium iudicijs creditæq; sententiæ. Edicta magistratuum sunt, quæ prætores vrbani vel peregrini, vel AEdiles curules iura dixere. Mos est, quod in ciuitate solitum est fieri. AEquitas est, quod naturalis ratio persuasit. Hæc igitur omnia vnam formam iuris efficiunt, tanquam partes: velut hominem, caput, brachia, thorax, venter, crura, atque pedes. Partitio est, vt ipse ait, quæ vnamquanque rem propositam quasi in membra discerpit. Alteram verò partem definitionis, quæ per diuisionem specierum fit, tali monstrat exemplo. Definit enim quid sit abalienatio eius rei, quæ mancipi est, dicens, Abalienatio, est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut cessio in iure, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Nam iure ciuili fieri aliquid non inter alios, nisi inter ciues Romanos, potest: quorum est etiam ius ciuile, quod duodecim tabulis cõtinetur. Omnes verò res quæ abalienari possunt, id est quæ à nostro ad alterius transire dominium possunt, mancipi dictæ sunt. Măcipi res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, vt ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem. Nexus verò est quædam iuris solennitas, quæ fiebat eo modo quo in Institutionibus Caius exponit. Eiusdem autẽ Caij libro 1. Institut. de nexu faciendo, hæc verba sunt: Est autem mancipatio, vt & suprà quoque indicauimus, imaginaria quædam venditio, quod ipsum ius proprium Rom. est ciuium. eáque res ita agitur, adhibitis non minus quàm quinq; testibus ciuibus Rom. puberibus: & præterea alio eiusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit, Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra.

Deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quasi pretij loco. Quæcunq; igitur res lege XII. TAB. aliter, nisi per hanc solennitatem, abalienari non poterãt. Sui iuris autem cæteræ res, nec mancipi vocabantur. Eædem verò etiã in iure cedebantur. Cessio verò tali fiebat modo, vt secundo commentario idem Caius exposuit: In iure autem cessio fit hoc modo, Apud magistratum populi Rom. vel apud Prætorem, vel apud Præsidem prouinciæ, in cui res in iure cedit̃r, rem tenẽs ita vindicat, Hũc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicauerit, Prætor interrogat eum qui cedit, an contrà vindicat. quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicauerit, eam rem addicit: idque legis actio vocabatur. Res igitur quæ mancipi sunt: aut nexu, vt dictum est, abalienabantur, aut in iure cessione. Has autem solennitates quasdã esse iuris, ex superioribus Caij verbis ostenditur. At si ea res quæ mancipi est, nulla solennitate interposita tradatur: abalienari nõ poterit, nisi ab eo cui traditur, vsucapiatur. Quæ cùm ita sint, rectè definita est secundum diuisionem abalienatio rei mancipi, scilicet quæ aut nexus traditione, aut in iure cessione perficitur. Nam pura traditione, abalienatio rei mancipi non explicatur. Species verò has esse, non partes, hinc intelligitur: quia siquis nexu abalienet rem mancipi, id quod suum fuit, in alterius potestatem pleno iure trãstulerit. Quòd si etiam in iure cedat: plenum abalienationis ius erit. Vbi autem plenum nomen eius, quod diuidunt, partes suscipiunt: illud genus, & has species esse, paululum quoque dialectica cognitione imbutus intelligit. Quæ cùm ita sint, diuisit Cicero definitionem in duas partes: vnam quæ partium enumeratione fieret, alteram quæ per partium diuisionem. Vtraque verò definitio partes enumerat: Sed hoc interest, quia hæc quidem species, illæ verò membra partitur. Hic suboritur quæstio valde difficilis. Nam si definitio est etiam partitio: mirum videri potest, quemadmodum alter sit à definitione locus, alter à partium enumeratione. quæ res maximam confusionem præstat. Nam cùm superius in locorum enumeratione alter à definitione locus, alter sit à partium enumeratione propositus: cúmque nunc enumerationem partium, vel diuisionem, definitionis species esse confirmet: non est dubium quin cùm idem sit partium enumeratio quod definitio (idem nanque est species quod genus) idem locus sit à definitione, qui est à partium enumeratione. Cuius quæstionis valde difficilis, facilior absolutio est, si definitionum ipsarum formas ac distantias colligamus. Multis nanque fieri modis definitio potest. inter quos vnus est verus atque integer definitionis modus, qui etiam substantialis dicitur. reliqui per abusionem definitiones vocantur. De quibus omnibus paulò posterius integram faciam diuisionem. Nunc in commune sic disseram. Nam quia omnis definitio explicat quid sit id quod definitur: Explicatio autem fit duobus modis, vno quidem cùm pro re minimè cognita, planius aliquid affertur: alio verò, cùm fit quadam partium enumeratione. de priore quidẽ modo, posterius. Nunc verò de enumeratione partium dicendum est, quòd omnis definitio quæ per partium enumerationem fit, quasi quædam partitio rectè intelligitur. Dictum est, id quod in nomine confuse significaretur, in definitione quæ fit enumeratione partium, aperiri atque explicari. Quod fieri non potest, nisi per quarundam partium nuncupationem: nihil enim dum explicatur oratione, totum simul dici potest. Quæ cùm ita sint, cúmq; omnis huiusmodi definitio, quædam sit partiũ distributio, quatuor modis id fieri potest. Aut enim substãtiales partes explicãtur, aut proprietatis partes dicuntur, aut quasi totius membra enumerantur, aut tanquã species diuiduntur. Substãtiales partes explicantur, cùm ex genere ac differẽtiis definitio constituitur: Genus enim quod singulariter prædicatur: speciei totum est. Id etiam genus sumptum in definitione pars quædam fit. non enim solum speciem complet: nisi adiiciantur etiam differentiæ, in quibus eadem ratio quæ in genere est. Nam cùm ipsæ singulariter dictæ totam speciem claudant: in definitione sumptæ, partes speciei fiunt: quia nõ solùm speciem quidem esse designant, sed etiam genus. Huius exemplum est, Homo est animal rationale, mortale. Cùm ergo tota definitio homini coæquetur, totiúsque definitionis partes sint tum animal, tum rationale, tum mortale: ipsius hominis partes esse videntur singula quæ eiusdem definitionis partes sunt. Hæc igitur proprio nomine definitio nuncupatur. Item est illa definitio, quando in vnum accidentia colliguntur, atque ex his vnum aliquid efficitur: & est veluti quædam partium enumeratio, non in substantia, sed in quadam accidentium collectione posita. huius exemplum est, Animal est, quod moueri propria voluntate possit. Animali nanque & motus est accidens, & voluntas, & possibilitas: sed hæc iuncta perficiunt animal, non substãtialiter constituentia, sed per quædam accidentia designantia, quæ animalis quasi quædam partes sunt. & hæc,

descriptio nuncupatur. At si non accidentia rei, sed quasi membra quædam dicamus, ex quibus cõponitur atque coniungitur, atque inde definitionem facere tentemus: hoc modo dicemus, Domus est, quæ fundamento, parietibus, tectóque cõsistit. Hic membra quædam sumpta sunt ad definitionem, quibus res tota coniungitur: & hæc vocatur per enumerationem partium definitio. At siquis ita definiat, vt non in definitione ponat membra, sed species: à diuisione specierũ definitio nuncupatur. velut siquis hoc modo pronunciet, Animal est substantia, quæ vel sensu tantùm, vel sensu & ratione nitatur. Hæc igitur quatuor à se differre manifestum est. In ea nanque definitione quæ per substãtiales partes efficitur, singulæ partes maiores esse videntur: & substantialiter vniuersaliores ab ea re, quam definiunt. vt animal, maius ab homine. Mortale etiam atque rationale, singula hominis transgrediuntur naturam: quæ in vnum conuenientia, eidem quo sigillatim maiora sunt, coæquantur. Accidentia verò quæ in definitione ponuntur, omnino à substantiæ ratione disiuncta sunt. In ea quoque definitione quæ ex partium enumeratione perficitur, talia sunt quæ enumerantur, vt singula totius definiti nomen capere non possint. atque idcirco eodem minora sunt: vt fundamenta non possunt domus vocabulo nuncupari, & fundamenta domo minora sunt, itémque cæteræ partes. At verò in ea definitione quæ per diuisionem fit, singulæ quidem partes tota eæ re quæ definitur, minores sunt: totum tamen definitæ rei nomen excipiunt. vt rationale nomen capit animalis, eodem modo irrationale. Quibus ita discretis, quotiescunque ab ea definitione quæ per substãtiales partes efficitur, vel ab ea quæ per accidentium enumerationem colligitur, argumentatio fit, à definitione, id est à toto tractum dicitur argumẽtum. Quoties verò ab ea, quæ vel per mẽbrorũ enumerationem, vel per specierũ diuisionem perficitur, argumẽtatio fit: ab enumeratione partium ductũ esse perhibetur. Sed M.T. quia iam partitionem definitionis ingressus est: etiam hanc interposuit, quæ non ad definitionis, sed ad enumerationis partium locũ pertinebat. Huius verò rei argumentum est: quia cũ pòst de eisdem locis latius tractans, de enumeratione partium loqueretur: nullam aliã enumerationem partium posuit, nisi eam quam nũc definitionis speciem dixit. Nec tamen est arbitrandum, omnem partitionem definitionis locum posse obtinere: vt siquis sic dicat, fundamenta, parietes, & tectum, domus est: id nõ esse necesse. potest nanque esse porticus publicis vsibus destinata, potest item aliud quodlibet, vt theatrum, quod propter sonitus ampliores exhibendos tegi solet. Sed id nunc intelligere nos oportet, posse per partitionem aliquid sæpe definiri, cum partium illa collectio vnã rem tãtum possit efficere. vt si nihil esset aliud, quod fundamenta, parietes, atque tectum posset habere, nisi domus: iure definitio facta esse videretur, Domum esse, quam fundamẽta, parietes, tectúmque perficerent. Sunt & alia.) Hunc locum Victorinus vnius voluminis serie aggressus exponere, & omnes definitionum differentias enumerare, multas interserit, quæ definitiones esse penè ab omnibus reclamantur. Inter definitiones enim ponit & nomina, quod specialiter Aristoteli in omni doctrinarum genere peritissimo nõ videtur, pernegátque in Topicis nomine fieri definitionem. veluti siquis dicat, quid est conticescere? & respondeatur, tacere: hæ nullo modo definitiones habendæ sunt. quod etiã ex ipsius Marci Tullij definitione approbari potest: per quam definitio quid esset, ostẽdit. dixit enim esse definitionẽ, orationem, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Sed cum nomen non sit oratio: manifestum est, nomine definitionem nõ posse constitui, cũ præsertim ne omnia quidem quæ oratione promuntur, atq; aliquid ostendunt, proprio definitionis nomine signẽtur: velut descriptiones, omnísque alia quæ non ex substantialibus partibus, sed ex quolibet alio modo coniunctis efficitur. quod ne ipse quidem Victorinus ignorat. Sed videtur id definitionis loco ipse sibi Victorinus ad disserẽdi sumpsisse propositum, quod quoquo modo rem subiectam posset ostendere. Idcirco enim nomen quoque in definitionum numerũ recepit, quoniam sæpe notiore vocabulo fit clarius, quod ignotiore antea prolatum latebat. Idcirco etiam nos superius diximus explicationem fieri duobus modis. Vno quidem cum pro re minimè cognita, planius aliquid afferatur. alio verò, cum fit per quandam partium enumerationem: vt ea quidem explicatio, in qua notius aliquid affertur, nominis sit: ea verò quæ fit per partium enumerationem, orationis. quanquam etiam in ipsis orationibus semper planius aliquid afferatur, quo notius fiat illud de quo disseritur. Vt igitur nihil expositio prætermittat, & definitionis proprietas appareat, itáque omnia in notitiam deducantur, vt nec vera definitio nesciatur, & quæ non sit propriè veréque definitio, sub scitiam cadat: talis definitionum differentia facienda est. Definitionũ enim aliæ propriæ definitiones sunt, aliæ abusiuo nuncupãtur modo. Ac propriæ quidem definitiones sunt, quæ ex genere

differentiisque consistunt. velut hic, Homo est animal rationale mortale. hic enim animal, genus est. rationale verò, & mortale, differentiæ. Earum verò definitionum quæ non propriè, sed abutẽdo definitiones vocantur, aliæ sunt quæ singulis nominibus denotantur, aliæ verò quas explicat ac depromit oratio. Atque illarum quidem definitionum quæ tantùm nomine signantur, aliæ sunt quæ κατ' ἀντίλεξιν fiunt, id est, ad verbũ, cum pro nomine redditur nomen: velut si dicat aliquis, Quid est conticere? & respondeatur, tacere. quid est haurit? percutit. Aliæ verò, quæ exempli gratia ponuntur. vt cum volumus designare quid est substãtia: exempli gratia dicimus homo. hæc vocatur Græce τύπος: quæ idcirco, vt dictum est, inter definitiones ponitur, quoniam id quod quolibet modo aliquid designat, eius quod designatur, etsi non propriè, tamen aliquo modo videtur esse definitio. Earum verò definitionum quæ in oratione consistunt, neque tamen sunt propriæ, multæ sunt diuersitates: quarum est omnium nomen commune descriptio. Harum aliæ fiunt partitione, aliæ diuisione: de quibus superius dictum est. Aliæ verò substantiales quidem differentias sumunt, sed genus non adiiciunt. atque hæc quidem à Victorino ἀνωνυματικὴ dicitur, quasi quandã communem continens notionem. velut si quis dicat, Homo est, quod rationali conceptione viget, mortalitatíque subiectum est. Hic igitur genus positum non est, sed differentiæ substantiales. Aliæ verò sunt, quæ pluribus quidem qualitatibus designãtur, accidentibus tamen, ita vt singulæ qualitates etiam si non cõiungantur, possint tamen quod demonstratur efficere. vt, Homo est, ubi pietas, vbi æquitas: & rursus vbi malitia, versutiáve esse possunt. nam etsi cætera nullus adiungat, sufficit ad ostendendum hominem dicere, vbi pietas ineſſe possit, vel vbi iustitia, vel cætera. Hæc vocatur ποιώδης. Aliæ verò sunt, quæ pluribus in vnum accidentibus cõiunctis efficiuntur: vt si quis luxuriosum definire velit, dicẽs, Luxuriosus est, qui pluribus & nõ necessariis sumptibus in delicias affluit, & in libidinem fertur effusior. omnia enim coniuncta, luxuriosum videntur efficere: singula verò, minimé. hæc vocatur ὑπογραφική. Aliæ quoque fiunt eo modo, vt ad signandam differentiam proponantur in his rebus, quæ discreto fine coniunctæ sunt. vt si dubitet quis, Nero imperatorne an tyrannus fuerit: dicit eum tyrãnum fuisse, quoniam crudelis fuerit atque intemperãs. Hæc enim adiuncta differentia, ita tyrannum ab imperatore seiungit. Aut etiam si de eodem tyranno atq; rege dubitetur quid vterque sit, iuncta differentia vtrosque designat. vt si temperãtia quidem Regi, vel pietas: tyranno verò & intemperantia & crudelitas conuenire dicatur. hæc vocatur κατὰ διαφορὰν. Alia quæ per translationem dicitur. vt, Adolescentia est flos ætatis. Illa quoque definitio esse dicitur, quæ fit ex priuatione contrarij: vt, Bonum est, quod malum non est. Illam quoque definitionem Victorinus ponit, quæ tãtum propriis nominibus aptari potest, quæ etiam ὑποτύπωσις appellatur. vt, AEneas est Veneris & Anchisæ filius. Præter has etiam illa est, quæ fit per indigentiam pleni. vt quadrans est, cui dodrans deest vt sit as. Ponit etiam Victorinus inter differẽtias definitionem illam quoque quæ per quandam laudem fieri potest. vt, Lex est mens, & animus, & consilium, & sententia ciuitatis. quod maximè ratione caret. Nõ enim laudis modus ille faciet differentiam. Illa enim consideranda sunt, quæ in definitione ponuntur, non quæ animo constituuntur. Quòd si recipienda fuit laudandi voluntas inter differentias definitionum, cur non vituperãdi quoque voluntas aliam differentiam definitionis efficiat? Sed hoc apertissimè inconueniens, & veritati videtur esse cõtrarium. Fiunt etiam definitiones per proportionem: vt si quis dicat, homo est minor mundus. sicut enim mundus ratione regitur: ita quoque quoniam homo multis partibus iunctus, habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici potest. Fiunt etiam definitiones à relationibus, cum dicitur, Quid est pater? respondetur, cui est filius. Causa quoque solet efficere definitionem. vt cũ dicimus, Quid est dies? respondetur, sol super terram. causam enim, id est solem, pro re ipsa cuius causa est, interposuimus. atq; ita diem definitione mõstrauimus. Hæ sunt definitionum differẽtiæ, quas in eo libro, quem de definitionibus Victorinus edidit, annumerauit. quas M. Tullius prætermittit eo nomine, q; eas minime necessarias æstimauerit. Nos verò ne quid perfecto deesset operi, etiam quæ sunt à Cicerone prætermissa subiecimus. Tantum est dicendum.) Definitionis ratione proposita, diuisaq; per singulas partes tum materiæ, tum etiam formæ: Materiæ quidem, cũ definitionem esse dixit, vel earum rerũ quæ corporeæ essent, vel earum quæ incorporeæ: Formæ verò, cùm aut partitionibus, aut diuisionibus definitiones fieri docuit: Prætermissísq; cæteris, quæcunq; ad propositum opus minimè pertinerent: nunc quod vtilissimum est, maximeque totam definitionum intelligentiam significare potest, exequitur. Id autem est, Qui sit in omnibus, quæcũq;

quomodolibet fiunt, definitionis modus. Est autem vna atque omnibus communis definiendi ratio, vt ex communitatibus inter semet iunctis, atq; compositis, in vnam proprietatem rei definitio colligatur. Omnia enim quæ communia atque vniuersalia sunt, siquid eis fuerit adiectum, determinatione minuuntur, & ad particularitatem redeunt: atque eo ambitu quo concludebant, cuncta cohibentur. veluti cum generi adiicitur differentia, & fit species. nam cum genus per se proprio ambitu multas species contineat: ei si propriam adiicias differentiam, minuitur, & in quandam quodammodo particularitatem redit. veluti cum dicimus animal, hoc nomen multa concludit. At si ei rationale adiicias: faciásque animal rationale, minus erit à simplici. Minus nanque est animal rationale, à simpliciter animali. Ita additio differentiæ quod maius fuit, in particularitatem quandam redegit: atque cohibuit. Quoties igitur aliqua res definienda est, sumitur id quod ei cum pluribus aliis commune est. huic adiiciuntur differentiæ: statimque necesse est minuatur id, quod fuerat pluribus commune. & si hac differentiæ additione in tãtum modum decreuerit, vt rei quæ definitur, fiat æqualis: alias differentias colligere atque aptare non necesse erit, sed id ipsum quod ita decreuit: vt æquale sit ei quod definitur, definitionẽ esse necesse est. at si adhuc amplior sit ab ea re quæ definitur, quæramus necesse est aliam differentiam, qua adiuncta numerus quidem crescat, vis autem communitatum, differentiarum additione decrescat. atque id hactenus faciendum, quatenus, vt dictum est, ea quæ ad definitionem sumuntur, ei quod definiendum est, adæquentur. Vt igitur id non ratione solum, verùm conuenienti quoq; clarius fiat exemplo, sumatur res notissima ad definitionem: id sit homo. Huius igitur ita quærimus definitionẽ. sumimus quod ei cum pluribus aliis commune est, id est animal. Dicimus igitur esse hominem animal: nondum est definitio. Primùm, quia, vt dictũ est, nomine definitio reddi non potest. dehinc, quia animal maius est homine. vt igitur minuatur animal, & homini coæquetur, addimus differentiam. qua adiuncta, rerum quidem numerus crescit, vis autem rei atque amplitudo minuitur. addo igitur rationale: efficióque, animal rationale. Minus est igitur animal rationale, quàm propriè animal. dico autem hominem esse animal rationale. Sed id nondum coæquatur ad hominem. possunt enim esse animalia rationabilia, sicut Platoni quoque de astris placet, quæ homines non sunt. addo igitur rursus aliam differentiã, si quo modo iterum definitio contrahatur, vt fiat homini quod definitur æquale. adiungo igitur mortale, ac dico hominem esse animal rationale mortale. id æquatur ad hominem. Nam & qui homo est, animal rationale mortale est. Dico igitur hominis hanc esse definitionem, quæ ex pluribus communibus iunctis, vnum tamen quiddam propriũ homini atque æquale confecit. Atq; in cæteris definitionibus eadem ratio est, vt definitiones fiant collectis communitatibus, in vnúmque copulatis: cum necesse sit illa copulatione, quæ communia sunt, contrahi, atque in minorem cohiberi modum, eique quod definitur ex communitatibus coniunctis aliquid proprium atque æquale componitur. Hoc est igitur quod ait Cicero, hunc esse definitionis modum, Cum sumpseris ea quæ sint ei rei, quam definire velis, cum alis communia, vsque eò persequi, vt proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. vt his verbis & hac sententia breuiter signare videatur hanc esse definitionem, Quæ ex substantialibus communitatibus iuncta, atque in minorem modum redacta, fit ei rei quæ definitur æqualis. Exempla verò quæ ponit, huiusmodi sunt: vnum definiendæ hæreditatis, alterum Centilitatis. Hæreditatis quidem hoc modo, Hæreditas est pecunia. Commune hoc, & multis aliis est cõueniens, quæ hæreditates nõ sunt, vt donationibus, vel furtis, vel quibúslibet aliis pecuniariis rebus, quæ minimè sunt hæreditates. Huic igitur pecuniæ addendũ aliquid fuit, id est, Quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Hæreditas enim pecunia est, ad quẽpiam morte peruenies. Sed ne id quidem plenum hæreditatis explicat intellectum. Commune nanque est, & pecuniæ mortuorum pluribus teneri modis possunt. velut si bello quis victus est, ac spoliatus. Addendum igitur est aliquid, Iure. vt sit, Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam iure peruenit. Hæreditates enim iure capiuntur. Videatur forsitan hoc loco definitionem posse consistere: sed minime. quid enim? si legata pecunia est, hæreditas quidem dici non potest, capta tamen morte alicuius iure pecunia est. Nam testamenta iure fiunt: pecunia etiam iure legatur. adiiciẽdum est aliquid, id scilicet, quo ab hæreditatibus legata separentur. vt dicamus, hæreditatem esse pecuniam morte alicuius ad quempiam peruenientem iure: quæ legata non sit. Num satis est definitioni? Minimé. quid enim si meum quidem dominium sit fundi, vel alicuius pecuniariæ rei, alterius verò vsusfructus? nam morte eius cui vsusfructus competit, ad me res illa reuertitur, quæ in meo dominio proprietatis

iure tenebatur: neque tamen hæreditas esse potest. adiiciendum igitur est, minimè possessione esse retentam: id est, vt proprietatis possessione id quod ex morte alicuius iure nõ legatum peruenit, non retineatur. Hoc autem modo possessione retineri potest, si sit nostra proprietas, & eius qui decesserit vsusfructus. Cõiuncta igitur omnia in vnum facient hæreditatis definitionem, hoc modo, Hæreditas est pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, non legata, neque possessione retenta. Hæc definitio est æqualis hæreditati. Nam vt hæreditas pecunia est morte alicuius ad quempiã perueniens iure, non legata, neq; per possessionem retẽta: Ita quæcũq; pecunia alicuius morte ad aliquẽ iure peruenerit, neque legata sit, nec retẽta, hanc hæreditatem esse necesse est. Sed cũ M. T. ad eũ vsq; locum definiendo venisset, vt diceret hæreditatem esse pecuniã, quæ morte alicuius ad quẽpiam peruenisset iure, ait: Iam à communitate res disiũcta videbitur, vt sit explicata definitio, sic, Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam iure peruenit. Idq; ita dictum est quasi iam plena facta sit definitio. Quid enim est aliud explicatam esse definitionem, & à communitate disiunctam, nisi perfectam, & cui desit nihil? Sed rursus quasi non sit explicata definitio, nec à communitate disiuncta, adiicit, Nondum est satis: adde, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Cuius adiectione hæc ratio est. fecit enim definitionem aliis adiunctis, aliis separatis. itaque id quod definiebat, vel his quæ adiunxit, vel his quæ separauit, à cæterarum omnium communitate segregauit. Hæreditatem enim dixit esse pecuniam. huic addidit, morte alicuius ad aliquem perueniẽtem. separauítque eam ab iis pecuniis, quæ non morte alicuius ad aliquem, sed contractu viuentium peruenirẽt. addidit, iure, vt ab his pecuniis separaret, quæ per vim morte alterius ad quempiam peruenirent. His igitur duobus, morte atque iure, ea pecunia effecta est, quæ ita à cæteris separetur, vt tamen per legitimum acquirendi modum, non inter vtrosque viuos, sed inter vnum viuum atque alterum mortuum fieret. Hæc igitur vna separatio à cæteris facta est. atque ideo ait explicatam esse definitionem, & à communitate disiunctam. Sed quoniam in ea ipsa pecunia, quæ morte & iure ad aliquem peruenit, inerant quædam quæ hæreditates non essent: harum separatione, plena effecta est hæreditatis definitio. Nam cum diceret, hæreditatem pecuniam esse, itémque quæ morte alicuius ad aliquem peruenisset, itémque quæ iure: hæc omnia efficiẽtia substantiam hæreditatis apposita sunt. Sed quoniam erant in hac collectione quædam ad quæ huius collectionis intellectus tranferri posset, nec tamen essent hæreditates, veluti legatum, aut possessionis retentio: his subtractis reliqua fuit hæreditas: de qua intelligi posit, pecunia alicuius morte ad quempiam iure perueniens. Non igitur legatum, aut possessionis retentio, substantiam hæreditatis efficiunt. quippe quæ impedirent ad eius substantiam demonstrandam, nisi remouerentur. At verò nec negatio quidem cuiusque substantiam perficit: sed tantùm quid non sit, ostendit. Quòd si legatum & possessionis retentio hæreditatis substantiam non modò non complẽt, verùm etiam impediunt atque corrumpunt, nisi fuerint disiuncta atque sepositа: Cúmque harum negatio nihil ex hæreditatis substantia monstret, sed tantum quid non sit, ostendat: relinquitur pars superior, id est pecunia morte alicuius ad quempiam iure perueniens, quæ substantiam hæreditatis ostendat, eáque sit explicata definitio, à cæteríque disiuncta. Sed quoniam rursus, vt dictum est, quædam sunt, ad quæ deriuari huius definitionis intelligentia posit: idcirco ad discretionem integram designandam reliqua pars addditur. Itaque quoniã ista demonstrant hæreditatem, efficiúntque substantiam: iure dictum est: Iam à cõmunitate res disiuncta videtur: vt sit explicata definitio sic, vt, Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Sed quoniam rursus hic intellectus ad plura intra se posita poterat conuenire, non immerito additum est, Non est satis, &c. quæ legatum & possessionis retentionem ab hæreditatis definitione seiungunt. ac de priore quidem hæreditatis exemplo hæc dicta sunt. Ad huius verò similitudinem etiam secundum tractat exẽplum, quod de definitione gentilitatis est positum. Gentiles enim sunt, qui eodem nomine inter se sunt: vt Scipiones, Bruti, & cæteri. Quid si serui sunt? num vlla gentilitas seruorum esse potest? Minimé. Adiiciendum igitur, Qui ab ingenuis oriundi sunt. Quid si libertinorum nepotes ciuium Rom. eodem nomine nuncupentur? num gentilitas vlla est? Ne id quidem: Quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. addatur igitur, Quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit. Quid si per adoptionem in alterius familiam transeat? tunc etiam si eius gentis ad quam migrauit, nomine nuncupetur, licet ab ingenuis, & ab iis ortus parentibus sit, qui nunquam seruitutem seruierint: tamen quoniam in familia gentis suæ non manet, ne in gentilitate quidem manere potest. addendum igitur est, Neque capite

sunt diminuti. Hoc fortasse, inquit, satis est secundum Scævolæ Pontificis definitionem: nihil enim vlterius adiecit: vt sit definitio gentilium hæc, Gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, & vbi gentilitatem nulla capitis diminutio destruxit. Hæc quoque definitio facta est ex pluribus communitatibus in vnum confluentibus, atque vnam proprietatem eius rei quæ definiebatur, id est gentilitatis, facientibus. Hic igitur definitionis modus in vtroq; genere rerum valet, siue quæ sunt, siue quæ non sunt, id est, siue corporalium, siue incorporalium. nam, vt superius ostensum est, id esse Cicero dicit, quod corporale sit: id non esse, quod est incorporale. Ac postremò omnium definitionum modus hic est, vt ex pluribus communitatibus aliqua proprietas fiat. Sed distãt à se definitiones: quòd hæ quæ propriæ definitiones vocantur, ex his communitatibus coniunguntur quæ substantiales sunt: Illæ verò quæ non veræ, sed abutendo definitiones dicuntur, ex accidentibus communitatibus congregantur.

VISORIVS. Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum, &c.) Quid diuisio, quid rursus partitio sit, Quintilianus libro septimo breuiter ostendit, qui sic ait: ~~Diuisio est plurium rerum in singulas, partitio verò singularum in partes discretus ordo.~~ Vt hic sit sensus: ~~Diuisio est generis in formas distributio, partitio totius in partes sectio est.~~ Erit itaque per partitionem definitio, si res definienda in membra sua discerpatur. vt si Rhetoricen definias, dices: Rhetorice est inuẽ definitur rethorica
niendi, disponendi, eloquendi cum firma memoria & actionis dignitate peritia. rhetorica totum est quod definitur. eius partes sunt, inuentio, dispositio, & cæteræ, per quas definitio fit. Huius generis definiendi Quintilianus cap. 10. lib. 5. meminit. Per definitionem verò definies, si formas omnes definiti generis oratione tua complectaris. vt, rhetorica est demonstrandi, deliberandi, & iudicandi scientia. Rhetorica genus est definitum: cuius formæ sunt, demonstratio, deliberatio, & iudicium. Vt si quis ius ciuile dicat.) Cicero ius ciuile per partitionem definit. Iuris enim ciuilis partes & quasi membra recenset, quæ sunt, lex, senatusconsultum, res iudicata, iurisperitorum authoritas, edictum magistratuum, mos, & æquitas, quibus totum ius ciuile tanquam suis partibus constat. Huius autem definitionis hic est sensus: ~~Ius ciuile aut scriptum est, aut non scriptum.~~ Sub iure scripto sunt leges, plebiscita, edicta prætorum, placita principum, responsa sacerdotum. Sub iure non scripto mos & æquitas continentur. Cicero plebiscíti non meminit in partibus iuris ciuilis enumerandis, sed sub lege complexus est: neque iniuria. ~~Nam plebiscitum, lex est tribunitia.~~ Insuper placitorum principum non meminit, nec immeritó. ~~Consulibus enim Rempublicam gubernantibus, imperium Romanum non vnius principis arbitrio, sed authoritate senatus regebatur.~~ A Cæsare autem dictatore oppressa Republica, languere senatus authoritas, ac deinde post Augustum interire etiam cœpit. quo demum tempore omnia vnius principis arbitrio regi cœperunt. Deinde neque responsa sacerdotum expressit, sed sub iurisperitorum authoritate continentur. Addidit è contrario Tullius, res iudicatas inter partes iuris ciuilis, quas tamen Iustinianus in iure ciuili definiendo præteriit, nec expressit. Nunc particulas definitionis explicemus, & primùm quid sit lex dicamus. ~~Lex~~ (vt inquit Gellius) est generale iussum totius populi, rogante magistratu. vel, vt Iustinianus definit, ~~Lex est ius, quod populus interrogante magistratu senatorio velut consule constituit.~~ Boëtius ita describit: ~~Lex est, quam populus Centuriatis comitiis sciuerit.~~ Sed Boëtij pace dixerim, non omnes leges Centuriatis comitiis sciscũtur. Earũ enim aliæ (vt inquit Budæus) centuriatæ sunt, aliæ verò curiatæ. Curiatæ dicuntur leges, quæ comitiis curiatis, id est, tributim, vel, quod perinde est, per tribus coactis feruntur. Centuriatæ sunt, quæ centuriatis comitiis, id est, per diuisionem ex censu & ætate distributis rogantur. Plebiscitum, ius est scriptum, quod plebs plebeio magistratu interrogante, velut tribuno, sciuit, id est, decreuit & iussit. Cicero tamen nomine legis (vt diximus) plebiscitum comprehendit. Nam lege Hortẽsia (vt Iustinianus ait) ~~plebiscita pro legibus haberi cœpta sunt.~~ Quo fit, vt legũ aliæ consulares sint, aliæ tribunitiæ. Cõsulares, quæ absolutæ leges dicuntur. Tribunitiæ verò, quæ communi nomine plebiscita vocantur. Senatusconsultum ius est, quod senatus statuit. Nam cùm populus Ro. vsqueadeò creuisset, vt vnum in locũ legũ ferendarum gratia congregari non posset, placuit vice populi Senatum consuli, ita vt quod Senatus decreuisset, perinde ac si populus decreuisset, haberetur. Responsa sacerdotum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus iura condere fas erat. Nam antiquitus nonnulli erant qui publicè iura interpretabantur, quibus à Cæsare ius respondendi indultum est: vnde iurisconsulti vocabantur, quorum opiniones tantum authoritatis habebant, vt ab illis iudici recedere nunquam liceret. Pla-

cita principum vocamus, quæ cuiq; principi placuit constituere. nam ea pro legibus habentur, cùm populus omne suum ius & potestatem ad principes transtulerit. Edicta magistratuum, pro iure honorario sumuntur. quia hi qui gerunt honores, id est, magistratus (vt sunt prætores) illi authoritatem dederunt. Superiora omnia sub iure scripto sunt. Ex non scripto ius venit, quod vsus approbauit. nam mores vtentium consensu probati legis pondus habẽt. Est autem mos (vt ait Budæus) obseruatio quædam, non lege, sed iudicio & opinione firmata. vel (vt Iulius Festus definit) mos est institutum patrium, ad religiones & ceremonias maiorum pertinens. Institutum verò voco ius nõ scriptum, quod certum tamen authorem habet, præclarum aliquem virum, quem imitari reliqui nõ erubescant. AEquitas est iuris scripti correctio, quæ à iure naturali petitur: id est, quod naturalis ratio persuasit, quódque diuina prouidentia inter omnes gentes constitutum est. Abalienatio.) Abalienatio est, à nostro dominio in alienum dominium transitio. Res quæ abalienari possunt, vno nomine mancipi, pro mancipij dicuntur. Abalienationis duæ sunt species: vna vocatur traditio, altera verò cessio. Traditio est, translatio dominij rerum corporalium: Cessio est, translatio actionum, id est, rerum incorporalium. Nexu.) Nexus ritus est quidam, seu imaginaria venditio, quæ fiebat hoc modo, adhibitis quinque testibus, & eo qui libripens vocabatur. ibi emptor tenens æs pronunciabat, Hanc rem aio meam esse, emptam hoc ære. Deinde libram percutiebat, & æs dabat venditori, tanquam pretium. Hoc ritu significabatur translatio dominij rei venditæ. Sunt & alia genera definitionum.) Definitionis nomẽ translatè sumimus, vt omnem expositionem, qualemcunque definitionem vocemus. Cuius cùm plurimos modos Boëtius faciat, eos tamen omnes ad tria capita generalia reuocari posse, constanter affirmamus. Nam expositio quæcunque sit, aut quid sit, aut quale sit, aut quid significet id de quo quæritur, declarat. Prima absolutè definitio vocatur: Secunda descriptio: Tertia verò interpretatio grammatica. Definitionis exemplum est hoc, Virtus est bene agendi consuetudo. Consuetudo enim, id est habitus, vel si mauis constans affectio, virtutis genus est: bene agere verò, differentiæ vices supplet. hæc est descriptio, quæ sequitur: Homo est rotundo capite, sublatis in cælum oculis, ore sublimi, qui erectus ingreditur, cui vni virtus, vitium, literæ, artes omnes cõueniunt: in quo dolus, solertia, calliditas reperitur. Hæ sunt enim hominis qualitates & actiones, quarum explicatio descriptio dicitur. Interpretatio verò grammatica sit hæc: Tumultus bellum significat, in quo propter vicinitatem periculi timor inest multus. Hæc enim expositio non tam rei quàm nominis est. Itaque cùm tria explicationum genera faciamus, primam præcipuè philosophorum, secundam maximè oratorum, poëtarum & historiographorum, tertiam propriè grammaticorum esse manifestum est. Sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent.) Definitio nonnunquam per contraria fit: vt, Temperans est qui nihil intemperanter agit, sed in omnibus modum & mensuram seruat. aliquando per dissimilia: vt, AEquitas est non ipsum quidem ius, sed iuris emẽdatio. Interim per paria: vt, Auriga est velut gubernator, & dux currus. necnõ per relata: vt, Genus est quod multas habet species, & species quæ generi subiecta est. tum per metaphorã: vt, Mors est vltima linea rerum. Possem ego per omnes propè locos definitiones inquirere. Per coniugata, Iustus est qui iustè facere consueuit: per causas, vt, Lunæ defectus est interpositio terræ inter solem & lunam, quæ radios solis excludit, ne missi ad lunam illustrare possint eam fulgore suo. per effecta, vt, Architectus est qui conficiendarum ædium artem callet. Denique (vt semel iam dixi) potest ab omnibus fermè locis definitio trahi. Quare verum est quod Cicero dixit, alia esse definitionum genera, quorum ipse non meminit. Sed quónam pacto sint ab huius libri instituto isti modi definitionis alieni, videamus. Primùm contraria, paria, dissimilia, coniugata, causæ, effecta, loci sunt quorum præcepta hoc libello tradantur. Quónam igitur pacto Tullius intelligit hæc definiendi genera huius instituti non esse? nodum hunc ita soluimus. Quanuis per contraria, paria, dissimilia, & cæteros locos quos modò recitauimus, definitiones fieri possint, & eorum locorum ars hoc opere tradatur: ij tamen loci ad totum non adhibentur, sed tantùm affecti sunt. At definitio ad totum adhibetur, vel potius ipsum totum est. Quare superiora genera definitionum ad præsentem tractatum (qui de definitione est, & toto) non pertinent. Insuper Rodolphus metaphoram sub notatione comprehendit, qui locus ab eo differt qui à definitione est: quòd definitio rei sit, notatio verò vocabuli. Bene itaque Cicero scribit, cæteros definiendi modos ab iis quos tradidit, ad præsens institutum, id est, ad definitionis locum non pertinere. Sed rursus aliquis obiiciet: Ergo definitiones quæ per diuisionem & partitionem fiunt, ad præsens institutum non pertinebunt. Nam

locus qui à partitione est, à definitionis loco differt. Ita tamen hæc obiectio diluitur. Paulò antè Sol: *Cicero dicebat, partes ad id totum de quo quæritur adhiberi, id est, totam rei propositæ naturam complere, quod sanè definitionis est: igitur definitioni cum diuisione & partitione bene conuenit, ita vt neque illa sine his, neque hæ sine illa intelligi queant. Sic igitur veteres præcipiunt.) Aristoteles capite decimoquarto libri secundi Posterioris resolutionis, hanc inueniendæ definitionis methodum tradit, à quo Cicero eam mutuatus est. præcipit autem illic Aristoteles, Si quid definire velis, primùm aliquid sumas quod rei definiendæ cum aliis rebus quæ simili natura sunt, commune sit: id genus est. quod cùm habueris, proximum est, vt illud diuidas, & vsque eò diuidendo persequare, dum proprium efficiatur, quod soli rei propositæ conueniat, nec in vllam aliam rem competere possit, sed cum re proposita reuertatur. hoc pacto fiet, vt quæcunque ad definitionem rei sumis, seorsum posita latiora sint, quàm res quæ definitur: vniuersa verò non item, sed coniuncta commeent, & reciproca sint. nam frequentia communium proprium quid sit elucet. vt si hominem definias, primùm animal accipies, quod hominis genus est: deinde diuides per suas differentias, quæ sunt, rationale, rationis expers. tum alteram generi coniunges, quæ tuo proposito quadrabit, vt fiat animal rationale. Verùm quia totum hoc secundum veteres philosophos latius est quàm homo, rursus animal rationale distribues, vt aliud mortale sit, aliud immortale. Quia verò homo non est immortalis, propterea mortalem esse dices. quæ differentia si animali rationali fuerit adiecta, quod antè commune erat, proprium efficietur: soli que homini conueniet, & cum eo reciprocabit: vt hæc sit hominis completa definitio, Animal rationale, mortale: cuius singulæ partes definito sunt generaliores, vniuersæ verò æquales. nam omnis homo est animal, sed non solus. Item omnis homo rationalis est, sed non solus. omnis homo mortalis est, sed non solus. verùm omnis & solus homo animal rationale mortale est. Vt hoc, hæreditas est pecunia.) Hæreditas ita definitur, ~~Pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, neque est legata testamento, neque possessione retenta.~~ primùm hæreditas omnis est pecunia, non tamen cõtrà. Nam (vt inquit Vlpianus) omnia corpora pecuniæ appellatione contineri, nemo est qui ignoret. Deinde omnis hæreditas ad quempiam morte alicuius peruenit. Verùm non quæcunque pecunia morte alicuius ad quempiam peruenit, hæreditas est. Nam pecunia Pompeij magni, quæ mortuo Pompeio ad Marcum Antonium venerat, hæreditas dici non poterat: non enim iure venerat. quare vt sit hæreditas, eam iure venire necesse est. Cæterùm non ea omnis quæ iure venit, hæreditas est: quia pecunia quæ legata est, id est testamento relicta, iure venit, non tamen est hæreditas: nec si legata non fuerit, protinus hæreditas erit. Nam si ad eum redeat cuius proprietas est, mortuo illo cuius erat vsusfructus, hæreditas non dicitur. Nam alio iure quàm hæreditatis, res quæ legata fuit, vsufructuario extincto ad dominum redit. Adiiciendum est igitur, vt non sit possessione retenta. quæ omnia si coniungas, hæreditatem perfectè definies. Gentiles.) ~~Gentiles dicuntur, qui inter se eodem nomine sunt~~, vt Scipiones, Bruti, Cassij, ~~& quicunque linea prima sese contingunt: tum qui ab ingenuis oriundi sunt. nam si serui sint, gentiles non erunt.~~ Insuper quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit: non enim gentiles dicuntur, si libertinorum sint nepotes. denique capite non sunt diminuti: quia si in alienam familiam per adoptionem transierint, vt Publius Clodius, gentiles haudquaquam vocabuntur, & hæc vniuersam gentilium definitionem complent. Atque hæc ratio.) Hæc definiendi methodus, quam Cicero ab Aristotele acceptam tradit, certa est & iusta, quam ad vnguem obseruare debes, siue rem corpoream, siue incorpoream definias. & illud est quod Cicero ait, siue illud quod est, id est, rem corpoream, vt fundum: siue id quod intelligitur, id est rem incorpoream, vt gentilitatem, definire debeas.

LATOMVS. Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum.) Hæc diuisio propior est instituto definiendi, quoniam ad formam definiendi pertinet. Docet enim & per partes rem definiri. Itaq; differt hoc genus à superiori, quoniam quid sit id de quo quæritur, non propriè, hoc est, notione generis ac proprietate, sed partium enumeratione ostendit. Enumerantur enim tum formæ, tũ partes, ex quarum natura quid sit totum intelligitur: itaq; illam diuisionem, hanc partitionẽ vocamus. Illud ignorandum non est, definitiones quæ fiunt per partitionem & diuisionem, non esse partitiones & diuisiones, sed vi & effectu differre: quia definitiones sunt quatenus explicant quid sit res: partitio & diuisio, quatenus partes & formas eius ostendunt. Itaq; sumuntur & ad definiendam rem, & per se argumentum ex partium enumeratione præstant, qui loci inter se disiuncti sunt.

Quod in legibus, senatusconsultis.) Ex his partibus quasi membris, ius ciuile quõdam in vnum corpus coaluit. Leges erant, quæ à magistratibus ad populum ferebantur: dictæ à legendo, quoniam propositæ in publicũ legerentur. Senatusconsulta, decreta erãt Senatus. Res iudicatæ, causæ de quibus antè iudicatum fuisset: quæ in exemplum trahebantur in similibus causis iudicandis, vnde & præiudicia appellata. Iurisperitorum authoritas in interpretando iure versabatur, & vim iuris habebat, introducta primùm libera ciuitate, deinde cõfirmata à principibus, & iis cõcessa duntaxat, quorum industria & fides in respondendo spectata fuisset, sicut Papiniano, Vlpiano, & cæteris, quorum responsa libris Pandectarum continẽtur. Edicta magistratuũ, Prætorũ, & Aediliũ erãt, qui quod statuissent, id ius erat. Morem, consuetudinem intellige publico consensu receptã, quæ & ipsa vim iuris habet, & est extra scriptum posita. Huic additur æquitas, & ipsa extra scriptum, cùm quid præter morẽ & legem ex æquo & bono, hoc est, cõmunis vtilitatis causa, rectum esse statuitur. *Abalienatio, est eius rei quæ mancipi est.*) Hic quid sit abalienatio, non propriè, sed per partes ostenditur. Enumerãtur enim formæ, quibus vniuersa eius natura continetur. Illud ignorãdum nõ est, duas duntaxat formas abalienationis fuisse apud veteres, eásq; in ritu & solẽnitate iuris positas, quæ in omni dominio transferendo interponebantur: sed postea his sublatis, rectas ac simplices abalienationis species plures extitisse, vt per donationẽ, vẽditionem, permutationem, cessionẽ, vltimã voluntatem, quæ etiam hodie sunt in vsu. *Quod* additur in definitione, Inter quos ea iure ciuili fieri possunt, ad explendam definitionem pertinet: quoniam non quiuis hoc iure vti potest, sed ij duntaxat, qui & domini rerũ abalienãdarum, & sui iuris sunt, & quibus id iure ciuili permissum est: de quo vide lib. 2. Instit. *Quibus* abalienare licet, vel non. Res mancipi, dicebatur res nostri dominij, quæ alienari potest: dicta quòd in vindicando manu caperetur: vnde & serui ex hostibus capti, mancipia sunt appellata. Mancipi, genitiuus est per apocopen, pro mancipij, quo veteres commoditatis causa libentius vtebantur. *Traditio alteri nexu, aut in iure cessio.*) Nexus, vel nexum (nam vtroq; modo inuenitur) solẽnitas iuris erat per imaginariã venditionem, cùm certo quasi precio interposito res abalienabatur, hoc modo: Cùm adessent inter quos fiebat abalienatio, adhibebatur æs & libra cum quinq; testibus, & is qui libram tenens, libripens dicebatur. Tum is qui emptor appellabatur, æs manu tenẽs, percutiebat libram, his verbis: Hunc hominem, vel hanc rem, inquit, meã esse aio, mihíque emptã hoc ære & hac libra. quo dicto, æs tradebat vẽditori, & peracta erat abalienatio. In iure autem cessio, solennitas iuris erat abalienandæ rei apud Prætorem, nullo quasi precio interposito, cùm præsentibus partibus vindicanti rem Prætor addicebat. Ius enim, locus appellabatur apud Prætorem. vnde, in Ius vocare: & in lite vindiciarũ, Cùm ego te in iure cõspicio. Atque ista in hãc sententiam traduntur à Boëtio, quorum etiam mentio extat nonnullis in locis in iure ciuili. *Sunt & alia genera definitionum.*) Horum multa recensẽt Boëtius ex Victorino, sed impropria, vt ipse vocat, in quibus & diuisionum ac partitionum genus comprehendit. Sed Cicero omnia genera definiendi, præter ea quæ ipse posuit, vult oratorum ac poëtarum magis quàm differentium esse propria, & ab hoc instituto aliena. Explicata enim notione ac proprietate rei, aut partibus eius expositis, nihil amplius esse, quod ad vniuersæ naturæ eius cognitionem desiderari possit: cùm cætera quæ dici possint, ad accidentia pertineant, & aut referantur ad prædicta genera, aut non tam substantiam rei, quàm qualitatem declarent. Boëtij diuisio, qua omnem definiendi rationem colligit, est huiusmodi: Definitio alia propria est, vt quæ genere & differentia constat: Cicero notionem & proprietatem appellat. Alia impropria, sed duplex, verbo reddita, & oratione. Verbo, rursus duplex, cùm verbum verbo declaratur, vt condicere, est promittere: vel cum res exemplo indicatur, vt si quæras quid sit fera, & verbi gratia addas, vt leo, vt tygris: hanc τύπον, illam ἀντίληξιν nominant. Oratione multis modis fit impropria definitio: per partitionem & diuisionem, de quibus prædictum est: per proprietatem seu differẽtiam omisso genere. vt, Homo est, qui rationali natura constat, quæ vocatur ὀνοματική. Per qualitates, vt, Homo est, qui mortali corpore, immortali mente præditus, tali corpore, virtutis ac disciplinæ est capax, quæ vocatur ποιότης. Per accidentia, vt cùm qualis sit auarus, qualis assentator, ex moribus & vita vtriusque describitur, sicut Cnato apud Terentium, ea vocatur ἀνυπόστατος. Per differentiã, siue κατὰ διαφορὰν, vt quid interfit inter regem & tyrannum, inter prodigum & liberalem. Per trãslationem, vt cùm adolescentiam appellamus florem ætatis: senectutem, vitæ occasum. Per priuationem contrarij, vt, Virtus est vitiũ fugere. Per suffigurationẽ, siue κατὰ ὑπόθεσιν, vt cùm ima-

go rei exprimitur. Per defectionem, vt, Dodrans in asse est, cui quadrans deest. Per laudationẽ, quæ si recipitur, erit & per vituperationem, vt illud: Ei autem viro mors parabatur, in cuius vita nitebatur salus ciuitatis. Item leges, si eas leges appellare fas est, ac non potius pestes ac faces Reipub. Per similitudinem, siue ἀναλογίαν, vt, Ciuitas sine magistratu, est nauis sine gubernatore: Stultus magistratus, est caput sine sensu. Per relationem, vt, Pater est qui habet filium. Per causam, vt, Dies est sol supra terram. Quorum omnium generũ primum duntaxat propriũ & substãtiale est, cætera aut referuntur ad illud, aut non quid sit res, sed qualis sit ostẽdunt. Tãtum est dicendum qui sit definitionis modus.) Remouendo cætera definitionum genera, ad id reuertitur, quod primo loco posuit, quo quid sit res propriè explicatur. Itaque formulam eius & modum certum præscribit, intra quem consistendum sit, ne parum aptè definiamus. Debet enim definitio apta esse ei quod definitur: nec plus, nec minus amplecti, quàm natura eius continetur. Sic igitur veteres præcipiunt.) Aristoteles præcipit, genere & differentia definiendum esse. Et genus quidem ferè semper in promptu est, differentia persæpe latet: nec vsquam magis apparet mentis nostræ imbecillitas, quàm in veris differentiis perspiciendis. Itaque vt hanc inopiam sarciamus, vtimur veris quidem, si possumus: sin destituimur earum facultate, tum proximas quasque in locum earum adsciscimus, eásque vel vno verbo sumptas, vel si hoc quoque non suppetat, pluribus vndecunque contractis, quibus aliquid circunscribimus, quod vim parẽ obtineat, quódque propriũ sit ei quod definitur, ipsumque à cæteris omnibus rebus distinguat. Atque hæc formula est, quam præscribit Cicero, in qua communibus sumptis, & ad proprietatem redactis, id quod primo loco sumitur, genus est, aut vicẽ eius obtinet, cætera deinceps differentiæ loco ponũtur. Differentia enim & proprium, re idẽ sunt, sed appellatur differentia, quòd rem certa proprietate à cæteris distinguat: proprium, quòd vni soli conueniat. Multis enim modis sine hæreditate.) Vt vi, fraude, legato, retentæ possessione, quæ excludenda sunt ab hæreditate, vt propriã definitionem efficias. Possessione retẽta.) Quod sit in vsufructu mortuo vsufructuario, cùm dominus proprietatis vsumfructũ retinet. De quo lege secundum Instit. de Vsufructu.

HECENDORPHINVS. Quod in legibus.) Lex, est quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituebat. §. Lex. Institut. de Iure naturali, gentium, & ciuili. Rebus iudicatis.) Intelligit præiudicia, quæ authore Asconio sunt decreta, quæ iudicaturis adferunt exemplum quod sequantur. More.) Festus Pompeius scribit morem esse institutum patrium pertinens ad religiones ceremoniásque maiorum. Aequitas.) Aequitas est, quæ ex iure multũ remittit. Abalienatio.) Ablienatio, est omnis actus, per quem dominium transfertur. l. 1. Cod. de Fundo dotali, vt emptio & donatio, &c. Aut traditio alteri nexu.) Id est, quæ fit per nexus solennitatem, quam iudicat C. Iurisconsultus in primo Institutionum titulo, Quibus modis filij exeunt de patria potestate: & ita fiebat olim ante Præsidem, modò ante curiam, vbi quinque testes ciues Romani in præsenti erant, & pro illo qui libripens appellatur, id est, stateram tenens, & qui antestatus appellatur, alij duo, vt septem testium numerus impleatur. Hæc ille. Qui verò mancipium accipit, ita dicebat: Hoc mancipium iure Quiritum meum esse aio: ídque mihi emptum est hoc ære, æneáque libra. Deinde ære percutit libram. Idque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi precij loco. Hæc ex Boëtio. Porrò huius nexus meminit Iustinianus in leg. Vnica. Cod. de Vsucapione transformanda. Aut in iure cessio.) Quæ, vt idem Caius secundo commentario exposuit, ita fiebat apud magistratum pop. Rom. vel apud Prætorem vel Præsidem. Is cui in iure ceditur, rem tenens, ita vendicat: Hunc ego hominem & iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquã hic vendicauerit, Prætor interrogat eũ qui cedit, an contrà vendicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui vendicauerit eam rem, addicit. Idque legis actio vocabatur. Vide quoque Varronem libro secundo de Re rustica, capite de pastoribus. Commune adhuc.) Id est, multæ species pecuniæ sunt. Est pecunia numerata, consignata, legata, donata. Multa enim sunt genera pecuniæ.) Pecuniæ appellatione rem significari, Proculus ait in l. Pecuniæ. ff. de Verborum & rerũ significatione. Et pecuniæ appellatio ad ea refertur, quæ in patrimonio nostro sunt. l. Rei appellatione. ff. de Verborum & rerum significatione. & l. Pecuniæ verbum. ff. eodem titulo. Aut legata testamento.) Legatum enim, est legatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda. §. 2. Instit. de Legat. Aut retenta possessione.) Hoc dicitur possessione retineri, cuius nostra est proprietas, & alterius vsusfructus. §. Finitur autem vsusfructus. Instit. de Vsufructu.

Qui ab ingenuis.) Ingenuus, est is qui statim vt natus est, liber est. §. Ingenuus. Instit. de Libertinis. Capite non diminuti.) Id est, qui statum priorem non mutarunt, vt si per adoptionem in familiam alterius transierunt. nam tunc etiam eius gentis nomine appellantur, in §. Hodie. Instit. de Adoptionibus. Quod intelligitur definiendum.) Prima lex, Definitio neque plura neque pauciora quàm definitum complectatur: sed de quocunque vnum dicitur, dicatur & alterum: vt, Homo est animal rationale, Petrus est homo, igitur est animal rationale. Secunda lex, Finitio eius quod definitur, essentiam explicet. Tertia, Finitio aperta esto, id est, non ambiguis nominibus, quæ in multas ducuntur significationes, neque obscuris, neq; ex longinquo translatis consistat. Vide Aristotelem in secundo Posteriorum, & Rodolphum in primo, qui sua ex Philosopho transcripsit.

GOVEANVS. Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum.) Definimus interdum partientes totum in suas partes, & quædam veluti membra: (membra enim propriè sunt animalium) interdum genus vniuersum in suas formas diuidentes, ita vt nullam prætermittamus: cùm certus semper formarum sit, definitúsque numerus. Inter genus & totum hoc interest, quòd genus de suis formis affirmatur, totum de partibus nunquam: genus ex suis formis non constat, totum ex suis partibus constituitur: genus formis prius natura est, totum partibus & tempore & natura posterius: generis natura vniuersa in vnaquaque forma includitur, natura totius vniuersa in nullæ suarum partium inest: genus, speciei dicitur genus. totum non partis totum, sed in partibus totum. Ius genus est Iuris gentium, Naturæ, & Ciuilis. Ius ciuile populi Romani his partibus constat: legibus, in quibus plebiscita comprehendo: Senatusconsultis, rebus iudicatis, vnde sumuntur præiudicia: iurisperitorũ interpretatione, qui de iure respondẽdi ius habebant: edictis Prætorum & AEdilium Curulium: longa consuetudine, & scripti iuris leni quadam & clemente interpretatione, quæ quidem appellatur æquitas. Quibus de rebus plura scribere, nisi scirem vulgo notas esse. Abalienatio autem genus est traditionis per nexum, & cessionis in iure, per quæ duo definiri sic potest, Abalienatio est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Quæ verba exponens Boëtius, inquit: Omnes res quæ abalienari possunt, id est à nostro dominio ad alterius transire possunt, Mancipi dictæ sunt. Ego existimo res eas esse mancipi, quæ manu capi possunt, quarúmque traditio est: quod ipse Tullius videtur innuere, cùm traditionis meminit: vt ea demũ abalienari dicantur, quæ corporea sunt: nullúmq; ius alienari posse videatur, veluti vsusfructus, vsus, habitatio, seruitutes tam vrbanorum, quàm rusticorum prædiorum. Id quod Asconius significat, illud ex Prætura vrbana, Prædibus & prædiis populo cautum est, sic enarrans, Bona prædia dicuntur, bona satisdationibus obnoxia, siue sint in mancipiis, siue in pecunia numerata: Prædia verò, domus & agri. Quo in loco quid per mancipia intelligat Asconius, dubium nemini esse arbitror: res scilicet soli & immobiles: vt ne pecuniam quidem numeratam in rebus mancipi numeret. Abalienatio igitur erit rei mancipi traditio alteri nexu. De traditione his verbis scribit Imperator, Per traditionem quoq; iure naturali res nobis acquiruntur. nihil enim tam conueniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in aliũ transferre, ratam haberi: & ideo cuiuscunque generis sit corporalis res, tradi potest, & à domino tradita alienari, siue ex causa donationis, siue dotis, siue ex qualibet alia causa tradatur. Re autem non tradita, dominium non transfertur. ex l. Traditionibus. C. de Pactis. & l. Aphricanus. §. Si Titius. de Leg. 1. & in Instit. de Empt. & ven. §. Vindicatio. Sed videamus cur illud, Alteri, in definitione appositũ sit. Quædã sunt personæ, per quas nobis acquiritur: vt liberi nostri quos in potestate habemus, & serui nostri, & ij quorum tãtum habemus vsumfructũ, si modò ex re nostra id faciant, aut ex suis operis. Qui igitur alienare vult, tradere rẽ alteri debet, hoc est ei cui rem tradens, sibi nõ acquirat. Nexũ autem, vel nexus (vtroque enim genere dicitur) est id quod per libram & æs agebatur, quemadmodum scribit M. Tullius 3. de orat. Agebatur autẽ ita, Adhibitis non minus quàm quinq; testibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem cõditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens: is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit, Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio: ísque mihi emptus est hoc ære, æneáque libra. Deinde ære percutit libram: idque æs dat ei à quo mancipium accipit, quasi pretij loco. Nexus meminit Iustinianus in l. Vnica. C. de Trãsformanda vsucapione. Abalienationis alterum genus est, in iure cessio: quæ, vt Caius in secundo cõmentario exposuit, hoc fiebat modo: Apud magistratũ

populi Romani, vel apud Prætorem (hoc enim est, In iure) vel Præsidem prouinciæ, is cui in iure ceditur, rem tenẽs ita vindicat, Hunc ego hominem ex Iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicauerit, Prætor interrogat eum qui cedit, an contrà vindicet: quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicauerit, eam rem addicit. idque legis actio vocabatur: vt & emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, serui optio, datio tutoris: qui actus legitimi à Pomp. vocantur. l. Actus, de Reg. iuris. Tam autem traditio alteri nexu, quàm cessio in iure, inter ciues Romanos tãtum fiebat. Quamobrem adiecit M. Tullius, Inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Sunt & alia genera definitionum.) Genera definiẽdi innumerabilia propè collegit Seuerinus Boëtius in libro de Definitione: quæ M. Tullius ad libri huius institutum pertinere non existimat. Genera ea duo, quæ posuit, eò videntur non aliena à suo proposito, quia per locos dentur, per partitiones videlicet & diuisiones, quem locum secundum fecimus. Sic igitur veteres præcipiunt.) In veteribus Aristoteles numeratur, è cuius libro τῶν ἀναλυτικῶν ὑστέρων secundo, ratio hæc colligendæ definitionis desumpta est. Veteres igitur cum dicimus artis disserendi scriptores, Aristotelem intelligimus: nouos autem, Chrysippum Stoicum. Cicero in Oratore ad M. Brutum, Quæ quidem res (quod te iis artibus eruditum minimè fallit) duplicem habuit docendi viam: nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi, & postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo eum censeo qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem: sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi disciplina institutus, nouerit primùm vim, naturam, genera verborum, tam simplicium quàm copulatorum. Ac paulò antè cum de Zenone loquutus esset, Atque etiam, inquit, ante hunc Aristot. in principio artis Rhetoricæ, &c. Porrò definiendi modus ab Aristot. traditus hic est, vt cùm sumpseris ea quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia: hoc est, cũ rei quam definire velis, genus sumpseris, eoúsque persequare, dum proprium efficiatur quod nullã aliam in rem transferri possit: hoc est, differentiis addendis modum nullum facere, donec definitio propria efficiatur eius rei quam definis, ita vt nullam aliam in rem valere possit. Vt hoc, Hæreditas est pecunia. commune adhuc.) Hæreditas à Iuliano sic definitur, Successio in vniuersum ius quod defunctus habuit tempore mortis. à M. Tullio sic, Pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Cuius definitionis singulæ particulæ nobis excutiendæ sunt. Hæreditatis genus est pecunia. Pecuniæ autẽ appellatione, quemadmodũ Paulus scribit lib. 2. ad Edictum, rem significari Proculus ait: & Hermogenianus lib. 2. Iuris epitom. Pecuniæ nomine nõ solùm numerata, sed omnes res tam soli quàm mobiles, & tam corpora quàm iura continentur. Vlpianus autem lib. 48. ad S. C. Pecuniæ verbum, inquit, nõ solùm numeratam pecuniam complectitur, sed omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora. nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri, nemo est qui ignoret. Hæreditas nomen iuris est. Pecuniæ nomen à pecudibus fluxisse nemo nescit, in quibus veterum Romanorum diuitiæ omnes positæ erant. Pecunia igitur, vti diximus, hæreditatis genus est. Eius autem pecuniæ quæ hæreditas dicitur, differentia vna est, Quæ morte alterius ad quempiam peruenit iure, hoc est, vel testamento, vel lege ab intestato: quãquam hæreditas quæ testamento obuenit, possit dici lege obuenisse. l. Lege obuenire. ff. de Verb. signifi. Lege obuenire hæreditatem, inquit Vlpian. lib. 2. ad legem Iuliam Papiam, nõ impropriè quis dixerit etiam eã, quæ ex testamento defertur: quia lege 12. Tabularum hæreditates testamentariæ confirmantur. Differentia altera est, Nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Quam differentiã vt intelligamus primùm notandũ est, legatũ sine testamento intelligi non posse: est enim legatum, donatio quædam relicta testamento præstãda ab hærede. Tum illud quoque intelligendum est, Iure legati singulas res nobis acquiri, iure autem hæreditatis bonorũ, vniuersitatem. est enim hæreditas, quemadmodũ initio ex Iuliano diximus, successio in ius vniuersum quod defunctus habuit tẽpore mortis. Postremò videndum est, quænam pecunia dicatur retineri possessione. Ea pecunia retineri possessione dicitur, cuius Prætor retinendæ ius dat: bonorum enim possessio, ius est acquirendæ rei vel retinendæ, quæ defuncti fuit mortis tempore: eáque possessio à Prætore datur. Absoluta igitur confectáque est hæreditatis definitio hoc modo: Hæreditas, est pecunia, quæ morte alterius ad quempiã peruenit iure, neque ea legata testamento, aut possessione retenta. Quæ definitio videri imperfecta potest: donationem enim causa mortis, fidei commissum, & eam præterea pecuniam complectitur, quæ sacrorum gentilitiorum comes est. Ad quæ ordine respondeamus. Donatio mortis causa facta, legatum quoddam videtur: quemadmodum scribit Imp. Tit.

De donationibus, lib. 2. Instit. Fidei cõmissorum autem ius nondũ erat cõstitutũ. constitutũ autem postea fuit ab Augusto, quemadmodum scribit Imperator Tit. de Fideicommissis, lib. 2. Institutionum. De pecunia autem, quæ comes est sacrorum gentilitiorum, quid dicemus? Negabimúsne pecuniam esse, quæ morte alterius ad quempiam perueniat iure, neque legatam, neque retentam possessione? Negabimus certè iure ciuili peruenire, iure põtificio cõcedemus. De qua M. Tullius lib. 2. de Legib. his verbis, Hæc iura põtificum autoritatem consequuta sunt, vt ne morte patrisfamiliàs sacrorum memoria occideret, & iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit. Hoc vno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur Iurisconsultorum libri. Quærunt enim qui astringantur sacris. Hæredum causa iustissima est: nulla enim est persona, quæ ad vicem eius qui è vita emigrauerit, propius accedat. Deinde qui morte, testamentóve eius tantundem capiat, quantum omnes hæredes: id quoque ordine. Tertio loco, si nemo sit hæres, is qui de bonis quæ eius fuerint cum moreretur, acceperit plurimũ possidendo: (hoc est, vt obiter locum hunc interpretemur, Bonorum possessor ad quem plurimum ex bonis defuncti peruenit.) Quarto, si nemo sit qui vllam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum seruet. Extrema illa persona est, vt is qui ei qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminíque eam soluerit, perinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit. Itémque vt illud, Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine.) Gentiles à Scæuola Pontifice ita definiuntur, Qui eodem inter se nomine sunt, quíque ab ingenuis oriundi sunt, quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, & capite diminuti nõ sunt. Quæ definitio sanè vt intelligatur, notanda hæc nobis sunt: quid nomen sit, qui ingenui, qui maiores appellentur: postremò, quæ capitis diminutio è gente nos eximat. Nomen igitur id est, quod prænomini subiungitur. Prænomen est M. nomen est Tullius: nomen inquam familiæ & gentis, non hominis proprium. Caius prænomen est, Verres nomẽ. Omnes igitur Tullij gentiles sunt: omnes itẽ Verres, omnes Aelij, omnes Sentij, omnes Cornelij, omnes Papirij siue Papisij, Fabij, Pisones, Lentuli omnes inter se eodem nomine sunt. Ingenui ab Imperatore dicuntur, qui simul atque nati sunt, liberi sunt, quanuis à libertis orti sint: veteres autem libertinorum filios non ingenuos, sed libertinos appellabant. Suetonius in Claudio, Latum clauum, quanuis initio affirmasset, non lecturum se Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu libertinos dictos, nõ ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex iis procreatos. Quare in nostra definitione ingenui intelligendi sunt, quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, hoc est, qui ingenuitatem intactam atque illibatam habent. Maiores autem, tam ex parte patris, quàm matris intelligendi sunt. Diminutione porrò capitis is è gente exit, qui cùm sui iuris sit, in aliam se gentem adoptandum dat: sic enim & nomen, & sacra familiæ eius accipit, à qua adoptatur. Ita Africanus minor, qui AEmilius antea erat, Cornelius AEmilianus: ita Augustus ex Octauio, Iulius Octauianus: ita Atticus ex Pomponio, Cælius Põponianus: ita P. Clodius, Fonteius Claudianus factus est: quæ species adoptionis adrogatio idcirco dicitur, quia ad populum rogatione lata fiebat. cuius hæc verba erant, Velitis iubeatis Quirites, vti L. Valerius L. Titio tam iure legéque filius sibi siet, quàm si ex eo patre matréque familias eius natus esset: vtíque ei vitæ necísque in eum potestas siet, vti pariundo filio est: hoc ita vt dixi, ita vos Quirites rogo. Cæterum nõ esse eosdem gentiles & agnatos, colligimus ex verbis Vlpiani in l. Sæpe. de Verb. signifi. in qua sic scribit, Nam cùm dicitur apud veteres, Adnatorum gentiliúmque, que pro separatione accipitur. Certè Cicero stirpẽ à gente separat l. 1. de Orat. Scæuolam pontificem.) Scæuolas duos Pontifices facit Cicero lib. 2. de Leg. his verbis, Quàm magnum Scæuolæ illud faciunt Pontifices ambo, & iidem iuris peritissimi? Duo autẽ ij Scæuolæ Põtifices, sunt P. Scæuola & eius filius Quintus, de quo M. Tullius ius ciuile didicit. Quintus alter fuit Scæuola, cuius in Lælio meminit M. Tullius: sed is Augur, non Pontifex fuit.

COMMENTARIVS. Partitionum.) Partitio & diuisio pertinent ad definitionem, quando ex comprehensione partium omnium & specierum rem totam ostendimus. A definitione separantur, cùm ex vnius partis aut omnium positione, rem totam colligimus: aut ex vnius partis vel omnium sublatione rem totam tollimus. Legibus.) Legem appellat Iustinianus id quod populus Romanus constituit senatorio magistratu interrogante vt consule. Sed nomine legis

*Cicero etiam plebiscitum complecti videtur, quod plebs plebeio magistratu interrogãte, vt tribuno, constituit. Nam alioqui partem vnam omitteret. Iurisperitorum authoritate.) Iurisconsultis probatissimus (vt author est Theophilus) dabatur interdum potestas vel à populo vel à senatu vel à principe ius condendi leges, interpretandi, publicè de iure respondendi. Itaque illorum responsa effecerunt partem iuris ciuilis. Edictis.) Omisit autem Cicero constitutiones principũ. Nam pars hæc nondum erat in vsu tempore Ciceronis, éstque postea adiecta ab Imperatoribus. Diuisionum autem.) Id ait, propterea quòd in partitione non est aliquando vitiosum partem aliquam omittere: at in diuisione id semper vitiosum est, vt paulò pòst ostendet. Quæ mancipi est.) Res mancipi dicitur ab antiquis, quæ est in nostro dominio, & ideo à nobis potest alienari: nam quæ non sunt in dominio nostro, illa à nobis abalienari non possunt: vt res sacræ. Sunt & alia genera.) Boëtius in libro definitionum sexdecim enumerat definitionum genera: sed Cicero duntaxat probat definitionem essentialem, ennoematicam & descriptiuã: præterea eam quæ per diuisionẽ fit & partitionem. Cæteræ definitiones, oratoriæ potius & poëticæ, quàm dialecticæ. Sic igitur.) Hoc præceptum pertinet ad definitionem essentialem & descriptiuam, de quibus egit antea. Nam definitionem partitionum & diuisionum in præsentia omittit, de ea tamen est postea loquuturus. Cæterùm hoc præceptum est ab Aristotele ductum lib. 6. Top. qui præcipit vt definitionem faciamus ex genere & differentiis. sed cùm rara sit differentiarum occasio, Cicero illarum loco propria ponere solet, & accidentium collectionem, quæ efficit proprietatem. Dum proprium efficiatur.) Sic enim carebit definitio vitiis, vt neque plus complectatur quàm deceat, neque minus. Eousque autem sunt addendæ proprietates, dũ definitio sit æqualis definito. Pecunia.) Iurisconsulti Titulo De definitionibus, nomine pecuniæ complectuntur omnia bona, tam soli, quàm mouentia. Quæ morte.) Hoc additur, vt separetur hæreditas ab illis donationibus quæ fiunt inter viuos. Iure.) Vt teneri possunt mortuorũ pecuniæ per fidei cõmissum, & aliquando quoque per furtum. Nec ea aut legata.) Prior particula legata detrahit, quæ sunt donationes quas præstare debent hæredes: posterior tollit ius proprietatis in ipso vsufructu. vt si aliquis esset vsufructuarius, tu proprietarius, morte vsufructuarij retineres possessionem, non hæreditatis ratione. Centiles.) Tria cognationis genera fuerũt apud antiquos: stirps, gentilitas, agnatio. Sed stirps cognationem significat: Agnatio, coniunctionem personarum virilis sexus: Centilitas verò, in familiis duntaxat nobilibus dicebatur, quæ stemma suum ostendere poterant. hinc factum est, vt Galli nobiles appellarent gentiles, vt eos separarẽt ab ascriptitiis glebæ, quos vulgo appellant villanos, villains. Eodem nomine.) Hinc fit, vt gentilem simpliciter vsurpemus, pro eo qui eodẽ nomine vocatur. sic Seruius Tullius gentilis est Ciceronis. Sic Publipores & Marcipores, dominorum erant gentiles. Ab ingenuis.) Iurisconsulti appellant ingenuos, qui simul atque nati sunt, sunt liberi, id est, qui nunquam fuerunt serui, ad differentiam libertinorum. Porrò inter libertinos & seruos nõ potest esse gentilitas. Nemo seruitutem seruiuit.) Gentilitas petitur ab antiquitate personarum ingenuarum. ergo si quis fuerit seruus, tollit ius gentilitatis. Cæterùm dicũt seruitutem seruire, pro eo iure esse in seruitute, quo seruus est: ad differentiam nexorũ & * edictorum, qui seruiunt, sed non seruitutem. Qui capite.) Capitis diminutio est prioris status immutatio: vt si quis in adoptionem daretur, statum mutaret, ac prioris familiæ consanguinitatem exueret, & in alterius nomen transiret, vt scribunt iurisconsulti. Itaque gentilis ille non esset. Vt si quis è familia Scipionum transiret in familiam Valeriorum per adoptionem. Atque hæc ratio.) Hæc formula valet tum in definitionibus quæ differentiis aut proprietatibus constant, tum descriptionibus quæ constant collectione accidentium. non tamen valet in diuisionibus & partitionibus. Quocirca de his seorsum est traditurus.*

Partitionum autem & diuisionum genus quale esset, ostendimus: sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt: vt corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cætera. in diuisione formæ sunt, quas Græci εἴδη vocant: nostri, si qui hæc fortè tractant, species appellant,

Partitio & diuisio inter se quid differant.

non pessimè id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latinè quidem dici possit, specierum & speciebus dicere: & sæpe his casibus vtendum est: at formis & formarum velim. Cùm autem vtroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam definiunt hoc modo: Genus, est notio ad plures differentias pertinēs. Forma, est notio cuius differentia ad caput generis & quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita & antè percepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens. Formæ igitur sunt hæ, in quas genus sine vllius prætermissione diuiditur: vt si quis ius in legem, morem, æquitatem diuidat. Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem, & similitudine quadam conturbatus, non satis acutè quæ sunt secernenda, distinguit. Sæpe etiam definiunt & oratores, & poëtæ per translationem verbi ex similitudine cum quadam suauitate. Sed ego à vestris exemplis, nisi necessariò, non recedam. Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meus, cùm de littoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus iis ad quos id pertinebat, quid esset littus, ita definire, quà fluctus eluderet: hoc est, quasi qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire. Translatione enim vtens, discedebat à verbis propriis rerum, ac suis. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus.

BOETIVS. Quoniam diuisionum formas in partitionem, diuisionémque distribuit: ne qua rerum auditor similitudine turbaretur, diuisionis ac partitionis differentias prodit. ac primùm, aliud partes, aliud species esse demonstrat. Species enim sæpe partes, partes verò nunquã species appellantur. Differunt verò hæc à se: quoniam pars totius membra coniungit, species verò totum diuidit, atque dispertit. Nam, vt superius quoque dictum est, partes eius quod copulant non suscipiunt nomen totius. Neque enim fundamenta, vel tectum, domus esse diei possunt: nam nisi omnia quæ quid efficiunt, iuncta sint: totius vocabulum singula non habebūt. at verò species etiam singulæ generis suscipiunt nomen: vt homo animalis. quo fit, vt in his illa quoque differentia possit agnosci, quòd partes quidem, totius partes: species verò non totius, sed vniuersalis rei, id est generis species esse dicuntur. differt verò totum à genere, quòd genus vniuersale est: totum verò minimé. quod probatur hoc modo. Si enim id quod totum dicitur, vt domus, vniuersale esset: partes quoque eius, totius susciperent nomen. at non suscipiunt: vt sæpe monstratum est. quod igitur totum est, vniuersale non est. Genus verò vniuersale esse manifestum est: quoniam eius nomen deductæ ab eo formæ suscipiunt. Item alia differentia, Genus semper speciebus suis prius est: totum verò suis partibus posterius inuenitur. nisi enim partes fuerint, totum nō potest iungi. Quo fit vt si genus pereat, species quoque perimātur: si species intereat, maneat genus. quod in partibus totóque contrarium est. Nam si pars quælibet vna pereat, totum necesse est interire: si verò totum, quod partes iunxerant,

dissipetur, partes maneant distributæ: veluti si domus tecta, & parietes, & fundamẽta à semetipsis extrinsecus posita intelligantur, domus quidem non erit, quia coniunctio destructa est, partes tamẽ manebunt. Propriis igitur nominibus M. Tullius partes quidem veluti totius membra compellat: species verò formas idcirco, quoniã nõ satis ei apta videtur inflexio casuum ab eo nomine quod est species. Et licet plures, inquit, vsurpauerit hoc nomẽ, tamẽ quoniã dura huius nominis per casus inflexio est, cum dicitur speciei, specierum, speciebus: Idcirco commoditatem in dicendo, vt ipse ait, non arbitratus est negligendam, vt formas vocaret, in cuius nominis casibus nulla esse sentitur asperitas. Et quoniam forma præter genus esse non potest (Nihil enim præter suum potest esse principium) vtrorũq; apposuit definitiones, dicens genus esse notionem ad plures differentias pertinentem. Notio verò, est intellectus quidam, & simplex mentis conceptio, quæ ad res plures pertineat à se inuicem differentes. Id verò genus esse manifestum est, quod apertissimo liquet exemplo. Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet, ad rationale scilicet atque irrationale, ad mortale etiam atque immortale, ad ambulabile, reptibile, volatile, natabile: & est eorum omnium, quæ sub his differentiis sita sunt, genus. Idem verò signat hæc definitio, quod etiam vetus: hæc huiusmodi est, Genus est, quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid est prædicatur. velut animal, genus ad plures res specie differentes, id est ad hominem atque equum, in eo quod quid est, prædicatur. Nam interrogantibus, quid est homo vel equus: animal dicitur. Item formæ definitionem talem dedit, Forma est notio, cuius differentia ad caput generis & quasi fontẽ referri potest: & rectẽ. Nam si formæ à genere deducuntur, species necesse est referantur ad genus. Si igitur principium quoddam & fons formæ genus est, necesse est vt intellectus formæ ad primordiũ suũ, id est notionẽ generis reuertatur. Intellectus enim hominis refertur ad animal, itémq; equi & cæterorũ. Notionẽ verò appellat, quod Græci ἔννοιαν vel πρόληψιν dicunt. huius hæc est definitio: Notio verò est insita, & antè percepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens. Hæc verò definitio, hinc tracta est, quòd Plato ideas quasdam esse ponebat, id est species incorporeas, substantiásque constantes, & per se ab aliis naturæ ratione separatas: vt hoc ipsum homo, quibus participantes cæteræ res, homines, vel animalia fierent. At verò Aristoteles nullas putat extrà esse substantias: sed intellectam similitudinem plurimorum inter se differentium substãtialem, genus putat esse, vel speciem. Nam cùm homo atque equus differant rationabilitate atq; irrationabilitate: horum intellecta similitudo efficit genus. Nam similitudo equi & hominis substantialis ea est: quòd vterq; substantia est, vterq; animatus, vterque sensibilis. quæ iuncta efficiunt animal. est nanque animal, substantia animata sensibilis. Igitur hominis atque equi similitudo, est animal, quod est genus. Rursus cùm Plato atque Cicero numero accidentibúsque distarent: horum similitudo, quæ est humanitas intellecta, atque animo formata, species est. ergo communitas quædam, & plurimorum inter se differentium similitudo, notio est: cuius notionis aliud genus est, aliud forma. Sed quoniã similium intelligentia est omnis notio: in rebus verò similibus, necessaria est differentiarũ discretio: idcirco indiget adhuc notio quadam enodatione ac diuisione, velut ipse intellectus animalis sibi ipse non sufficit. Nã mox animus ad aliquod animal, id est vel hominẽ, vel equum deducitur inquirendum: & hominis notio vel ad Tullium, vel ad Platonẽ, vel quemlibet singularium personarũ refertur. Quæ cùm ita sint, quoties genus diuiditur in formas, nullam prætermitti oportebit. Est enim vitium vel maximũ, siqua diuidentem forma prætereat. veluti si quis ius diuidere velit: in legem, morem atq; æquitatem necesse est partiatur. nam & lex, & mos, & æquitas, & singula, & in commune, iuris vocabulo subiecta sunt. Culpat verò illorũ insciticm, qui idem species vel formas putant esse, quod partes: conturbariq; eos insciticia dicit, quòd res à se plurimũ differentes imperitè atq; improuidè distinguere ac segregare non curant. Sed quoniam de definitione loquebatur, addit aliam speciem definitionis, quam nos superius enumerauimus: quæ per translationem non proprietatis, veritatísq;, sed splendoris atq; ornatus ratione perficitur. quod poëtarũ oratorúmq; esse autumat, quibus luculenta oratio curæ est. Huius definitionis exemplum à iure ciuili Tullius petit: aitq; se nõ aliter ab exemplis notioribus Trebatio recessurũ, quàm si necessitas cogat. Per translationem verò definitio est, veluti cùm Aquilius littus definire volẽs, dicebat littus esse quà fluctus eluderet. hoc eludere ab ils translatũ est, qui agitatione aliqua, causa lusus mouentur. Itémq; adolescentia, flos ætatis. id ab arboribus ductum est: quarum fructus flores præcedunt. Et senectus, vitæ occasus. id à die ductum est, qui desinit esse cùm sol occidit. quæ translationes à proprietate discedunt, & quadam similitudine subiecta signant.

Est enim translatio, quoties habenti rei nomen, propter alterius similitudinem, à re simili nomen imponitur: vt motus habet proprium nomen, item lusus suo vocabulo nuncupatur. Sed qui dicit, quà fluctus eluderet: à similitudine agitationis ad fluctuum motum, vocabulum transfert. Ac de definitionibus quidem disputationem terminans ad partitiones transitum facit. Sed nunc tertio volumini satis est: reliqua in posterum differamus.

VISORIVS. Partitionum autem & diuisionum genus quale esset.) De definitione per partitionẽ & diuisionem suprà locuti sumus, & quid vtraq; esset, qualisq;, & quo modo fieret, ostendimus. Nunc de discrimine diuisionis & partitionis dicendum est. Itaq; partitio & diuisio sic inter se differũt, quòd in partitione quasi membra sint, in diuisione verò formæ: quod perinde est ac si dicamus, diuisionem esse generis in formas deductionem, partitionẽ verò totius in partes sectionẽ. vt partitio est, cùm dico corpus humanũ constare capite, humeris, brachiis, manibus, lateribus, cruribus, pedibus, & cæteris. aut etiã hoc modo, Domus in tectum, parietẽ, tabulatum, & fundamentũ distribuitur. Erit autẽ diuisio, si dicas, Virtus est aut prudentia, aut iustitia, aut fortitudo, aut temperantia. vel sic: Animal aut est homo, aut bestia. sicut illic totũ in partes distributum est, ita hic genus in formas diducitur. Græci ἰδέας vocant.) Idea, secundum Platonem libro sexto de Repub. nihil aliud est, quàm perfecta rei cognitio, natura quidem inchoata, doctrina & vsu perfecta: vt in Cicerone eloquentiæ idea est, per quam sensit quæ forma orationis esset optima, & quam secutus atq; imitatus optimam orationem effecit. Species appellant.) Speciei nomen, vt nõ omnino aspernandum est, ita nonnullis in casibus est vitãdum: vt in genitiuo, datiuo & ablatiuo pluralibus: in quibus vel latinum nõ est, vel non satis vsitatum, vel auribus molestum & ingratũ, quas in dicendo consulere semper debemus, ita vt quod respuunt illæ, vitemus & negligamus. Si qui hæc fortè tractant.) Pauci Latini, vel potius nulli, ab Vrbe condita ad seculum vsque Ciceronis, philosophicas disciplinas tractarunt, vt Cicero testis est locupletissimus, qui in prima Tuscul. sic inquit: Philosophia vsq; ad hanc ætatem latuit, nec vllum habuit lumen literarum Latinarum, quæ illustranda & excitãda nobis est, vt si occupati profuimus aliquid nostris ciuibus, prosimus etiam, si possumus, otiosi. in quo eò magis est nobis elaborãdũ, quòd multi iam Latini libri dicũtur scripti incõsideratè ab hominibus illis quidem optimis, sed nõ satis eruditis, &c. quo in loco licet præcipuè de philosophia morali Cicero loquatur, de aliis tamen philosophiæ partibus etiam id esse intelligendum satis docet. Commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.) Tullius in dicendo commoditatem negligendam non arbitratur. Quare misocali non sunt audiendi, qui alienum à dialectico putant vt verborum delectum habeat. Nam rerum & verborum scientia, sicut Crassus ait, ita cohæret, vt neque verba fidem habitura sint, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoueris. facessant igitur isti, qui verbis è media barbarie desumptis, sanctissimam philosophiam polluunt, & eam sordidis & rancidis vocum portentis inquinant: qui quemadmodum villici semper allium redolent, ita nisi tertio quoque verbo in barbarismum aut solœcismum incurrant, se suum istud Gothicum decorum seruare non arbitrantur. Genus est notio.) Definitur sic à Cicerone genus, vt notio sit ad plures differentias pertinens. ad plures dico differentias, id est, ad plures eásque differentes inter se species, quas omnes genus ambitu suo continet, & in eas adiectione differentiæ diuiditur. Quo fit, vt hæc sit speciei significatissima definitio, qua in speciẽ sub se comprehensam diuiditur genus. quam Cicero verbis aliis, sed eodem tendentibus explicat, dicens: Forma est notio, cuius differentia ad caput generis & quasi fontem referri potest. Nec immeritò sic definit. nam si formæ differentiam generi coniunxeris, formam habiturus es: necnon genere per differentias diuiso in speciem, descendens formam definis: quæ propterea forma vocatur, quòd rude & informe genus expoliat & adornet: id quod fieri non potest, nisi eius differentia ad genus referatur. relata autem ad genus differentia, nihil aliud quàm forma vel species est. Cicero genus appellat caput & fontem formæ, quia quemadmodum primus parens principium omnium suorum nepotum est, & proinde genus eorum vocatur: ita genus formarum suarum fons est & origo. quare genus ideo dicitur, quòd ab eo formarum omnium quæ sub illo sunt, significationes quodammodo gignantur. Notionem appello.) Notio est cognitio cuiusque formæ insita, & antè percepta, enodationis indigens. Enodationis autem dicitur indigere, quia genus suapte natura confusum est: & cùm per se profertur, dubiũ est de qua specie sit intelligẽdum. vt si animal mihi proferas: ego qui audio, dubius sum an de homine, an contrà de bestia loquaris. sed hæc ambiguitas adimetur,

si ad genus differentiam speciei retuleris, qua manifestum euadat de qua specie intellectum velis. Nam si animali rationale mortale addideris, diluceſcet quod antè ſubobſcurum erat. Itaque quare notio indigeat enodationis, dictum eſt. Aliter tamen explicari poteſt, hoc modo: Notio cõceptúſque mentis gladio ſimilis eſt intra vaginam recondito, qui ſicut nulli rei prodeſt, niſi è vagina fuerit eductus: ita quæ animo concepiſti, nulli nota fient, niſi oratione, quæ mentis eſt interpres, expreſſeris, & ad auditorem pertuleris. exprimes autem oratione, ſi formam rei animo tuo cõprehenſam definieris, & eius proprietates & differentias dederis. quem ſenſum eſſe Ciceronis ex eo colligo, quòd 3. Officiorum de notione quoque loquens, ita ſcribat. At verò ſi quis voluerit animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe docebit eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. deinde paulò pòſt ait: Explica atque excute intelligentiam tuam, vt videas quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere? nihil profectò minus. Eiuſmodi notionem Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. πρόληψις verò quandã anticipationem, vel, ſi mauis, præſumptionem ſignificat. vt cum genus & ſpecies præſumptiones ſint, genus ſanè prius quàm ſpecies, & ſpecies antè quàm ſua indiuidua cognoſcitur. Formæ igitur ſunt.) Maximum eſt in faciendæ diuiſione vitium, ſi quã generis formam prætermittas. Sunt enim certæ & definitæ numero cuiuſque generis ſpecies. quare ſine vllius prætermiſſione genus in eas diuidi debet. Ideo duplici nomine peccat, qui ius in legem, morem, & æquitatem diuidit. Primùm quòd non omnes formas iuris recẽſeat. nam ſenatuſconſulta, placita principum, edicta prætorũ, res iudicatas, & reſponſa ſacerdotum prætermittit. Deinde fallitur, quòd partes iuris formas eſſe putet. nã lex, mos, & æquitas, iuris ſunt partes, non autem formæ: quemadmodũ ſuprà Cicero docuit, cum definitionũ alias per partitionẽ, alias per diuiſionem fieri diceret: & definitionis eius quæ per partitionem fit, exẽplum tradens, has iuris ciuilis partes numerauerit. Sed fortaſſe quiſpiã obiecerit, Totum de ſuis partibus nõ dicitur, vt fundamentum non eſt domus, pes non eſt animal: ius verò ciuile, de lege, more, & æquitate dicitur: quocirca lex, mos, & æquitas, iuris partes non eſſe videntur. Cui ſic ſatisfactum volumus. Quemadmodum pars carnis caro eſt, pars ligni lignum: non tamen pars carnis ea caro eſt cuius eſt pars, neque pars ligni id lignum cuius eſt pars: Ita licet ius ciuile de lege, more, & æquitate dicatur, ſitq; lex ius ciuile, mos ius ciuile, æquitas ius ciuile: non tamen lex, aut mos, aut æquitas id ius ciuile eſt, cuius pars vocatur: id eſt, ius ciuile integrum non eſt, neque tota iuris ciuilis ſubſtantia, vel definitio de lege, more, & æquitate dicitur. Quare neque ius ciuile genus erit, ſed totum: neque lex, mos, æquitas, formæ, ſed partes. Nam generis integra definitio in vnaquaque ſpecie eſt, omniſque ſpecies perfectam generis ſui definitionem ſubit. Quapropter exemplum ſuperius poſitum eſt vitij docendi cauſa, quod in diuiſione cõmittitur, quando vel non omnes ſpecies recenſentur, vel partes pro formis accipiuntur. Formas qui putat idem eſſe quod partes, confundit.) Quãtum inter genus & totum diſcriminis eſt, tantum inter formas & partes intereſt. itaque genus infirmam ſuæ ſpeciei probationem habet: totum fortiſſimam partis habet probationem. Contrà genus ad refellendam ſpeciem plurimum valet, totum ad partis refutationem parum valet: ita ſpecies ad genus probãdum firma eſt, ad totum probandũ pars non eſt firma. Species è contrario genus non refellit, pars totum refellit. Denique forma nomen generis habet, pars totius non ſortitur nomen. Et ſimilitudine quadam perturbatus.) Quia ſicut totum partes ſuas continet, ita genus ſuas comprehendit formas. ideo plerique nomen generis & totius, item partis & formæ confundunt. Non ſatis acutè quæ ſunt ſecernenda diſtinguit.) Pars & forma ſic diſtingui debent, vt genus & ſpecies diſtinguuntur. Omnis enim forma pars eſt: at non omnis pars forma. Quòd autem forma ſit pars, ipſemet Cicero lib. 1. de Oratore luculentiſimè teſtatur: quo loco genus & ſpeciem definit. inquit enim illic, Genus notionem eſſe, quæ ſui ſimiles communione quadam, ſpecie verò differentes, duas aut plures partes complectitur. Partes pro formis haud dubiè poſuit, qui paulò pòſt ſubiecit: Species eſt pars generis. vnde liquet quod diximus, omnem formam partem eſſe, ſed non cõtrà. poteſt enim pars eſſe quæ forma non eſt, vt caput, manus, vel pes, animalis pars eſt: nemo tamen animalis formam eſſe dixerit. Duplex igitur partis eſt ratio. vna generis, altera totius eſt: illa ſpecies, hæc membrum appellatur. Sæpe etiam definiunt & oratores & poëtæ &c.) Quid Cicero? paulò antè dixeras alia eſſe genera definitionum, ſed ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinere. inter ea genera definitionem illam, quæ per metaphoram fit, mihi comprehendiſſe videris, quippe cuius antè non meminiſſes, cum ge-

nera definitionum feciſti. Quare ergo definitionis præcepta iam tranſgreſſus, metaphoricæ definitionis meminiſti? quæ (quemadmodum vis) ad huius libri inſtitutum non pertinet. At reſpondebis, ad dialecticum non pertinere, neque profeßionis eſſe dialecticæ, tranſlationibus vti: ad oratores tantum & poëtas pertinere, qui ſæpenumero cum quadam ſuauitate per tranſlationes verbi, ex ſimilitudine definiunt: vt ſi quis adoleſcentiam florem ætatis appellet, metaphoricè definit. nam florem ab arboribus ad hominis transfert ætatem, quemadmodum & Virgilius in Bucolicis verbum Florere cepit, cum ait:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Item is qui ſenectutẽ occaſum vitæ dicit, metaphorica definitione vtitur, occaſum à ſole in quo proprium eſt, ad ſenectutem in qua propriũ non eſt, transferens. Transfertur autem nomen aut verbum (vt Quintilianus ait) ex eo loco in quo proprium eſt, in eum in quo aut proprium deeſt, aut trãſlatum proprio melius eſt. idque vel neceßitatis, aut ſignificationis, vel ornatus gratia facimus. Neceßitatis, vt cùm gemmare vites, ſitire ſegetes dicimus. iis enim rebus ſignificãdis propria verba deſunt. quare tranſlatis vti cogimur. Significationis, vt ſi quem incenſum ira, inflammatum cupiditate, & lapſum errore dicas. nam hæc ſunt ſignificãtiora, quàm ſi iratum, vel cupidum, vel falſum voces. nihil enim horum ſuis verbis quàm illis accerſitis magis ſignificans eſt. Ornatus denique gratia, vt ſunt hæ, lumen rationis, generis claritas, concionum procellæ, eloquentiæ flumina, fons vel ſeges gloriæ. Sæpe etiam definiunt & oratores, &c.) Metaphora ſimilitudini vicina eſt. Proinde Rodolphus Agricola iubet ea omnia intueri dicẽtem, quæ de re qui ſimilitudinem quærit, per trãſlationem efferuntur. Dabit nanque ſimilitudine nobis ſine cunctatione id, in quo tranſlata illa propria ſunt vel natiua: vt quia metaphoric Ss amantẽ ardere dicimus, ab ea re in qua Ardere verbũ propriũ eſt, ſimilitudinẽ ducemus: ſi amorẽ laudare velimus, à pprio. i. ab igne, in quo eſt verus ardor: vt quemadmodum rebus ignis immiſtus, calorem ipſis vitæq; præbet vigorem: ſic amor nobis induſtriam ſtrenuéque agendi ſtimulos ſubiicit. Quid inter metaphoram & ſimilitudinem conueniat, oſtendimus: quid modò interſit, breuiter doceamus. Inquit itaque Quintilianus libro octauo: In totum metaphora breuior eſt quàm ſimilitudo, eóque diſtat, quòd illa comparatur rei quam volumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur. Cõparatio eſt, cum dico feciſſe quid hominem, vt leonem. Tranſlatio eſt, cum dico de homine, leo eſt. Cum quadam ſuauitate.) Metaphora, teſte Quintiliano, cum ita eſt ab ipſa nobis conceſſa natura, vt indocti quoque ac non ſentientes ea frequenter vtantur, tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. neque enim vulgaris eſſe, nec humilis, nec inſuauis, rectè modò aſcita ſit, poteſt. copiam quoque ſermonis auget permutando, aut mutuando quæ non habet: quódq; difficillimum eſt, præſtat, ne vlli rei deeſſe nomẽ videatur. Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meꝰ &c.) Littus eſt, authore Celſo iuriſconſ. de Verborum & rerum ſignificationibus, quouſque maximus fluctus hybernus à mari peruenit: idque Marcum Tullium aiunt cum arbiter eſſet, primùm conſtituiſſe. Littus autem & ripa ſic diſtant, ſecundum Grammaticos, quòd littus ſit maris, ripa fluuij. Quæ omnia publica eſſe vultis.) Littus, ſecundum Modeſtinum, eatenus publicum eſt, quatenus maximè fluctus exæſtuat & effluit. Tranſlatione enim vtens, &c.) Dixi paulò antè, metaphoras ad definitiones dialecticas non pertinere: nunc quare non pertineant, dicendum eſt. Cõuenit autem inter omnes, definitionem dialecticam verbis propriis debere confici. at nullum verbum propriũ tranſlatum eſt. verbum enim proprium, ſuam & natiuam cuiuſque rei appellationem cum Quintiliano voco. Quod autem tranſlatum eſt, id à ſua & propria ſignificatione, ad alienam & non propriã cũ virtute mutatum eſt. Inſuper, vt author eſt Ariſtoteles capite ſecundo ſexti Topicorum, Omne obſcurum eſt, quod ſecundum metaphoram dicitur. Contingit etiam metaphoricè loquẽtem, tanquam non propriè dicentem calumniari: vt ſi quis definiat ſcientiam, opinionem indeciduam: vel ſi quis terram, nutricem definiendo vocet. nam indeciduum à foliis lauri vel buxi traducitur, quæ decidua non ſunt: ſic nutrix à matre, quæ vbera liberis admouet, transfertur. Si ergo metaphora, teſte Ariſtotele, obſcuram orationem reddit, & oporteat definitionem eſſe perſpicuam, propriiſque verbis & vſitatis fieri, non erit dialectico per metaphoram definiendum: permittetur tamen oratoribus & poëtis, qui non tam curioſè, ſolicitè, ſcrupuloſè, vel anxiè verum inquirunt, quàm dialectici, ſed ſuam orationem ad voluptatem aurium & delectationem componunt, & accommodant. Sed illud addam, Ciceronem non de dialecticis, ſed de iuriſconſultis intellexiſſe, cum dixit:

Translatione vtens discedebat à verbis propriis rerum, & suis: videlicet Aquilius, quem oportebat esse obseruantissimum proprietatis, vtpote qui iurisconsultus esset. nam iurisconsulti propriè loqui debent, vt ait Quintilianus libro duodecimo, vbi dicit quæstionem iuris, verborum proprietate contineri. idem Gellius duodecimo sentit, de Labeone Antistio loquens. idem & Cicero alibi, qui proprietatem iurisconsultorum propriam esse affirmat.

LATOMVS. Partitionũ autem & diuisionum genus quale esset, ostendimus: sed quid inter se differant, planius dicendum est.) Ostendit quid partitio & diuisio inter se differant, quoniã ad definiendum eas adhibuit, eodémque adiungit generis & formarum explicationem. Quas Græci ἰδέας vocãt.) ἰδέα dicta est ἀπὸ τοῦ εἰδεῖν, quod est cognoscere, vt cùm formã rei mente concipimus, & quasi faciem eius intuemur. Hanc Latini verbum è verbo speciem appellant, à Specio inusitato verbo, cuius composita duntaxat sunt in vsu, vt aspicio, inspicio, conspicio. Sed inutiliter.) id est, incommodè & insuauiter, nempe præter consuetudinem: cùm verbum nouum esset temporibus Ciceronis, & casus eius in flectendo insolentiores. Ad plures differentias.) quas complectitur genus, & quibus formæ in diuidendo discernuntur. est enim differentia, vt definit Rodolphus, propria & essentialis rei nota, qua secundum idipsum quòd talis est, à cæteris distinguitur rebus. Quod Græci tum πρόληψιν tum ἔννοιαν dicunt.) Horum vim exprimit, cùm subdit: Ea est insita & antè præcepta cognitio. Insitam dicit, quoniam notiones quæ sunt vniuersalium rerum propriæ, quodam modo inhærent, & innatæ sunt mentibus nostris, in quibus existunt, & gignuntur per se, sine sensuum adminiculo, quibus etiam natura sunt priores: vnde & προλήψεις dicuntur, id est, anticipatæ rerum intelligentiæ, quæ priores sunt sensibus, & mentibus nostris æquales. Singularium autem rerum notitia, posterior est natura, & primùm sensu conficitur: deinde informata ab illo, tum denique ad animum transfertur. Sed harum rerum exactior disputatio ad primam philosophian pertinet: iactatáq; est inter Platonem & Aristotelem, magna circa ἰδέας dissensione. Enodationis indigens.) id est, explicationis, quod fit definitione. Hac enim inuoluta quodammodo in sese & complicata notio euoluitur, vt cerni possit, dum res quid sit explicatur. Vt siquis ius in legem.) Ius hoc loco dicit, non ius ciuile, sed vniuersum, quod in subiectas formas diuiditur. Ius enim ciuile, ius Romanum intelligitur, certum videlicet ac definitum, quod in partes quasi in mẽbra diducitur. Ius igitur per se dictũ, genus est, ius ciuile species, ius ciuile Romanũ individuum, quod non nisi vt totum in partes secatur, quemadmodum suprà in leges, senatusconsulta, edicta magistratuum, & cæteras partes diuisum est. Formas qui putat idem esse quod partes.) Hoc differũt formæ à partibus, quòd in formis singulis genus ineſt: totum autem in partibus non nisi vniuersis. Itaque genus prædicatur de singulis formis, totum de partibus singulis prædicari nõ potest: quæ est vera partiũ & formarũ differentia, quam significat quidem Cicero, sed non exprimit. Sæpe etiam definiunt oratores & poëtæ.) Hoc est tertium genus definiendi, quo quid sit totum, per translationem verbi ex similitudine ostenditur. Itaque cum in verbo sit positum, non ex re, sed ex nota conficitur: fítque vt primum genus definiendi sit ex propria notione totius: secundum ex partibus eius, tertium ex nota, in quæ tria vis eius suprà distributa fuit. Non fit tamen vt idem sit notatio quod finitio, cùm finitio quid sit res, notatio vim notæ explicet. Nos autem dicimus, sicut ex proprietate & partibus, ita ex nota definitionem confici, cum ex translatione verbi & similitudine quid sit res, indicatur. Ac suis.) Id est, iurisperitorum propriis, qui rectis ac simplicibus verbis vtuntur, sicut & cæteri qui artes tradunt, & in docendi ratione versantur.

HEGENDORPHINVS. Genus est notio.) Hoc est, notio est intellectus quidam, & mentis simplex conceptio, quæ ad res plures refertur, à se inuicem differentes: vt intellectus animalis ad plures differentias refertur, rationale, irrationale, mortale immortale, reptile, volatile, natatile. Porrò quæ sub iis differentiis recondita sunt, genera existunt. Et quasi fontẽ.) Fons & principium formæ est genus: proinde necesse est, vt notio & intellectus formæ ad fontem & originem suam refluat. Intellectus enim hominis ad animal refertur. ἔννοιαν.) Diuus Augustinus lib. 7. & 12. de Ciuitate Dei, notiones interpretatur esse cõmunes intelligentias, de quibus Cicero in primo de Legibus: Quæq; in animis imprimuntur inchoatæ intelligentiæ. πρόληψιν.) Id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari potest. Ita Cicero lib. 1. de Natura deorum. Porrò finitio προλήψεως siue ἐννοίας, inde ortæ

est, quòd Plato ἰδέας, Aristoteles τὰ εἴδη vocat, formas quasdam, non vt Sophistæ somniarunt, res extra intellectum positas, sed cogitationes quæ informãt simulachra in animo, ad quæ tãdem simulachra foris fiunt: vt architectus domum ædificaturus, in animo domus imaginem impressam circunfert, ad quam inter ædificandum ne latum quidem, quod aiunt, digitum discedit. Sic pictor aliquis, mulieris imaginem coloribus expressurus, in animo habet speciem mulieris eximiæ, ad quam in pingendo se refert. *Enodationis indigens.*) Similium intelligentia est notio. Cæterùm in rebus similibus necessaria est differentiarum discretio, proinde notio quadam enodatione & diuisione indiget. Sic communis intellectus animalis non satis est. Nam mox animus ad aliquod animal, vel hominem vel equum inquirendum traducitur. *Aquilius.*) Qui primus formulas de dolo malo protulit, authore Cicerone in lib. 3. de Natura deorum, & lib. 3. Officiorum. *De littoribus ageretur.*) §. Littorum. Institut. de Rerum diuisione. Littorum quoque vsus publicus & iuris gentium est, sicut & ipsius maris. *Quid esset littus.*) l. Littus, ff. de Verborum & rerum significatione: Littus est, quousque maximus fluctus hybernus à mari peruenit. *Adolescentiam florem.*) Sic Ouidius lib. 5. Metamor. pueritiam, ver: adolescentiam, ætatem: iuuentam, autumnum: senium, hyemem esse finit.

COVEANVS. Græci ἰδέας vocant.) Plato princeps Ideas induxit, eásque, vti scribit M. Tullius, mirabiliter est amplexatus. Ideas autem vocabat, quædam veluti simulachra, exemplaria, typos, imagines rerum cæterarum: quas intuens Deus Opt. Max. ad earum similitudines manum veluti in fingendis rebus dirigeret, nihílque nisi perfectum faceret. Dictæ itaque videntur ἰδέαι à verbo εἶδεν, quod est εἰσορᾶν & intueri: quoniam eas Deus faciens quid, semper intuetur. Quæ eadẽ ratione species à Latinis sunt appellatæ, à verbo specire, quod videre est: vímque Græcæ dictionis melius species, quàm forma exprimit: quanquam M. Tullius eodem nomine idem significari putet, malítque formam quàm speciem dicere, propter duritiem quorundã casuum: teretes enim & molles eius aures, specierum & speciebus audire non possunt, formarum & formis non respuunt.

Genus est notio.) Natura in animis omnium hominum, rerum vniuersarum confusas quasdam & inchoatas intelligentias instituit, omnis doctrinæ (quemadmodum scribit in Legibus Tullius) quædam veluti semina. Nemo enim homo est, cuius in mente non insit iusti & iniusti, equi & iniqui, mali & boni confirmatio quædam atque notio anticipata, hoc est, insita à natura, ideóque πρόληψις à Stoicis appellata. Rerum autem singularum & indiuiduarum, nullæ in animis nostris insunt antè perceptæ intelligentiæ. Sensus enim cognitio ante sensum non est, neque prius cognoui Socratem, quàm viderim: hominem prius cognoui, quàm aut viderim, aut quid esset planè intellexerim. verè tum demum quid esset intellexi, vbi definitio notionem hominis in animo meo inchoatam à natura, neque satis explicatam, enodauit. Porrò autem vniuersa res nulla dici potest, quæ sub se plura non contineat: in quæ si vna valeat definitio, vt valet in omnes homines, tum ea notio species siue forma dicitur. Sin ad ea explicanda variis opus sit definitionibus, vt ad explicanda ea omnia quæ sub animali continentur, tum genus ea notio appellatur: quæ quidem quòd fons quidã sit suarum formarum, γένος à Græcis nominatur. sic enim illi ortus nostri principium dicunt: quemadmodum in Institutione scribitur à Porphyrio. Atque hoc nimirum est, quod dicitur à Tullio, genus esse notionem, quæ ad varias pertineat differentias. complectitur enim varias formas, quæ necesse est varias habeant differentias: cùm è genere & differentia consistant: nullaque alia re quàm differentia seperentur. Forma autem notionem esse dicit, quæ vna contenta sit differentia: eámque ipsam differentiam à genere, suo videlicet fonte ac parente, accipiat. Formis enim, vt scribit Porphyrius, genera dant differentias: quas non reipsa, sed vi tantũ habent. Animal enim quanquam rationis particeps non est, nisi tamen esse posśit, nunquam profectò rationis particeps homo sit.

Cum quadã suauitate.) Cicero in Oratore ad Brutũ, Nam & singulorum verborum & collocatorum lumina attigimus: quibus sic abundabit, vt verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut graue exeat: ex omníque genere frequentissimæ trãslationes erunt, quòd eæ propter similitudinẽ transferũt animos, & referunt, ac mouẽt huc & illuc: qui motus cognitionis celeriter agitatus, per se ipse delectat. *Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meus.*) Hic est C. Aquilius Gallus, auditor Q. Mutij Pon. Max. à quo maximè Seruius Sulpitius in iure est institutus, quemadmodum scribit Pomponius in l. 2. de Origine iuris. Collega autem fuit Ciceronis in Prætura: exercuítque quæstionem de ambitu, cum M. Tullius de Pecuniis repetundis quæreret. sic enimi n oratione pro

Cluentio, quam Prætor habuit, scriptum est, Quid est Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi iudices tali dignitate præditi coerceantur? Quid ergo est? hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Pletorij & C. Flaminij inter sicarios? quid C. Orciuij peculatus? quid meæ de pecuniis repetundis? quid C. Aquilij, apud quē nunc de ambitu causa dicitur? quid reliquæ quæstiones? Circunspicite omnes Reipublicæ partes: omnia legum imperio & præscripto fieri videbitis. Hunc Aquilium scribit M. Tullius ad Atticum in iudiciis regnasse: à quo prolatum est iudicium illud de Dolo malo, euerriculum malitiarum omnium, quemadmodum scribit Tullius lib. 3. de Natura deorum. Inducta item formula instituens posthumos nepotes, & stipulatio, quæ Aquiliana dicitur. Is igitur quærentibus iis ad quos ea res pertinebat, quid esset littus, ita definiebat per translationem, Qua fluctus eluderet: neque enim fluctus proprium est eludere. Verbo magis proprio definire ita potuisset, Littus est quousque fluctus à mari peruenit. Celsus lib. 25. Digestorum sic scribit, Littus est quousque maximus fluctus à mari peruenit: idque M. Tullium aiunt, cùm arbiter esset, primum constituisse. Maximus autem fluctus hybernus intelligendus est. Duo supersunt notanda: alterū, quænam fuerit consultatio, in qua littus definiri oportuerit: alterū illud est, quemadmodum M. Tullius scribat Iureconsultos littora publica esse velle. Consultatio huiusmodi fuisse videtur. Posuerat Titius casam in agro Sempronij, existimans in littore se ponere: eam cum suam esse diceret Sempronius, & in suo solo ædificata esset, defenderet Titius in littore se posuisse. Quæsitum igitur est ab Aquilio, littus quid esset. Porrò autem littora Iureconsulti interdum publica, quoniam eorum vsus publicus sit, sed iure gentium, appellant. Caius lib. 2. Institutionum. Hæ autem res, quæ humani iuris sunt, aut publicæ sunt, aut priuatæ. Littora autem cùm res priuatæ non sunt, superest vt publica sint. Iabolenus item lib. 2. ex Cassio, Littus, inquit, publicum est eatenus, quatenus maximè fluctus exæstuat & effluit. Martianus tamen lib. 3. Institutionum communia vocat. Quædam, inquit, naturali iure communia sunt omnium, quædam vniuersitatis, quædam nullius, pleraque singulorum, quæ ex variis causis cuique acquiruntur. Et quidem naturali iure omnium cōmunia sunt illa, aër, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris. Itaque Imperator lib. 2. Instit. sic scribit. Et quidem naturali iure communia sunt omnium hæc: aër, aqua profluens, & mare: & per hoc littora maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: dum tamen à villis, & monumentis, & ædificiis abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut est mare. Flumina autem omnia, & portus, publica sunt: ideóque ius piscandi omnibus commune est in portu fluminibúsque. Est autem littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. Riparum quoque vsus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naues ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in eis reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen nauigare: sed proprietas earum illorum est, quorum prædiis hærent: quæ de causa arbores quoque in eisdem natæ, eorundem sunt. Littorum quoque vsus publicus est, & iuris gentium, sicut & ipsius maris: & ob id liberum cuique est, casam ibi ponere, in quam se recipiat: sicut retia siccare, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius & mare, & quæ subiacet mari terra vel arena. Quibus ex verbis Imperatoris illud colligi potest, littora cōmunia esse, ripas autem & flumina publica: illa enim nullius in bonis sunt. Riparum, & insularū quæ in fluminibus existunt, proprietas eorum est, quorū proxima sunt prædia. In ripa igitur, nolente eo, cuius prædiū ripæ adiacet, casam ponere nō potes: quòd si posueris, soli domino posueris. In mari autē piscantibus liberum est casam in littore ponere, in quam se recipiant, in tantum (quemadmodum scribit Martianus lib. 3. Instit.) vt & soli domini constituantur, qui ibi ædificant: sed quādiu ædificium manet: alioqui ædificio dilapso quasi iure postliminij reuertitur locus in pristinam casam: & si alius in eodem loco ædificauerit, eius fiet.

COMMENTARIVS. Partitionum.) Necesse est teneamus partitionis & diuisionis differentiam, si definiendi vsum scire velimus, & rationem argumentandi. Quanquam autem Cicero videtur confundere duos locos, partitionem & diuisionem, tamen hoc ita accipiendum est, vt etiam partitio valeat & diuisio in enumeratione, & alia argumentatione, quàm per definitionem. In partitione.) Adiiciuntur à dialecticis duæ diuisiones, altera vocis in suas significationes, quæ quidem impropriè diuisio appellatur, cum fiat duntaxat vocabuli communione: Altera subiecti in accidentia, sed ea nullo modo essentialis est: ac de essentialibus Cicero loquitur, & alioqui referri posset ad adiuncta. Membra.) Membra & partes discrepant à speciebus: quòd species

posteriores sunt genere, membra toto priora: Species nomen generis habent, partes non habent nomen totius, nisi forte sint similares. quanquam non parem complectuntur quantitatem, in qua spectatur totum. In diuisione.) Dialectici malunt diuisionem fieri in differentias, vt ostendatur essentialis qualitas: sed siue per adiectionem differentiarum siue per solas species fiat diuisio, vtrobique formas intelligere debemus, quas constituunt differentiæ. ἰδέας.) Est vsus dictione Platonica, vel vt Academicus, vel quod sciret inter Aristotelem & Platonem esse potius discrepãtiam verborum quàm rerum. Aristoteles appellat εἶδος. Nolim enim.) Notat Priscianus genitiuos & datiuos plurales quintæ declinationis non esse in vsu, præterquam in paucis nominibus. Hoc tamen tempore specierum & speciebus dicere possumus, cùm vsus hoc mollierit. Genus est notio.) Quod Cicero tribuit notioni, dialectici hoc tribuunt voci: sed hic nulla est discrepantia, cùm præsertim vox sit index notionum. Videtur etiam alludere ad opinionem Platonicam. nam Plato genera & species separabat ab indiuiduis, eáq; ponebat in ideis & notionibus. Aristoteles putat ea esse in indiuiduorum conuenientia essentiali, quam animus intelligit. Cuius differentia.) In definitione relationem seruauit, quæ est inter genus & formam. Ac certè tum propriè dicitur species, cum respectum habet ad suum genus. Nam cùm respicit indiuidua, videtur quadantenus (vt inquit Agricola) subire generis rationem. Addidit autem differentiam, propterea quòd ea differẽtia quæ genus diuidit, speciem constituit. Itaque per eam ad genus refertur species. Ad caput generis.) Budæus in Commẽtariis linguæ Græcæ metaphorã esse putat à derivationibus & aquæductu, in quibus caput appellatur ipsa origo. sic Vlpianus in titulo De aqua quotidiana & æstiua. ἔννοιαν.) Vertit Cicero notionem, intelligentiam, informationem, & paulò antè conformationem. Πρόληψιν.) Cicero libro primo de natura Deorum vertit anticipationem, quam interpretatur anteceptam animo rei cuiusque informationem, sine qua nihil intelligi possit. Augustinus vertit præscriptionem. Ea est insita.) Notionem definiit Platonicè. nam Plato in Menone & Phædone existimat communes notitias & intelligentias nobis esse natura insitas. eademque est Stoicorum sententia. Aristoteles verò putat notiones intellectus colligi à sensibus, atque ita natura negat insitas. Sed tamen verior esse videtur Platonis opinio, quámque sequitur Cicero. Cuiusque formæ.) Idea, secundum Platonem, est in deo: notio, in intellectu hominis: forma, in ipsis rebus. Hæc tamen omnia ideas appellat Plato. Vt si quis.) Videtur potius esse partitio quàm diuisio: nam hæ partes conficiunt corpus iuris, atq; in tumultuaria confectione libelli exempla videtur confudisse, vt fortè accipienda sit vniuersa iuris natura. Hæc autem est diuisio iuris ciuilis: vt ex iurisconsultis liquet. legem appellamus hoc loco quodcunque scriptum iuris. Morem, quodcunque non scriptum, consuetudine tamen receptum. æquitatem, iuris scripti interpretationem, quam ἐπιείκειαν vocant. Formas.) Hoc dixit propter Romanos, qui communi nomine partes tum species ipsas tum partes appellabant. Ipse quoque, vt res facilius intelligatur, speciem appellat nonnunquam partem, in libro de Orat. ad Q. Fratrem. Sæpe etiam.) Hoc genus definitionis addit ex superabundanti, neque ad inueniendũ pertinens, quod potius est petitum ab ornamento definitionis quàm diuersitate. Est autem potissimum oratorum & poëtarum, qui solent orationem ornare & illustrare. Eam certè damnat Aristoteles libro sexto Topicorum. Valet autem ad designationem, laudationem, & vituperationem.

Aquilius.) Hunc Aquilium quoque familiarem suum appellat libro tertio Officiorum, & collegam suum. Nam (vt aiunt) præturam gessit cum Cicerone. Iurisconsultus fuisse videtur, vt appareat ex hoc exemplo: primúsque formulam tulit de dolo malo. Littoribus.) Iustinianus libro secundo de rerum diuisione, ait communia iure naturali aërem, aquam profluentem, mare, ac per hæc littora maris. Qua fluctus eluderet.) Metaphora est ducta ab illa agitatione quæ fit in lusu: cui similis est illa fluctuatio quæ fit in littoribus. Apud Fabium porrò quinto extremo libro legitur allueret, ac fortè melius.

Partitione autem sic vtendum est, nullam vt partem relinquas: vt si partiri velis tutelas, inscienter facias, si vllam prætermittas. At si stipulationum, aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum in re infinita prætermittere aliquid. Quod

Partitione quomodo vtendum.

idem in diuisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quæ cuique generi subiiciantur: partium distributio sæpe est infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus, quæstionis genere proposito, quot eius formæ sint, subiungitur absolutè: at cùm de ornamentis verborum sententiarúmque præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non fit idem. Res enim est infinitior, vt ex hoc quoque intelligatur, quod velimus inter partitionem & diuisionem interesse. Quanquam enim vocabula propè idem valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt.

ANITII MANLII SEuerini Boëtij in Topica M.T.C. commentariorum Liber quartus.

EXplicare non possum mi Patrici, quantas sæpe in difficillimi operis cursu vires afferat amicitiæ contemplatio: cum & iis studiosius componamus, quos reposito penitus amore diligimus, & placere cupientibus multa sese rerum copia submisteret. Huc accedit, quòd vt quæq; in mentem venerint, inuidicata, atque etiam incastigata promuntur. quandoquidem apud chari pectoris secretum nihil est periculi proferre quod sentias. Est igitur mihi, cum tuam beneuolëtiam specto, pronum omne, atque vt ita dicam, voluptarium, quod in tuæ præscriptum iucunditatis impenditur. ~~Sed cum memet ipse perpendo, vereor ne imperato muneri parem esse non possim, & desicentis culpa in adhortantis cedat iniuriam.~~ Quo fit, vt tibi etiam atque etiam prouidendum sit, ne tuis ipse moribus emendatus, ~~nostri alicuius erroris faremam feras. Nostri oblatrantis morsus inuidiæ: nostri quàm facillimè in difficillimis causis liuor iudicium ferat.~~ Quæso igitur ~~extremam nostro operi manum~~, communis negotij studiosus imponas, abundantia reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas. sis postremo nostri laboris, tuæq; adhortationis assertor: cum præsertim securũ me peractũ reddat officiũ: quo te amici pudor dignius possit cõuenire. si displicet. Sed hæc aliàs: nunc operis suscepti tramitem persequamur. Quoniam locorum in ipsis de quibus quæritur terminis, inhærentium, alij sunt à toto, alij à partibus, alij à nota, alij ex affectis: de eo quidem loco, qui à toto est, & in definitione est cõstitutus, sufficiëter disseruit superiore tractatu. Nunc de partium enumeratione dicere instituit, rectam ordinis viam scilicet insistens, vt non solum exemplo qualis esset partium enumeratio perdoceret, verùm ratione quoque ostenderet quomodo partium enumeratione in argumentationibus esset vtendum. Partitione autem.) Sensus huiusmodi est: Rerum quæ partibus coniunguntur, aliæ quidem paucas, sed facile intelligibiles, comprehensibilesque partes habent: aliæ verò plures intellectuque difficiles. In his igitur partibus quæ sunt paucæ, ac facilè sub intelligentiam cadunt, vel maximum vitium est. si partiendo aliquid relinquatur. In his verò, quarum, vt ipse ait, infinitior numerus est, & cõfusior perspectio, minus vitiosum est siqua diuidentem pars in enumeratione prætereat. Fit autẽ hoc non solum per eas res, quæ aliquibus partibus constant, verumetiam sæpe per partes ipsas quas in distributione partimur. vt si hominis corpus velimus intellectu ac ratione per propria membra disiungere, faciemus ita, caput, humeros, manus, thoracem, ventrem, suras, atque pedes. Et quoniam maiores partes sumpsimus ad diuidendum, idcirco nihil prætermissum esse videtur. at si minutissimas particulas persequamur: tunc oculi

quoque, & labia, & nares, atque aures, earúmque partes persequendæ sunt. idque in toto corpore faciendum: eóque modo difficilior erit partitio, cum sit partium numerus infinitior. Sæpe etiam, vt dictum est, res ipsæ his partibus iunctæ sunt, quarũ nõ sit facilis inspectio. vt si quis stipulationum & iudiciorum formulas partiatur: vel etiam si figuras loquendi, quæ schemata Græci vocãt, diuidi necesse sit. Hic igitur si quid prætermissum sit, non erit vitium partientis: quia partium natura multiplex sæpius ostendit errorem. At si quis genus diuidat, pernicioſum est aliquam præterire formam: quoniam formarum finita quantitas est. Nam quia semper in cõtrarium diuiduntur: aut duæ sunt semper species generis, aut tres: & tunc tres, cùm ea tertia, quæ sumitur, ex contrariorum permistione perficitur. vt si colorem diuidamus, dicẽdum est ita, Coloris aliud est album, aliud nigrum, aliud medium. Id mediũ, ex albi coloris ac nigri commistione coniunctũ est: quamuis in quamlibet aliam coloris speciem transferatur, seu purpurei, seu rubri, seu viridis. Itaque si tale est quod diuidis, taléſque sunt partes quas ad diuisionem sumis, quas nõ difficulter intelligẽtia comprehẽdat: vitium erit, si quid omiseris. velut si tutelas partiaris. Tutela quippe quatuor ferè modis est. aut enim consanguinitatis gradu, aut patronatus iure defertur, aut testamẽto patris tutor eligitur, aut vrbani Prætoris iurisdictione formatur. & sunt forsitan plures, sed nunc istæ sufficiunt. Hic igitur & paucæ partes & facile comprehensibiles. At si stipulationum formulas & iudiciorum comprehendere velis: quoniam multæ in his partes sunt: non erit vitioſum, si quid omiseris. improprium verò est exẽplum partiũ, quod de tutelis est dictum. magis enim vt genus in formas, q̃ vt totum in partes, tutela diuisa est. Nam siue per cõsanguinitatem sit tutor, siue patronatus iure, siue cæteris modis: integrum tutelæ ius habet. quod in singulis partibus non solet euenire, vt totius integrũ capiant nomẽ. Sed vt cõueniens videatur exemplum, requirendæ sunt tales tutelarũ partes, quæ iunctæ tutelas efficere possint, nõ quæ singulæ tutelæ nomine designentur. quod nescio an quisquam iurisperitiæ professorum, tales tutelæ partes ediderit. Merobaudes verò rhetor ita intelligendum probabat: vt id quod ait, Partitione sic vtẽdum est, nullã vt partem prætermittas, de diuisione dixerit, id est de vna parte propositæ partitionis. Nã & diuisio, & per mẽbra distributio, partitio nuncupatur. in diuisione enim vitioſum est aliquid prætermittere, in partitione membrorũ minime. Ita exẽplum de tutelis ei partitioni dedit, quæ est diuisionis. At si diuisionẽ facias, id est formarũ à genere partitionẽ, summum est vitium aliquid prætermittere. quoniam cum sit finitus formarum numerus, si quid omissum sit, inscitia præteritur. vt si oratorias quæstiones in formas diuidere velimus, dicemus omnem rhetoricam quæstionem aut de facto esse, aut de qualitate facti, aut de nomine. At si locutionum figuras, sententiarúmq; distribuã: non erit, vt dictum est, vitium, transire aliquid. quandoquidem sententiarum inter se atque locutionum figuræ & multiplices, & varia ratione diuersæ sint. Hic quoque figurarum partes non ita videntur accipi posse, quemadmodum totius, sed vt generis species. vnaquæque enim figurarum, quæ infinitæ sunt, velut figuræ generalis species est: quod possumus intelligere ex his libris rhetorum, vbi de elocutione tractatur. nullæ nanque sunt figurarum partes, quæ figuras iungant ita, vt singulæ figuræ nomen vniuersalis figuræ nõ possint admittere. Sed obiici nobis potest, Et quomodo infinitæ sunt figuræ, si species sunt? Sed respondebo leuiter, Elocutione mutata, figuram quoque mutari: atque idcirco in potestate esse dicentis, figuras facere, quas is qui tractat, difficile, antequam fiant, possit agnoscere: hæ verò non substãtialibus differentiis constituuntur, sed potius accidentibus explicãtur. vnde fit vt tũc communis nominis in significationes partitio fieri videatur, cùm figura diuiditur, potius, quàm generis in species. Omnia verò significata cuiusque nominis diuisione includere difficile est: quia noua plerunque finguntur: sed ne id quidem rerum ratio permittit. Nam vnaquæq; figura generalis figuræ nomine & definitione comprehenditur. quocunque enim modo figura definitur, eadem erit definitio etiam vniuscuiusque figuræ. Quæ res, vnamquanque figuram, vniuersalis figuræ speciem esse declarat. vniuoca enim sunt species & genus. Sed est illud verius, partitionem figurarũ ad elocutionem ipsam Tullium retulisse: cuius pars quædam est figura, non species. variis enim multiplicibúsque figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis enim elocutionem partiri velit in figuras, non genus in species, sed totum secabit in partes. Quæ cum ita sint, ex hoc quoque apparet quid interſit inter diuisionem partitionémque: cum partitio interdum talis sit, vt si quid in ea prætermissum sit, nihil afferat vitij. Diuisio verò formarum talis est, vt in ea non queat aliquid sine culpa præteriri. Quo factum est, vt quia res differebant, diuersa etiam vocabula rebus inter se distantibus inderentur.

VISORIVS. Partitione autem sic vtendum est.) Expositò definitionis loco, qui primus est, ad partium enumerationem, qui secũdus est locus, pergamus. Inquit itaque Cicero, aliquãdo vitiosum esse, in partitione nonnullas partes omittere, aliquando nõ esse vitiosum. Vitiosum est, si certæ & definitæ numero sint. Nam si non sint multæ, tum omnes sunt enumerandæ: vt si tutelas partiaris, omnes tutelæ partes tibi recensendæ sunt. sunt enim duæ tantum tutelæ partes, vna testamentaria, altera legitima. Testamentaria est, quando pater liberis suis tutorem testamento constituit: quòd si pater intestatus, quantum ad tutelam pertinet, decesserit, lege duodecim tabularum tutor instituitur, & tum legitima est tutela. At si formulas stipulationum distribuas, non vitiosum fuerit partem aliquam prætermittere, quia tam multæ sunt, vt numerari non possint. Est autem stipulatio, verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum factumq; se id quod interrogatus est, respõdet. Stipulari enim nihil aliud est, quàm interrogare aliquem, si velit dare: si hic respondeat se daturum, est stipulatio. Quòd autem iudiciorũ formulas infinitas esse Cicero dicat, sibi ipsi pugnare videtur: quippe qui multis in locis duas tantum iudicij partes esse dicat, priuatum, & publicũ. Sed nunc Ciceronem de indiuiduis & singularibus iudiciis, quæ infinita sunt, intellexisse credo. In diuisione autem vitiosum semper est, speciem aliquam præterire, quia definitæ species & certo numero comprehensæ formæ cuiusque generis sunt. Ita quotiescunque diuidis, insciente facis, si quam formam diuisi generis omittas: vt si quæstionem oratoriam diuidendam sumpseris, quot eius formæ sint, absolutè subiungere debes. Sunt autem tres solum, An sit, Quid sit, Quale sit: vt, An Roscius parricidiũ cõmiserit, Quid sit tumultus, An Milo Clodium iure occiderit. prima cõiectura, secunda definitione, tertia iuris & iniuriæ distinctione explicatur. At cum de ornamentis verborum sententiarumq; præcipitur, quæ vocãtur χήματα.)* Σχῆμα Græcè, Latinè figura dicitur. *Est autem figura (teste Fabio) conformatio quædam orationis, remota à communi & primùm sese offerente ratione. Cuius duæ sunt species, vna τῆς διανοίας, & altera τῆς λέξεως, id est sententiarum & verborum.* διανοίας, *vt est hæc* ἀποσοφὴ *apud Ciceronem pro Ligario: Quid tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?* λέξεως, *vt est epanodos prima oratione Inuectiua in Catilinam: Nihilne te nocturnum præsidium palatij? nihil urbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil consensus bonorum omnium? nihil hic munitissimus habendi senatus locus? horũ nihil ora vultúsque mouerunt? Res enim est infinitior.)* Quid Cicero? súntne infinitæ figurarum partes? Sanè Quintilianus ait non esse plurimas, nec tam multas, quàm sint à quibusdam constitutæ. quare ne infinitæ quidem erunt. sed, vt ostendimus, omnes sub duobus certis generibus continentur, id est, sub sententiarum & verborum figuris: quæ cum tantum duæ sint, nec profectò figurarum partes, sed potius species, quia figura de illis dicitur, duplici nomine prima fronte falli videris: primũ, quòd infinitas esse figuras dixeris: deinde quòd partes appelles, quæ reuera species sunt. Sed dices forsan, te nõ de figurarũ partibus vel formis loqui, sed de partibus elocutionis, quæ sunt infinitæ. cuius sanè elocutionis figura pars est, non species. Quòd autem infinitæ sunt partes elocutionis, Quintilianus apertè docet, qui sic inquit: Quicquid loquimur, si cum veterum sermone comparetur, figura est. nam in eo qui dicit est situm, tot figurarum formulas facere, quot velit: totque modis orationem variare, quot sunt genera rerum. Vt ex hoc quoque intelligatur, quod velimus inter partitionem & diuisionem interesse. Præter discrimen quod Cicero superius inter partitionem & diuisionem fecit, hoc quoque differentiæ rursus addit, quòd in partitione non semper vitiosum sit partem aliquam omittere, si partes infinitæ sint. at in diuisione semper vitiosum est, formam vllam silentio præterire, quia certæ cuiusque generis sunt species.

LATOMVS. Partitione autem &c.) Persequitur institutũ ordinem: nam quod paulo antè de partitione ac diuisione locutus est, id ad definiendi rationem retulit. hic quomodo hæc per se tractanda sint, ostendit. Post definitionem enim totius sequitur partium eius enumeratio, deinde notatio, quemadmodum suprà propositum fuit. Vt si partiri velis tutelas.) Hoc exemplum vnà cum sequenti fictum est. Itaque inquit, si partiri velis, significans neminem ita partiri, cùm id fieri non possit: quia genus est tutela, quod in formas diuiditur, nec partitionis est capax. Sic stipulationum & iudiciorum formulæ, non partes & quasi membra sunt, sed formæ, quæ notionibus earum rerum subiiciuntur. Verùm his vsus est Cicero, cùm alia ex iure non occurrerent, quibus id quod propositum erat demonstrare posset. Neque enim temerè inuenias vllam rem in doctrina iuris positam, quæ partitionis sit capax, siue in certas & definitas partes, siue in plures partiri velis,

præter ipsum ius ciuile, cuius partitionis exemplo suprà vsus est. Plurimæ autem & in omni parte iuris se offerunt, quas diuidi necesse sit, cùm non de singulis rebus, sed de vniuersis ius constitutum sit: quarum notiones, cùm ad plures differentias pertineant, genera sunt, & in subiectas formas diuiduntur. Itaque ex his exempla mutuatus est Cicero, cùm vera non suppeterent: nec dubitauit ficta pro veris ponere, cùm inter partitionem & diuisionem, quod ad hunc locum pertinet, aptissima similitudo sit. Tutela in testamentariam, legitimam, & datiuam diuiditur, quæ sunt notionis eius formæ: & explicantur 1. Instit. de Tutelis. At si stipulationum, aut iudiciorum.) Stipulatio est conceptio verborum, qua per interrogationem & responsionem obligatio contrahitur: vt, promittis? promitto: fideiubes? fideiubeo. de qua est 3. Instit. de Verborum obligationibus. Iudiciorum formulæ non sunt amplius in vsu, sed quondam concipiebantur à Prætore, cùm iudicia darentur litigatoribus. Cõcipiebantur autem variè pro causarum diuersitate, nec licebat à præscripto earum recedere. Exemplum earum est, & quidem vetustissimum, apud Liuium 1. ab Vrbe condita, in causa Horatij, qui sororem interfecerat, in quem Tullus rex iudicium dedit, his verbis, Duumuiri Horatio perduellionẽ iudicent: si prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbori suspendito, verberato intra pomœrium, vel extra pomœrium. Refertur etiam formula iudicij Miloniani ab Asconio lege Pompeij constituta de testibus audiendis, & quot horis actor, quot reus vti deberet: & vt eodẽ die reus iudicaretur: quod in cæteris causis omnibus à Prætore decerni solebat. Itaque secunda actione in Verrem Cicero agit de constituendo iudicio, multáque fit mentio in sequentibus actionibus de iudiciis, quæ Verres iniquè & contra ius in Siculos, & ciues Romanos dederat. sed postea, vt dixi, exoleuit hæc iurisdictio, hodieque decretis principũ, & iurisperitorum authoritate hoc ius perpetuum in omnes causas constitutum est. Itaque in oratoriis artibus.) Et hic ponit duo exempla, quorum alterum proprium est huius loci, de diuidendi ratione: alterum improprium: quoniam non ad partitionem, sed ad diuisionem pertinet. Schemata enim non partes sunt (nisi in certo corpore orationis quasi membra accipiantur) sed formæ & conformationes quædam dicendi, quæ subiectæ certo generi, in quamuis orationem cadere possunt. Vtitur igitur Cicero diuisionis exemplo loco partitionis, sicut in superioribus cum aliud non occurreret: eo quòd hæc similia sint inter se, cum sicut in partitione partes sæpe infinitiores sunt, ita in diuisione. Sed fortasse partitionem vocat, non solùm cùm in partes, quasi in membra fit discretio, sed etiam cùm plures formæ enumerantur, in quod exempla etiam superiora congruere videntur: diuisionem autem, cùm in certas & definitas formas fit distributio. Sed id fieri non posse vel illud arguit, quòd neque satis exactè formas distingueret à partibus, si ita statueret: nec diuisionem re magis quàm formarũ numero à partitione separaret. Cæterùm quæstio infinitam & infinitam diuiditur. Græci ὑπόθεσιν & θέσιν vocant: & porrò vtraque in coniecturam, finitionem, & qualitatem: vt, An sit, Quid sit, Quale sit. Schemata partim verborum sunt, partim sententiarum, & vtriusque generis multæ species, quæ enumerantur in libris de Oratore, & in Oratore ad Brutum: explicantur autẽ ab authore ad Herennium, & à Quintiliano lib. 8. & 9. Est autem schema, figura orationis, & tanquam gestus eius, cum in aliam & aliam formam in agendo mutatur oratio: vt cùm interrogamus, dubitamus, confitemur, illudimus, obiurgamus. Quod dicit, genere quæstionis proposito formas eius absolutè subiungi, significat perfectè, & sine vllius prætermissione: quod in partitione semper fieri negat.

HECENDORPHINVS. Partiri velis tutelas.) Est tutela legitima, de qua §. 1. Instit. de Legitima agnatorum tutela. Est testamentaria, de qua in §. Promissum est. Instit. de Tutelis. Est tutela fiduciaria, de qua Instit. eodẽ titulo. At si stipulatio.) Stipulatio est verborum conceptio, quibus qui interrogatur, daturum facturúmque se id quod interrogatus est, respondet. l. 5. §. Stipulatio. ff. de Verborum obligationibus, & in Instit. eodem titulo. Porro partes stipulationum sunt, stipulationes iudiciales, prætoriæ, conuentionales, communes tam prætoriæ quàm iudiciales. §. 1. Instit. de Diuisione stipulationum, & l. Stipulationum. ff. de Verborum oblig.

Iudiciorum formulas.) Tot enim sunt formulæ iudiciorum, quot res quæ in iudicium veniunt: & olim certæ quædam actionum iudicialium formulæ tradebantur, ex quarum præscripto in iudiciis experiundum erat, adeò vt qui extra causam petiisset, lege Tabularum 12. à causa caderet, vt est videre in l. 2. §. Deinde. ff. de Origine iuris. & indicat Cic. in oratione pro Cecinna. Huiusmodi tamen verborũ aucupia per Constantinũ sublata sunt. l. 1. Cod. de Formulis & impetrationibus.

Itaque in oratoriis.) *Nam omnis oratoria quæstio, aut est de facto, vt an Oreſtes matrem occiderit: aut de facti qualitate, vt, an Milo Clodium iure occiderit: aut de nomine facti, vt an quis ſacrilegium, an furtum commiſerit. Vide Ciceronem in Partitionibus.*

GOVEANVS. Vt ſi partiri tutelas velis.) *Diuidere hoc quidem eſt, non partiri: tutela enim genus eſt, eiúſque formæ duæ, teſtamentaria, & legitima: illa teſtamento datur, hæc lege 12. Tab. ad agnatos defertur, ſiquando tutores teſtamento dati non ſint. ad cuius ſimilitudinem introductæ poſtea ſunt parentum & patronorum legitimæ tutelæ, ex prudentum interpretatione. Diuidimus item, non partimur, cum ſtipulationum, aut iudiciorum, hoc eſt, actionum genera perſequimur. Stipulatio enim, quæ aliud nihil eſt, quàm verborum obligatio contracta ex interrogatione & reſponſione, cùm quid nobis dari fieríve ſtipulamur: ſtipulatio inquam, genus quoddam eſt, cuius quatuor ſpecies ſunt, iudicialis, prætoria, conuentionalis, communis, tam prætoria ſcilicet, quàm iudicialis. Iudiciales ſunt duntaxat quæ à vero iudicis officio proficiſcũtur: veluti de dolo cautio, vel de perſequendo ſeruo qui in fuga eſt, reſtituendóve precio. Prætoriæ ſunt, quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur: veluti damni infecti, vel legatorum. Prætorias autem ſtipulationes ſic exaudiri oportet, vt in iis contineantur etiam ædilitiæ: nam & hæ à iuriſdictione Prætoris veniunt. Conuentionales ſunt, quæ ex conuentione vtriuſque partis concipiuntur: hoc eſt, neque iuſſu iudicis, neque iuſſu Prætoris, ſed ex conuentione contrahentium. Communes ſunt, veluti rem ſaluam fore pupillo (nam & Prætor iubet ſaluam rem fore pupillo caueri, & interdum iudex, ſi aliter hæc res expediri non poteſt) vel de rato ſtipulatio. Cùm ergo quatuor ſint ſtipulationum ſpecies, quid eſt quòd M. Tullius rem vocat infinitam, ſi quis ſtipulationum diuiſionem exequi velit? An quoniam conuentionalium ſtipulationum totidem ſunt genera, quot penè dixerim rerum contrahendarum? ſic videtur. Actio item, ſiue iudicium (quæ aliud nihil eſt, quàm ius perſequendi in iudicio id quod tibi debetur) genus quoddam eſt. habet duo ſumma ſub ſe genera: aut enim in rem actio eſt, quæ dicitur vendicatio: aut in perſonam, quæ dicitur condictio. quæ alia rurſum ſub ſe innumerabilia propè genera cõtinent. Actiones Appius Claudius primus compoſuit, & ad formam redegit: quem librum Cn. Flauius eius ſcriba, libertini filius, ſurreptum populo tradidit: appellatúſque eſt liber is, ius ciuile Flauianum. Neque multo poſt Sextus Aelius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellabatur, Ius Aelianum. Diuidimus ergo, non partimur (quoniam inter diuiſionem & partitionem intereſſe aliquid volumus) ſtipulationem in ſuas ſpecies, Actionem ſiue Iudicium in ſuas item ſpecies: Quæſtionem item in Oratoriis præceptis in finitam & infinitam diuidimus: quemadmodum & figuram quæ in ſententia eſt, & eam item quæ in verbo, in ſuas ſpecies tribuimus: quanquam hanc partitionem, illam diuiſionem appellet Orator. quod quæ ratione dicatur, non equidem video. Hoc certè verum eſt quod dicitur ab eo, partitionem rem ferè eſſe infinitiorem quàm diuiſionem: cùm res quas quidem partiri ſecaréque poſſumus, ex partibus conſtent infinitis.*

COMMENTARIVS. Partitione.) *Quanquam quæ antea de partitione & diuiſione dixit, pertinere etiam poſſunt ad ſecundum locum, tamen potiſſimum ad definitionem. Hæc autem præcepta pertinent ad enumerationem partium. Cæterùm cùm eſt partitio, ſi partes definitæ ſunt, nulla prætermitti debet. Vt ſi partiri.*) *Exemplum eſt ex conditione. non enim eſt verum partitionis exemplum, ſed potius diuiſionis. ſi tamen totũ occurrit quod certas habeat partes, vt habet tutela, nihil erit prætermittendum. potuit tamen exemplo vti idoneo: vt ſi partes iuris ciuilis poſuiſſet, quas antea ſpecies vocabat. ita ex tumultuaria libri conſcriptione exempla confudit. Tutelas.*) *In teſtamentariam, legitimam, agnatorum, & patronorum, fiduciariam, & Attilianã, & Titianam. At ſi ſtipulationum.*) *Iuriſconſulti tamen quatuor faciunt ſpecies ſtipulationũ: tandem tamen dicunt tot eſſe modos ſtipulationum, quot ſunt formæ rerum contrahendarum. Iudiciorum formulas vocat actionum formulas, quæ & variæ ſunt & ſolennes, eas tamen ſuſtulit Iuſtinianus in Codice. Poſſumus etiam dicere tot eſſe iudiciorum formas, quot ſunt formæ rerum quæ cadunt in iudicium. Formarum enim.*) *Non minus ſunt aliquando numeroſæ formæ quàm partes, ſed tamen facile rediguntur in certum numerum per differẽtias: vt ſi perſequi velles omnes bruti ſpecies, mira eſſet infinitas. Per differentias tamen poteris complecti omnia quæ bruto ſubiacent: Vt ſi dicas brutorum alia eſſe terreſtria, alia aquatilia, alia aërea. Itaque in oratoriis.*) *Vt Rhetores quæſtionẽ partiuntur in infinitã & finitam, præterea in An ſit, Quid ſit, & Quale ſit, tum*

scilicet omnes species quæ generi sunt subditæ complectuntur. Hæc autem adiecit exempla, vt res facilior esset, quæ difficilior videbatur in exemplis iuris. At cùm de.) Atqui si figuras partiaris, distributio fiet in species, non in partes, itaque diuisio erit. Quocirca Valla putat locum accipiendum de elocutionis continuatione, cuius partes sunt figuræ propè infinitæ. Alij, vt hæc omnia exempla quadrarent, diuisionem à Cicerone significari dixerunt eam, quæ per differentias fieret in species. quæ autem simpliciter per species aut partes fieret, partitionē vocari existimarunt. Res enim est infinitior.) Sensus est, præter differentias superiores, hoc quoque discrimen est inter partitionem & diuisionem: quòd partitio sæpe est infinitior, diuisio finitior. Fabius tamen negat tam numerosas esse figuras, quot sunt modi orationis mutandæ.

Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem cùm ex vi nominis argumentum elicitur, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium. Nos autem nouitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latinè est nota. Sed cùm intelligitur quid significetur, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo: vt cùm quæritur, Postliminium quid sit, non dico quæ sint postliminij, nam id caderet in diuisionem, quæ talis est: Postliminio redeunt hæc, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa quæ fræna recipere solet. Sed cùm ipsius postliminij vis quæritur, & verbum ipsum notatur: in quo Seruius noster (vt opinor) nihil putat esse notandum, nisi post: & liminium illud, productionem esse verbi vult, vt in finitimo, legitimo, æditimo, non plus inesse timum, quàm in meditullio tullium. Scæuola autem P. filius iunctum putat esse verbum, vt sit in eo & post, & limen: vt quæ à nobis alienata sunt, cùm ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limine exierint, dein cùm redierint pòst ad idem limen, postliminio videantur redisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio redisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse.

BOETIVS. Post enumerationem partium, recto ordine de notatione perpendit. Notatio igitur est, quoties ex nota aliqua rei, quæ dubia est, capitur argumentum. Nota verò est, quæ rem quanque designat. Quo fit vt omne nomẽ nota sit, idcirco, quòd notam faciat rem de qua prædicatur. id Aristoteles σύμβολον nominauit. Ex notatione autem sumitur argumentum, quoties aliquid ex nominis interpretatione colligitur. Interpretatio verò nominis, etymologia Græcè, Latinè veriloquium nuncupatur. Ἔτυμον enim Græcè, verum significat: λόγος, orationem. Sed quia id veriloquium, minus in vsu Latini sermonis habebatur: interpretationem nominis, Tullius notationem appellat. Ea est huiusmodi, vt si quæratur, quid est postliminium. In qua quæstione non illud vide-

tur inquiri, quæ res postliminio reuertantur. hoc enim in diuisionem caderet: id est, earum omnium rerum enumerationem, quæ postliminio redeunt, postularet. velut si ita dicamus, Postliminio redeunt, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa quæ frænos recipere solet, id est domita. Nunc enim enumeratæ sunt res, quæ postliminio reuertantur. At cum quod sit ipsum postliminij ius, quæritur, potest ex ipsius nominis interpretatione cognosci. Postliminio enim redit, quisquis captus ab hostibus ad patriam remeauerit. Nãque dum captiuitatem hostium patitur, ius ciuis amittit: omnia verò iura recipit, si postliminio reuertatur. Ergo ex notatione nominis ita ius postliminij clarescere potest. vnde quia POST semper id significat, quod retrò relinquitur, postliminij vocabulo quædã reuersio significatur, vt Seruius probat, qui ex aduerbio post, vim nominis interpretatur, reliquam vocabuli partem protractionem solam esse cõfirmans. nam in eo quod est postliminium, ex eo quod pòst est, dictam interpretationem nominis sumit. liminiũ verò, superuacuo putat esse productum: ad horum nominum formam meditulliũ ponit: prima enim pars, mediũ significat: tullium verò, nihil: & legitimum, & æditimum. In vtrisque enim, lex ibi: ædes ibi, aliquid: timum verò nihil omnino designat. Id verò nomen quod est postliminium, Scæuola P. filius, ex aduerbio post & limine putat esse compositum: nam quia ad idem limen quod pòst reliquit, reuertitur is qui postliminio redit, idcirco ex vtrisque significationibus arbitratur nomen esse coniunctum. Quæcunque enim à nobis abalienata ad hostem perueniunt, cùm à nostro limine exierint: si pòst ad idem limen reuertantur, postliminio redeunt. Quo modo etiam Mancini causa defendi potest: quem cum Populus Romanus ob fœdus malè ictum dedidisset, hostes eum suscipere noluere: qui cũ reuersus esset, postliminio rediisse videbatur, idcirco, quia si eum hostes recepissent deditum à ciuibus, etiam si quo modo ab hostibus effugisset, non videretur postliminio regressus, qui iudicio ciuium omni libertatis iure fuisset exutus. Sed quoniam nec deditio, nec datio, nec donatio, præter acceptionem videtur posse consistere: idcirco qui susceptus non sit, ne deditus quidem intelligi posset. Rectè ergo Mancinus qui non deditus, in hostium, si eo vti vellent, peruenerat potestatem, cum in patriam remeauit, iure postliminio rediisse defensus est.

VISORIVS. Multa enim ex notatione sumuntur.) Notatio postremus est locus, eorum qui ad ipsum totum de quo quæritur, adhibentur: quem Rodolphus à toto separauit, & inter accidentia reposuit, aliam viã sequutus. Nam notatio quatenus rei nomen est, dubium non est quin sit accidens, & non substantia: cum, vt inquit Arist. res eædem sunt apud omnes, nomina verò diuersa. Vt autem notatio pro nominis interpretatione sumitur, substantia est: non dico rei cuius est nota, sed vocabuli cuius est interpretatio. Nemo enim negarit naturam esse & substantiam huius nominis abstemius, vt sit quasi temeto abstinens. Quã Græci ἐτυμολογίαν vocant.) Notatio verbi Græcè etymologia dicitur, quod nomen si velimus ad verbum transferre, veriloquium interpretabimur. nam ἔτυμος Græcè, Latinè verus, & λόγος id est, sermo: vel, si mauis, oratio vel locutio dicitur. Itaque sicut ἐτυμολογία ab his vocibus ἔτυμος & λόγος iunctum nomen est apud Græcos, sic apud nos veriloquium, à vera loquutione coniungitur. Nos autẽ nouitatem verbi, &c.) Aulus Gellius capite septimo libri secundi, de verbis nouis & antiquis ita scribit: Verbis vti aut obsoletis exculcatísque, aut insolentibus, nouitatísque duræ & illepidæ, par esse delictum creditur: sed molestius equidem culpatiúsque esse arbitror, noua, inaudita, & incognita verba dicere, quàm vulgata & sordentia. Hactenus ille. Non satis.) Horatius in Arte nos admonet, ne Græcas dictiones ad verbum semper transferamus, cum dicit:

Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres.

Insuper Gellius cap. 6. lib. vndecimi, dicit pleraque voces Græcas esse, quas ad verbum si velimus traducere, necesse est aut barbarismum cõmittamus, aut in solœcismũ incurramus, aut certè duris, asperis, insolentibus, & inusitatis vocibus vtamur: vt si πολυφιλίαν, πολυσαρκίαν, πολυτροπίαν, πολυπραγμοσύνην transferamus: quarũ primam multorũ amicitiã, circũlocutione vtẽtes inuertimus, secũdã corpulentiã interpretamur, tertiã multiplices varióſq; mores traducimus, vltimã verò curiositatẽ vel negocioſitatem parũ latino sermone eloquimur. Quas interpretationes, vt asperas, aures delicatæ fugiunt. Itaq; necesse est quatuor rebus nitatur sermo, si dignus est vt recipiatur: ratione, vetustate, authoritate, & consuetudine: quemadmodum Quintil. cap. 10. lib. 1. docet: Rationem præstat analogia & nonnunquam etymologia: vetera, maiestas quædam, &, vt sic dixerim, religio commendat. Authoritas ab oratoribus, historicis, & poëtis petenda est. Denique con-

ſuetudo certiſsima dicendi magiſtra eſt. Eſtq; vtendum ſermone, quemadmodũ nummo, cui publica forma ineſt: noua tamen non ſemper fugienda ſunt. nam quæ primò dura ſunt, vſu & ætate mollientur. Ea verò ſunt quàm optima, quæ veterum nouiſsima, vel nouorum vetuſtiſsima ſunt. Genus hoc notionem appellamus.) Verba idcirco rerum notæ & ſigna dicũtur, quòd rem notam faciant, & ſignificent. Itaq; idem Ariſtot. cap. 1. Peri hermenias, vbi de ſignis loquitur, inquit, voces eſſe earum rerum quas animo concepimus notas, necnon literas vocũ indices eſſe. Poſtliminium quid ſit.) Poſtliminium ius eſt amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ. Nam veteres poſtliminium vocarunt, quando aliquid hoſtes interceperant, & illud rediit poſteà ad priſtinos dominos: vt ſi ſeruus captus effugeret, & rediret domum. huius dictionis duplex eſt ἐτυμολογία, vnam Seruius, alteram Scæuola facit. Inquit autem Seruius iuriſconſultus, totam vim à præpoſitione Poſt pendere. nam quia præpoſitio Poſt, retrò ſignificat, ideo eum poſtliminio rediiſſe putabat Seruius, qui eò regreſſus eſt, vnde exierat. Liminium verò in nomine poſtliminium, tantùm productionem nominis eſſe, nihilque ſignificare: vt in meditullio nihil niſi medium ſignificat, tullium verò adiectitium eſt, neq; quicquã deſignat: ſic in finitimo, legitimo, æditimo, voces hæ, fines, lex, ædes ſignificant, timus autẽ nihil ſignificat. & hæc eſt Seruij interpretatio. Scæuola verò ſecus, quippe qui nomen poſtliminium à Limine & præpoſitione Poſt, compoſitũ eſſe dicat, hoc ſenſu, vt cùm res aliqua à nobis alienata eſt, & à ſuo limine exiit, atque ad hoſtem peruenit, cùm eadem res rediit vnde abiit, poſtliminio rediiſſe dicitur, quia pòſt ad idem limen à quo alienata fuerat, reuertitur. Quo in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt.) Caius Mancinus cum Numantinis, aduerſum quos imperator à populo Rom. creatus fuerat, fœdus iniit iniuſſu populi Rom. & ſine authoritate ſenatus. propterea non probatis conditionibus fœderis, quæ inconſulto ſenatu facta fuerant, Numantinis à populo Romano deditus eſt: illi Mancinum non receperunt, non receptus ad ſuos Romam rediit. quæritur, an poſtliminio redierit. Primò deditus non eſt (non enim Numantini eum receperunt) quare ius ciuitatis Romanæ non amiſit: quòd ſi non amiſerit, poſtliminio rediiſſe, cùm ad ſuos redierit, dicitur.

LATOMVS. Multa etiã ex notatione.) Hic tertius locus eſt, per quem ex toto argumentamur: verùm non in re, ſed in verbo poſitus eſt, ex cuius vi argumentũ elicitur. Definitio enim ex ſubſtãtia rei eſt: diuiſio & partitio ex partibus: notatio ex verbo. Ariſtot. σύμβολον appellat.) Primo περὶ ἑρμηνείας, vbi de enunciatione præcipitur. Notatione eliciũtur.) Id eſt, verbi interpretatione, qua vim & originem nominis explicamus. Poſtliminium quid ſit.) Sic definiunt iuriſperiti, Poſtliminium eſſe ius recuperandæ rei ab extraneo: ſed huic addendum videtur, Quod mutatione liminis amiſſum fuit: cùm aliis etiam modis ius noſtrum ab extraneo recuperare poſsimus. Non dico quæ ſint.) Nam hoc eſt quærere de partibus, quæ nã poſtliminio ſubiectæ ſint. Mulus clitellarius eſt, qui fert onera. Clitellæ enim ſunt, quibus onera imponuntur, ſicut in equis ſellæ.

Mancini cauſa.) C. Mancinus quia turpe fœdus fecerat cum Numantinis, deditus fuit illis, ſed non receptus. Itaque poſtquam domum rediit, & à Senatu prohiberetur, per Tribunum poſtliminio egit: videbatúrque in illa cauſa eum poſtliminio habere, quoniam deditus cum eſſet, non eſſet receptus: nimirum ex verbo dedẽdi, cum nõ intelligatur deditio neque donatio ſine acceptione.

HEGENDORPHINVS. Poſtliminium quid ſit.) Poſtliminium, eſt ius amiſſæ rei recuperandæ, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, moribus ac legibus cõſtituetum. l. Poſtliminiũ. ff. de Captiuis & poſtliminio reuerſis: & Inſtit. Quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluatur. §. Si ab hoſtibus captus. Quo genere Mancini cauſa.) De quo Eutropius lib. hiſtoriarum 4. ſic ſcribit: Cn. Hoſtilius Mancinus, conſul iterum, cum Numantinis pacem fecit infamem, quã populus & ſenatus iuſsit infringi, atq; ipſum Mancinum hoſtibus tradi, vt in illo, quaſi authore fœderis, vindicarent: ſed traditus Numantinis, minimè receptus eſt, authore Floro, Epitome 56.

COVEANVS. Multa etiam ex notatione.) Notatio à Græcis ἐτυμολογία dicitur: quæ aliud nihil eſt, quàm vera nominis ratio. rebus enim nomina non temerè, ſed iudicio, & ad naturam rerum ipſarum accommodatè imponuntur. Itaque notatio ſiue ἐτυμολογία definitionis genus quoddam dici poteſt: neque enim poteſt non explicari aliqua ex parte natura rei, cùm nominis vera & germana ratio declaratur. Genus autem hoc notatio nouo nomine à Cicerone dicitur, quoniam Ariſtoteles voces quæ ſigna ſunt rerum, σύμβολα Græcè appellet, hoc eſt Latinè, notas: vt notæ & nominis explicatio non abſurdè videatur poſſe notatio appellari. Locus Ariſtotelis eſt in principio

statim lib. περὶ ἑρμηνείας scriptus his verbis: ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Sūt, inquit, verba nostrarum cogitationū signa & notæ. Mirum porro videri non debet, quòd Tullius verba rerum notas, Aristoteles cogitationū nostrarum dicat: nam si verba cogitationum notæ sunt, cogitationes autem rerum, non malè rerum ipsarum notæ verba dicuntur. Vt cum quæritur postliminium quid sit.) Multa in disputando notatione eliciuntur ex verbo: vt cum quæritur, postliminium quid sit, hoc est, quænam vis & significatio verbi sit, non quæ sint postliminij. hic enim eiusmodi diuisione opus est, Postliminio redeūt hæc, homo, nauis longa aut oneraria propter belli vsum, non piscatoria, aut siqua actuaria voluptatis causa parata est: mulus clitellarius propter eundem belli vsum, itémque equus, & equa quæ fræna recipere solet, eadem de causa: nam sine culpa equitis prorupere se potuerunt. ff. de Captiuis & postliminio reuersis. leg. 2. Quæ diuisio non est generis in species, sed accidentis in subiecta. Cùm igitur quæreretur, postliminiū quid esset, notandum nihil putabat Seruius Sulpitius, nisi illud Post, liminium productionem esse verbi: vt in finitimo, legitimo, æditimo, timū: & in meditullio, tullium. Quid finitimum, legitimum sit, notum omnibus esse arbitror: æditimus qui sit, explicandum arbitror. Aul. Gellius super eo nomine ad hūc modum scribit. A Editimus verbum Latinū est, & vetus, ea forma dictum, qua finitimus & legitimus: sed pro eo nunc à plerisque æduus dicitur, noua & commentitia vsurpatione, quasi à tuendis ædibus appellatus. Satis hoc esse potuit admonendi gratia dixisse: sed addatur id propter agrestes quosdam & indomitos certatores, qui nisi autoritatibus adhibitis, non comprimuntur, Varro in libro secundo ad Marcellum de Latino sermone, æditimū dici oportere censet magis quàm æduum: quòd alterum sit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. Liuius quoq;, vt opinor, in Protesilaodamia claustritimum dixit, qui claustris ianuæ præesset, eadem scilicet figura, qua æditimum dici videbat, qui ædibus sacris præesset. In Verrem M. Tull. in exemplaribus fidelissimis ita inueni scriptum, A Editimi custodesque maturè sentiunt. in libris autem vulgaribus, æditui scriptum est. Pomponij fabula Attellana est, quæ ita inscripta est, A Editimus, in qua hic versus est, Qui postquam tibi appareo atque æditimor in templo tuo. T. autem Lucretius in carmine suo pro æduis, æduentes appellat,

--onerataque passim
Cuncta cadaueribus cælestum templa manebunt,
Hospitibus loca quæ complerant æduentes.

Hæc Gellius. Quin & Varro lib. de Re rust. primo, cap. 1. scribit, verius esse æditimus, quàm æduus. Seruius igitur Sulpitius in Postliminio non magis inesse putabat liminium, quàm in æditimo timum, & in calceamento mentum. Quintus autem Scæuola Pontifex maximus P. filius, de quo M. Tullius ius ciuile didicit, quemadmodum ipse scribit in Bruto, compositum putat esse verbum, ineßeque in eo post, & limen: vt quæ à nobis ad hostem peruenerint, eiúsque iure gētium effecta sint, & ex suo tanquam limine exierint, cùm pòst ad idem limen redierint, postliminio videantur rediisse. Quam sententiam secutus est Imperator Iusti. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. Dictum est, inquit, postliminium à limine & post: vnde eum qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum esse dicimus. Nam limina, sicut in domibus finem quendam faciunt, sic & imperij finem esse limen veteres voluerūt. Hinc & limes dictus est, quasi finis quidā & terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad id limē reuertebatur, quod amiserat. Sed & qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio redisse existimatur. Hæc imperator. Neque tamen quod dicit M. Tullius, quæ ad hostem peruenerunt, si ad suum quasi limen redeant, postliminio redire, intelligendum sic est, vt dicamus postliminij ius in bello tantū competere: nam & in pace postliminium datur, quemadmodum scribit Papinianus in l. Postliminij. ff. de Capt. & Postl. reuersis. Si enim cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitiæ causa factum habemus: ij hostes quidem non sunt. quod autem ex nostro ad eos peruenerit, illorum fit: & liber homo noster ab eis captus, fit seruus eorum: qua in re postliminium quoque datū est. Is verò qui hostibus deditus reuersus, nec à nobis receptus est, an ciuis Romanus sit, inter Brutū & Scæuolam, quemadmodum scribit Modestin. variè tractatum est in causa S.C. Hostilij Mancini, qui cùm Numantinis deditus à senatu esset, ob turpem pacem, quam cum ipsis fecerat, à Numantinis non receptus, Romā rediit. Cui ciuitas nō iure postliminij, sed lege lata est restituta: quemadmodum scribit Pomponius in l. Si quis legatum. ff. de Legationibus, his verbis: Itaque eum

quì legatũ pulsasset, Q. Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, vtilius esse solitus est respõdere: quem hostes si nõ recepissent, quæsitum est, an ciuis Romanus remaneret: quibusdam existimãtibus manere, aliis contrà: quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expulisse videretur, sicut faceret, cùm aqua & igni interdiceret. In qua sententia videtur P. Mutius fuisse. Id autẽ maximè quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditũ non acceperunt: de quo tamẽ lex postea lata est, vt esset ciuis Romanus, & prætura postea gessisse dicitur. Hæc Põponius. Mancinũ tamen Tullius postliminio rediisse defendi posse putat, quoniam nõ sit deditus: deditum non fuisse, quoniam nõ sit receptus. Deditionem nanq;, quoniam donatio quædam sit, sine acceptione intelligi non posse. Quæ opinio idcirco, credo, nõ valet, quoniam cùm quis deditur hostibus, hoc primùm agi intelligitur, vti in ciuitate ne sit: tum verò vti de eo hostiũ potestas summa, arbitriúmq; sit. Quemadmodum scribit Vlpian. in l. Plane. de leg. 1. vbi testatur transferre in nouissimũ legatum voluit, priori nõ deberi: tametsi nouissimus talis sit, in cuius persona legatũ non cõsistat. Hoc enim primum egisse videtur, vt priori adimeret, Cicero tamen in oratione pro Cecinna valere scribit his verbis: Quid? quem Pater patratus dedidit, aut suus pater populúsve vẽdidit, quo iure amittit ciuitatem? vt religione ciuitas soluatur, ciuis Romanus traditur: qui cùm est acceptus, est eorum quibus est deditus: si non accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram causam & ius ciuitatis.

COMMENTARIVS. Cùm ex vi.) Hic sanè proprius est modus. duos addit Agricola: alterum ab homonymia, alterum cùm verbo vtimur metaphorico, deinde à propria eius significatione argumentum ducimus. sed hi modi sophistici, non dialectici. Non est enim passim qualibet vtendum etymologia, sed ea quæ naturam attingit, quales sunt apud Platonem in Cratylo. sunt enim nõnullæ sæpe frigidæ, quales sunt nonnullæ Varronis. Rerum notæ.) Hoc ductum est ab Aristotele, cuius est decretum, verba notas esse conceptuum & rerum. scribit enim ea quæ sunt in voce, notas esse passionum animi. σύμβολον.) In præfatione lib. περὶ ἑρμηνείας. Postliminium.) Postliminium est ius amissæ rei ab extraneo recuperandæ, & in pristinum ius restituendæ, inter nos liberos populos & reges, legibus & moribus constitutum. Nam cùm bello aut circa bellum aliquid amisimus, illud postea idem si recipiamus, iure postliminij recipere dicimur. Homo.) Vt homo liber captus ab hostibus, seruus est: sed si postea effugere possit & reuerti, recipit pristinam libertatẽ iure postliminij. Seruus quoq; captus ab hostibus, iure postliminij seruit eidem domino, si redierit. Mulus clitellarius.) Has addidit particulas, quia in indomitis & feris animalibus non est ius postliminij. simul enim atq; exierunt à nostra potestate, suæ restituũtur naturæ: vt docet Iustinianus in Titulo De rerum diuisione. Nisi post.) Sic igitur Seruius Sulpitius definit postliminium, cùm aliquid amisimus, & pòst illud recipimus. solam enim præpositionem vim putat habere. In meditullio.) Festus tamen Pompeius putat dictum esse quasi meditellium, à medio scilicet telluris. nam antiqui meditullium appellarunt regionem mediterraneam. Scæuola.) Sic contexit definitionem Scæuola, postliminium ius esse rei recuperandæ quam amisimus, cùm postea redierit. Limen autem appellamus finem imperij. vnde milites limitanei, qui stationem habent in limitibus imperij. Cùm ad hostem.) Cui populus Romanus publicè bellũ decreuit, aut qui populo Rom. Si quid enim vel à latronibus vel à prædonibus captum fuerit, in eo nõ valet postliminiũ, vt docent iurisconsulti: quia non est mutatum ius. Tanquam limine.) Id dixit, vt ostenderet metaphoricam esse appellationem. Limẽ enim propriè in ædibus dicitur, deinde in imperio. Dicitur etiam limes in imperio. Etiam Mancini.) Mancinus à Numantinis multis prælijs superatus, pacem cum illis fecit ignominiosam, quam populus Rom. irritam habuit. ac ne teneretur pacis legibus, authorem censuit dedendum: qui tamen non est receptus. Cùm ergo Romam redisset, senatumque ingrederetur, prohibitus est à Rutilio Tribuno plebis, quòd eũ negaret ciuem. Causa igitur pendet à postliminij iure, sed argumentum est ab his quæ cadunt sub eandem rationem. Deditum nõ esse.) Nam hoc ita est in legibus Romanis, vt si quis à patre suo aut à populo Romano venditus fuerit, aut iussu populi à Patre Patrato hostibus deditus, ius postliminij non habeat.

Locorum ex rebus affectis repetitio.

Sequitur is locus qui constat ex iis rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo ambigitur, quem modò dixi in plures partes distributum: cuius primus est locus ex coniuga-

tione, quam Græci συζυγίαν vocant, finitimus notationi, de qua modò dictum est: vt si aquam pluuiam eam modò intelligeremus, quam imbri collectam videremus, veniret Mutius, qui, quia coniugata verba essent pluuia, & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo creuisset.

Ex coniugatione.

BOETIVS. *Eum locum qui ipsis de quibus quæritur, inhæreret, in quatuor differentias suprà distribuit: à toto, ab enumeratione partium, à nota, ab affectis. Sed quoniam diligèter de superioribus tribus paulò antè tractauit: nunc quartum locum, id est affecta persequitur. Et quoniam locus ab affectis in plurimas differentias soluebatur, quarum primæ à cõiugatis proposita est: primùm loquimur de coniugatis, quæ multum à notatione non differunt. Nam quia notatio ex vi nominis trahitur, itémque coniugatio similitudine vocabuli continetur, aliquod inter se veluti cõfinium tenent. Sed hoc interest: quia notatio, expositione nominis: coniugatio, similitudine vocabuli ac deriuatione perficitur. Et quoniam facilis & intellectu & tractatu locus est, tantum ponere sufficit exemplum: quod huiusmodi est, Aqua pluuia est, quæ pluendo colligitur & crescit. Pluendo verò atque pluuia coniugata sunt: in vno enim eodemque vocabulo diuersus nominum terminus differentiam facit. Item, Ius est aquam pluuiam arceri, id est, vt si in alicuius agro pluuia aqua colligatur, & in alterius agrum defluat, eáque vicini frugibus nocitura concrescat, arceat eam suis finibus ille qui id sua putat interesse ne defluat. Si fluuius igitur pluuia creuerit, quæritur an debeat arceri. Respõdetur, inquit Mutius, quoniam aqua pluuia à pluendo dicta sit, fluuium quoque, qui pluendo creuerit, aquam esse pluuiam, atque arceri debere.*

VISORIVS. *Sequitur is locus qui constat ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur.) Quatuor fecimus probationis artificialis species, finitionem, partes, notam, res affectas. De tribus primis abundè dictum est. Reliquum est, vt res affectas tractemus, quas antè siniuimus, hoc modo: quæ proximè totum deductæ sunt & progressæ, quippe quæ fines totius propè contingant. qui locus in tredecim partes est distributus, vt in coniugata, genus, speciem, similitudinem, differentiam, contrarium, adiuncta, antecedentia, consequentia, repugnantia, causas, effecta, comparationem maiorum, minorum, & parium: de quibus omnibus ordine dicetur. Cuius primus est locus.) Si quis rerum affectarum locus ad totius substantiam proximè accedat, ille sanè est quem à coniugatis dicunt. Cum enim coniugata ab eodem orta sint, variè tamen commutentur, id est solo nomine differant: manifestum est, eorum vtrunque in alterius substantia esse. vt sapiens & sapientia coniugata sunt, sapientia in sapientis, & sapiens in sapiẽtiæ finitione ponitur: neutrum enim sine altero esse potest. sapiens enim est, qui sapientiam habet, nec in vllo sapientia, nisi in sapiente reperitur. Bene igitur Cicero cõiugata tractat statim post eos locos qui in substantia sunt. FINITIMVS notationi.) Coniugata non multum à notatione vocabuli differunt. nam vtraque in nomine posita sunt, & à nomine trahuntur: vt timor multus, à nomine tumultus trahitur: & sapiens, à nomine sapientia deriuatur. Inter coniugata tamen & notationem hoc interest, quòd notatio ex vi nominis eliciatur, coniugatio verò non ex virtute nominis trahitur, sed ex similitudine petitur: vt vis huius nominis auarus, nónne est auidus æris? vel potius qui auet, id est cupit? At sapiens cum sapientia nominis similitudinem habet. quippe quæ verba sint eiusdem generis, id est eiusdem originis & principij, quia ab eodem fonte deriuantur. Vel aliter, quod tamen perinde est, differunt coniugatum & notatio, quia notatio fit nominis interpretatione: vt seuerus dictus est qui verum sequitur, securus qui sine cura, secors qui sine corde, segnis qui sine nisu, vel seorsum ab igni (nam ignis viuacissimus est) item mens quia emimet in capite, capillus quasi capitis pilus, & sexcenta alia, quæ à Varrone petere potes, in quibus ipse & lusit, & lusus est. Coniugatio autem deriuatione vocum constat: vt pauper paupertas, miser miseria, dolor dolere. A coniugatis hæc argumenta sunt, ex secundo libro de Finibus bonorum & malorum apud Ciceronem: Si paupertas malum est, mendicus non malus esse non potest. Si dolere malum, in cruce qui angitur beatus esse nequit, quia malus est.*

Vt si aquam pluuiam &c.) *Aqua pluuia dicitur, quæ pluendo colligitur: vel (vt paulò pòst*

Cicero definiet) quæ de cælo veniens crescit imbri. pluuia autem & pluendo coniugata sunt. Ergo si quis quærat, an fluuius qui pluendo creuerit, possit arceri, id est prohiberi, ne in vicini agrum defluat eius frugibus nociturus, fas esse arceri à cõiugatis probabitur, hoc modo: Licet aquam pluuiã, id est, quæ pluendo creuit, arcere: ergo licet fluuiũ arcere qui pluendo creuit. fluuius enim qui pluendo creuit, aqua pluuia est: igitur arcere licet.

LATOMVS. Finitimus notationi.) Quia vtrunque in voce cõsistit, sed alterum vim habet ex re, alterum ex nomine. Vt si aquam pluuiam eam modò intelligeremus.) Exemplum fictum est. Non enim hoc modo aqua pluuia accipitur in iure, sed pro ea duntaxat quæ nocens est, quæ sola arceri iubetur. Sed si fingas omnem aquam pluuiam arcendam esse sine distinctione, hoc certè proposito, ex coniugatis sequetur, & fluuium arcendum esse, qui pluendo creuerit.

HECENDORPHINVS. Finitimus notationi.) Discrepat coniugatio à notatione, quia notatio fit nominis interpretatione: vt possessio dicta est quasi pedum positio. l. 1. ff. de Acquirenda possessione: coniugatio vero deriuatione vocum constat, vt aqua pluuia à pluere.

Si aquam pluuiam.) Aqua pluuia est, quæ pluendo colligitur, l. 1. ff. de Aqua pluuia arcenda. Iam est quæstio, Si fluuius pluuia creuerit, an debeat arceri? Respondet hic Mutius, cùm aqua pluuia à pluendo dicta sit, etiamsi fluuius aqua pluuia creuerit, aquæ pluuiæ nomen sortiri: & proinde arceri debere.

COVEANVS. Cuius primus est locus ex coniugatione.) Eorum locorum qui affecti quodammodo sunt ad id de quo quæritur, primus est ex coniugatione, quam Græci συζυγίαν vocãt. est autem finitimus notationi: vterq; enim ex ipso nomine sumitur. Formula huiusmodi est, Aqua omnis quæ pluendo crescit, arcenda est, quoniam aqua pluuia arcenda est. verba enim coniugata sunt pluuia & pluendo: quod argumentum tum valeret, si cùm aquam pluuiam arceri arbiter iubet, omnem eam aquam intelligeret quæ imbri colligitur, etsi nocens non est. De aqua pluuia arcenda iam antea scripsimus.

COMMENTARIVS. Finitimus notationi.) Nam vterque locus positus est in voce, sed coniugatio est in inflexione & deriuatione: notatio verò in eorum explicatione quæ nomine ipso continentur. Vt si aquam.) Hæc definitio est ex hypothesi. est enim vitiosa, cùm sit angustior quàm deceat. Itaque refellitur à Mutio argumento à coniugatis. Sic autem aqua pluuia definitur à iurisconsultis, quæ de cælo cecidit, atque imbre excreuit, siue ea sola est aqua cælestis, siue cum alia mixta. Omnem aquam.) Atque ita nomine pluuiæ aquæ complexus est etiam fluuium, qui pluuia excreuisset. Ideo eius aqua auerti debebit, ne damnum inferat vicino.

Cùm autem à genere ducetur argumentum, non erit necesse id vsque à capite arcessere: sæpe etiam citrà licet, dummodo suprà sit quod sumitur, quàm id ad quod sumitur: vt aqua pluuia vltimo genere ea est, quæ de cælo veniens crescit imbri: sed propiore loco in quo quasi ius arcendi continetur, genus est aqua pluuia nocens: eius generis formæ, loci vitio, & manu nocens: quarum altera iubetur ab arbitro coërceri, altera non iubetur. Commodè etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere sumitur, cùm ex toto persequare partes, hoc modo: Si dolus malus est cùm aliud agitur, aliud simulatur: enumerare licet quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem, id quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

BOETIVS. Talis generum specierúmque intelligitur esse natura, vt cum colliguntur,

vel etiam diuiduntur, ab indiuiduis per ſpecies & genera, vſque ad maxima genera poſſit aſcendi: itémque à maximis generibus per infrà poſita genera, vſque ad indiuidua valeat eſſe deſcenſus. Id verò vno clarum fiet exemplo. Cicero quippe, indiuiduum eſt: huius ſpecies, homo: huius genus, animal: huius ſuperius genus, eſt corpus animatum: & ſi longius aſcendas, corpus, alterius genus inuenies: ſi prolixius egrediare, ſubſtantia vltimi loco generis occurrit. Cum igitur multa ſint genera: ſi cuiuſlibet ſpeciei genus aſſignandum ſit, non neceſſe erit, inquit, maxima & principalia genera ſemper exquirere: verùm eorum quoque aliquid quæ in medio locata ſunt, oportebit adhibere: illa tamen ratione ſeruata, vt ſemper genus ſuperius ſit eo ad quod prædicatur vt genus. Extrema quippe inſcitia eſt, ſi dũ genus ſemper natura ſpeciebus propriis ſuperponatur, loco generis, id quod eſt inferius, collocetur. Quocirca vitioſum eſt, ſiquis corporis genus dicat eſſe corpus animatum. Quo fit, vt ſi ad ſpeciem aptandum eſt genus, eorũ quæ ſuperiora ſint aliquid aptemus: & non erit neceſſe vltimum ſemper genus adhibere. vt ſi homini genus proprium præponere velimus: non neceſſe eſt vt ſubſtantiam præponamus, ſed vel corpus, vel corpus animatum, vel quod maxime fieri oportet, animal. Illa enim ſemper genera ſumenda ſunt, quæcunque proxima formis adhærent, eaq; in definitione maxime requiruntur. ſed in argumẽtationibus nihil differt vtrum proximum eligas, an ſuperius genus. Nam quoniam ex continenti fit argumentatio, plus continet id quod eſt ſuperius genus. Quocirca ſi de homine aliquid ambigitur, & à genere argumentandi ſumitur locus: quicquid de animali dicetur, id etiã de homine prædicabitur. Quo fit, vt ſi quid etiam de animato corpore prædicetur, idem de homine dici poſſit. Vt igitur argumentationes ex proximis generibus fiunt: ita etiam ex vlterius conſtitutis. Sed in his omnibus illud eſt, quod maxime conſiderandum videtur, ne id quod eſt inferius, ſuperiori præponatur vt genus. Et ſentẽtia quidem talis eſt. Quod verò ad exemplũ attinet, declarabitur hoc modo, Sit aqua pluuia, ea quæ deiecto de cælo imbri colligitur: huius ſpecies duplex eſt, alia enim aqua pluuia nocens eſt, alia non nocẽs. Nocentis quoq; duplex ſpecies eſt, alia manu, alia vitio. Sed aqua pluuia manu nocẽs eſt, quæ ita loco aliquo excipitur, vt inde profluẽs vicino noceat, ſi locus is nõ ſit naturaliter talis, ſed manu hominis excipiendæ aquæ fuerit apparatus. vitio verò, quoties naturaliter ita ſe locꝰ habet, vt excipere aquã poſſit & nocere vicino. Si eius igitur aquæ, quã quis arceri velit, ne ſibi noceat, à vicino, genus velit exquirere, non neceſſe eſt ab vltimo vſq; deducere, vt dicat aquæ eius quã quis velit arceri, genus eſſe aquam pluuiã: ſed poteſt id quod inquirit genus paulò inferius inuenire: vt huius aquæ quã arceri deſiderat, id genus eſſe dicat, quod eſt, aqua pluuia nocens. Quòd ſi genus proximum quærat, illud poterit adhibere, quod eſt, aqua pluuia manu nocẽs. hoc enim arcere quis cogitur, quod manu fit noxium. Quod verò loci forma vel vitio, incommoditatis aliquid apportat: arcere non cogitur. Quòd autem diximus, eius aquæ, quam arceri oporteat, genus eſſe aquam pluuiam manu nocentem: ita intelligendum eſt, ſi aqua, quæ arceri debet, plurima ſub ſe habeat indiuidua, & ſimilia: tũc demum enim eius aquæ quæ arceri debet, aqua pluuia manu nocens genus eſſe poterit. quòd ſi aqua quæ arceri debet, in nulla indiuidua diducatur, ipſa eſt indiuidua: nec eius genus eſt aqua pluuia nocẽs manu, ſed ſpecies. Quòd ſi cui paululum videtur obſcurius: hic ſi eos commentarios, quos de genere, ſpecie, differentia, proprio atq; accidenti compoſuimus libris quinq; digeſtos inſpexerit, nihil horum poterit incurrere, quo caliget. Commodè etiam.) Dictum eſt quemadmodum genus ad ſpeciem debeat aptari: atq; in eo præſcriptum eſt, vt niſi id quod eſt ſuperius, adhiberi non debeat. Nunc illud adiungitur, quemadmodum eius loci qui à genere ducitur, in argumentationibus commodior vſus eſſe poſſit. quotieſcunq; enim de re aliqua dubitatur: ſi facta generis alicuius diuiſione, ſub aliqua eius generis parte id de quo ambigitur, potuerimus includere: tunc à genere tractum eſſe argumẽtum videtur, hoc modo, Sit dolus malus, quando aliud agitur, aliud ſimulatur. Huius ergo ſi ſpecies diuidãtur, & id quod factum arguimus, alicui earum ſpecierum quæ à dolo malo deductæ ſunt, potuerimus adiungere: quicquid de dolo malo exiſtimabitur, idem etiam de ea re, quã arguimus, neceſſe eſt iudicari: & factum eſt argumentũ à genere. Nam de quo quæritur, ſpecies eſt: & id à quo ſumitur argumentum, genus eſt, ſcilicet ſi ita contingit dolus malus: locus verò hic ab eo qui eſt à partium enumeratione, diuerſus eſt. Nec ſi enumeramus partes, id eſt formas aut ſpecies, idcirco non à genere, ſed ab enumeratione partium ducitur argumentum. Quoties enim ipſa partium enumeratione vtimur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum eſſe dicimus, vt hoc modo, Si fundamenta & parietes & tectum habet, & habitationi eſt deſtinatus locus: do-

mus est. ipsa igitur partitione vtentes, domum esse probauimus. Quoties verò sub genere aliquid collocãdum est, diuisisque partibus alicui eorũ quæ à genere deducuntur, id de quo quæritur aggregamus, vt hoc modo: Si Ciceronem animal esse monstremus, dicemus ita, Omne animal aut rationale est, aut irrationale. sed Cicero rationalis est: animal igitur est. non partitione vtimur principaliter ad argumentum constituendum, sed idcirco genus diuisimus, vt in vnamquamlibet diuisionem, id quod nitebamur ostendere, posset includi, id est, vt id de quo dubitatur, in assumpti cõtinentiam generis redigeretur, atque de eo per generis naturam fides fieret. Sic ergo à genere facta argumentatio iure dicetur. Amplius ita partium enumeratio totius efficere substantiam solet, siue illud vniuersale sit, vt genus: siue partium coniunctione copuletur, vt totum. at verò hæc diuisio generis in cuius parte quælibet illa res de qua contenditur, includenda est, non id efficit vt totius substantia constituatur, sed vt illud quod approbare quærimus, intra genus locetur. Quem argumentationis modum in primis M. Tullius validum esse cõfirmat. Illa enim regula satis vera est, atque necessaria, Quæ de genere prædicantur, eadem de specie modis omnibus prædicari. Illud verò quæri perutile est, Cum aliquid de particularibus rebus probatur ex superposita proxima specie, vt si Socratem rationalem esse probamus, quoniam sit homo, quum homo sit rationalis: vtrum ex genere, an ex forma argumentum ductum esse arbitremur. Nam si dicamus ex genere, vltima species genus non est: si ex specie, superpositum genus semper species probare desyderat. Socrates verò cui fidem præstat homo, quoniam rationalis est, genus hominis non est, sed dicendum est, quoniam veluti à genere tractum videbitur argumentum. Nam ex genere, quasi ex cõtinenti atque ampliore, & de substantia prædicato fides ducitur: quam sortem ad sua indiuidua speciem nemo dubitat obtinere. Nam & continet ea, & de eorum substantia prædicatur.

VISORIVS. Cum autem à genere ducetur argumentum.) Quid sit genus, sæpius diximus, nempe quod multas habet species. Si quid autem à genere probare velis, non erit necesse id vsque à capite arcessere, id est primariũ genus semper inquirere. Nã modò sit supra id de quo quæritur, eoq; generalius sit, satis est. fas est enim aliquando citra caput esse, id est, infra genus extremũ, tamen supra rem de qua est quæstio semper esse necesse est: vt si probare velis hominẽ esse mortalem, non est necesse vt dicas, Omnis substantia præter deum & diuinam mortalis est: ergo mortalis est homo. sed est satis, si dicas: Omne animal mortale est (nam Platonicorum somnia religio Christiana non admittit) igitur omnis homo mortalis est. Substantia caput est, animal est citra caput, & supra id de quo quæritur, id est, animal est infra substantiam, quod summum est genus: & est supra hominem, quæ species est. Ex Ciceronis verbis liquet, duplex esse genus, id quod & dialectici volunt: vnum supremum, quod semper genus est, nunquam species: cum nullum maius eo sit, nullique subiiciatur, sed omnia illi in suo ordine supposita sint, vt est substantia. alterum intermedium, quod citra summum est, id est, infra postremum genus: sed supra speciem infimam reponitur, idque genus est & species: genus quidem, si conferatur iis supra quæ situm est: species verò, si ad id referatur infra quod est, & citra quod iacet, vt animal. speciem verò infimam voco, quæ semper species est, genus nequaquam. Vt aqua pluuia.) Aqua pluuia genus est summum, si Ciceroni credimus: cuius duæ sunt species intermediæ, aqua pluuia nocens, & aqua pluuia non nocens. Aquæ pluuiæ nocentis duæ sunt formæ infimæ, quarum altera vitio loci, altera verò manu nocens dicitur. Ea nocens est vitio loci, quæ ita loco aliquo excipitur, vt inde suapte natura profluẽs vicino noceat. Manu verò nocet, si locus natura sua talis non est, vt ab eo in alterius agrũ frugibus eius nocitura defluat, sed manu hominis & opera sic disponatur ager, vt aqua inde profluens vicino noceat. Si manu hominis noceat, ius est arcere: si noceat loci vitio, ius non est. Vltimo genere.) Mirum videri potest, quare Cicero aquam pluuiam vltimum genus vocet, cum decem sint vltima genera, substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, vbi, quãdo, situs, & habitus: quorum aqua pluuia nullum est. sed soluitur. Vltimum genus remotũ vocat, aut quod proximum non est, aut quod nullum sit vltra aquam pluuiam genus, quod aquæ pluuiæ nomen retineat. Imbri.) Aristoteles in libello de Mundo sic inquit: Imber fit expressione nubis magnopere addensatæ, tot habens differentias, quotuplex est nobis compressio: quippe quæ remissa si fuerit, molles stirias disperget: sin vehementior, plentiores. hocq; pluuiam appellamus, imbris contorta stillicidia, cum maiuscula ipsa, tum verò iugi tenore casitantia. Cõmodè etiam tractatur.) Si dubium sit, an ea de re de qua quæritur, genus aliquod affirmetur, genus ipsum in suas formas diducendum est. deinde videndum an in ali-

quam formarum res ea de qua quæstio est includatur: quòd si includitur, necesse est vt de ea genus affirmetur. qui locus est apud Aristotelem quarto Topicorum. Nam, vt illic Aristoteles ait, Cui cunque speciei aliqua generis conuenit, eidem necessariò genus cõueniet: vt si homo species animalis, Socrati conueniat, & de eo affirmetur, oportet vt animal genus de Socrate proferatur. Cum ex toto persequare partes.) Vides quemadmodum Cicero genus totum vocat, formas verò partes. id quod tamen antè reprehendit, cũ diceret: Formas qui putat idem esse quod partes, cõfundit artem. Sed hoc iam dilutum est, quia partes sunt duplices: generis inquam, & totius. Generis partes sunt, formæ: partes, totius membra sunt. Si dolus malus.) Dolum malum Seruius ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi, cum aliud agitur, aliud simulatur. Hæc autem doli mali definitio Aquiliana est, vt Cicero tertio Officiorum docet, vbi ait: Nondum Aquilius collega & familiaris meus pertulerat de dolo malo formulas, in quibus ipsis cum ex eo quærebatur quid esset dolus malus, respondebat, cum aliud esset simulatũ, aliud actum. item paulò post: Dolus autem malus simulatione & dissimulatione, vt ait Aquilius, continetur. Simulamus ea quæ non sunt, esse. dissimulamus ea quæ sint non esse. Dolus à verbo Græco δολόω, id est fallo: à quo verbo dolo dolonis deductum est. Est autem dolo flagellum, intra cuius virgam pugio latet: quod cum speciem ligni præ se ferat, ferro tamen decipit. Enumerare licet.) Si, cum à genere ducitur argumentum, generis partes persequamur, & eas enumeremus: quid inter partium enumerationem & argumentum à genere intersit, videamus. Hoc sanè interest, quòd illæ partes omnes recensentur, vt totum probetur: vel remoueantur omnes, vt perimatur: vel denique omnes exponantur, vt earum plurimis infirmatis, vna reliqua necessariò confirmetur. At cum dicimus persequendas esse partes cum à genere argumentamur, hoc statim intelligẽdum est, cũ formas generis exposueris, & earum vna aliqua de re de qua quæritur, affirmatur, de eadem genus affirmari necesse est: vt si equus de Bucephalo Alexandri equo verè profertur, oportet de eadem proferatur equi genus, quod est animal.

Quod genus argumenti.) Regula est quædam apud Aristotelem in Categoriis vulgatissima, quæ est huiusmodi: Quando alterum de altero prædicatur, quæcunque de prædicato proferuntur, eadẽ de subiecto proferri necesse est: vt cum de indiuiduo proferatur species, de specie verò genus, de indiuiduo quoque proferri genus oportet. Nam si Socrates homo est, & homo animal, Socrates animal est. hæc regula Græcè σωρείτης appellatur, id est coaceruatio. Cicero locum à specie præterii̇sse videtur, quippe qui statim vt locum à genere tractauit, ad similitudinem transierit, nec vllum de specie præceptum reliquerit. Verùm sic diluimus, Quia genus & species relata sunt, quicunque generis meminit, eundum speciei meminisse necessum est. Insuper sub argumento generis argumentum speciei inclusum est, sicut sub speciei probatione generis probatio latet. Nam quemadmodum qui genus vniuersum affirmat, speciem simul affirmat: qui genus perimit, speciem quoque perimit: ita qui speciem probat, probat & genus: quique speciem vniuersam tollit, genus tollit. Est igitur generis & speciei locus coniunctus, & idem argumentum à genere & specie haud dubiè ducitur: vt si omnes qui Reip. cõsulunt, chari nobis esse debẽt, certè imprimis imperatores chari nobis esse debent, quorũ consiliis, virtute, periculis, retinemus & nostram salutẽ, & imperij dignitatem. Hoc, inquã, argumentum Cicero 2. de Orat. à specie esse dicit. at etiam à genere est. Nam est huic simile quod idem Cicero à genere facit ibidem: vt si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntati paruit ciuitatis? Quòd autem inter vtrunque argumentum similitudo sit, & ab eodem loco vtrũque definiatur, hinc liquet, quòd in vtroque à genere ad speciem descendamus. nam in illo ab omnibus qui Reipub. consulunt, ad imperatores, in hoc à magistratu ad tribunatum descenditur.

LATOMVS. Cùm autem à genere.) Suprà explicauit quid sit genus, quid forma: hic tractandi vtriusque rationem ostendit, nempe vt à genere ad formam per diuisionem ducamus argumentum, & vicissim à forma ad genus. Sed hoc non semper obseruatur, cùm altero simpliciter proposito, alterum sæpe inferatur, hoc modo: Omne argentum legatum est, ergo & signatum: signatum argentum, legatum est: ergo argentum est legatum. Sed Cicero præcipit non quæ perpetuò, sed quæ commodè fieri debeant: nempe vt in his locis tractandis genere proximo sumpto, eóque diuiso, cæteris formis remotis, vnã confirmemus: quod argumentũ alij ex diuisione, alij ex remotione vocant. Sed nascitur ex genere, tanquam ex fonte suo. itaque Ciceroni ex genere appellatur: vt, Aqua pluuia alia loci vitio, alia manu est nocens: quæ manu nocet, iubetur arceri ab arbitro: nempe igitur

tu aquam arcere debes, quæ manu est nocens. Altera forma tractandi est, vt itidem genere sumpto ac partibus eius enumeratis, ostendamus id de quo quæstio est, ad aliquam partium earum pertinere, ac proinde ad genus. vt, Dolus malus est, cùm aliud agitur, aliud simulatur. Id autem fit vel contrahendo cum altero, vel donando, vel restituendo: nempe igitur tu dolum malum commisisti, qui mancipium quod restituere debebas, antè corrupisti. Prior forma à genere ad speciem est: posterior à specie ad genus: quod genus argumenti in primis firmum videri solet, quia est à forma, quæ à genere nunquam separatur.

HECENDORPHINVS. Vt aqua pluuia.) Aqua crescere dicitur, quæ colorem mutat, vel increscit. l. 1. ff. de Aqua pluuia arcenda. §. Idem ait. Cenus est aqua pluuia.) Hoc est, aqua pluuia est genus: species eius sunt, aqua pluuia manu nocens, & vitio nocens. Iam si cupis quærere genus eius aquæ pluuiæ quæ arcẽda est, & damnum dat agro tuo, non necesse est vltimum genus inquirere, scilicet aquam pluuiam, sed satis est aquam pluuiam nocentem inquisiuisse: quod si proximum quæris, est aqua pluuia manu nocens. Nam aqua pluuia vitio nocens, non potest, nec debet arceri. & hoc est quod hic inquit: quarum altera, scilicet aqua pluuia arcenda, arceri: altera, hoc est, aqua pluuia vitio nocens, non iubetur, intellige, coërceri. Si dolus malus est.) Seruius Sulpitius dolum malum ita definit: Dolus malus, est machinatio quædam alterius decipiendi causa, cùm aliud agitur, & aliud simulatur. l. prima. §. Dolũ malum. ff. de Dolo malo. Fit autem dolus malus, si quis tabulas testamenti apud se depositas post mortem testatoris deleuit. l. Si quis. ff. de Dolo malo. Item qui prætextu falsarum literarũ à debito se liberat. l. Quidam. ff. eodem titulo. Item qui decipit aliquem, vt hæreditatem idoneam non adeat. l. Is qui. ff. eodem tit. Alios modos doli mali, in aliis legibus vide.

GOVEANVS. Cum autem à genere ducetur.) Locus secundus est à genere: de quo satis multa antea à nobis dicta sunt. Nunc admonẽdi tantum sumus, cũ multa vnius rei genera sint, ne vltimum semper requiramus genus, simúsque citeriore aliquo contenti: satis enim est esse eo ad quod sumitur, superius: vt si quis aquæ pluuiæ arcendæ genus quærat, inueniat aquam quæ de cælo cadens crescit imbri: sed propiore loco aquam pluuiam nocentem, in quo iam arcendi ius continetur: eò enim arceri ab arbitro iubetur, quia nocens sit: at neq; omnis aqua nocens arceri iubetur: sed ea tantum, quæ manu, hoc est, opere nostro, vicini agro nocet, nõ etiã quæ vitio & natura loci. Duæ enim aquæ nocentis formæ sunt: aut natura loci, aut manu & opere. Sed neque omnis etiam aquæ quæ nostro opere nocet, arcenda est: sed quæ eo opere nocet, quod ad agri mei culturam non sit necessarium. Commodè etiam tractatur hæc argumentatio.) Commodè etiam, inquit Tullius, tractatur hæc è genere argumẽtatio, cùm genere posito, eius enumeramus species: in quarum aliqua id de quo agitur, ostendimus contineri. Vt si, cum dixeris dolum esse malum, cum aliud agitur, aliud simulatur: tum enumeres quot modis aliud agatur, aliud simuletur: deinde in eorũ aliquem id quod arguas dolo malo factum, includas. Quæ argumentatio à specie, non à genere duci mihi videtur. Neque enim mihi dubitari potest, quin dolo malo factum sit, quod in doli mali speciem aliquam includi potest, vt si doceas Socratem animal esse, quia homo sit. Quod ad doli mali definitionem attinet, Callus Aquilius, quemadmodum scribit Tullius libro tertio de Natura deorum, & tertio itẽ de Offic. dolum malum tum putabat teneri, cum aliud simulatum esset, aliud actum: quam sententiam est secutus eius discipulus Seruius Sulpitius. Labeo autem ait posse & sine simulatione id agi vt quis circunueniatur, posse & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari: sicuti faciunt qui perhuiusmodi simulationem tuentur sua vel aliena. Itaque ipse sic definit dolum malum, esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circunueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam: cuius modos enumerant Iurisconsulti in Tit. de Do. ma. & m. except. ff. Non fuit autem contentus Prætor dolum dicere, adiecit MALVM: quoniam veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem vel latronem machinaretur. Vnde illud Virgilij 2. Aeneid. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Dolo autẽ malo fit tam in contractibus, quàm in testamentis, quàm in legibus.

COMMENTARIVS. Cùm autem.) Duas ponit formulas tractandi argumentum à genere: quarum prior ad genus propriè pertinet, posterior non tam ad genus quàm ad diuisionem. Sed enim canonem ducit ab Aristotele. cùm enim argumentamur, non ab vltimo genere argumentum ducere decet, sed à propinquo. sic enim erit rei coniunctius. Dummodo suprà sit.) Vi-

tiũ tamẽ non esset, siquãdo à capite argumentũ accerseretur. sed tamẽ argumentũ tantò melius est, quò cõiunctius. Quocirca à citissimo genere argumẽtari præstat. Sed proprié.) Vel locum interpretari poterimus genus propinquius, quod sit scilicet propinquiore loco. Alioqui si aquam loco no cẽtem intelligas, accipies aquam quæ vicino noceat propter locum opere manufactum immutatum. In quodam legitur, sed propiore loco: In quodam duntaxat, sed propiore: vt ad genus referatur.

Genus est.) Idem scribunt iurisc̃onsulti Titulo De aqua pluuia arcenda. si quis enim opere manufacto incitaret faciem loci ita vt sit mihi periculum ab aqua pluuia, habebo in eum actionem aquæ arcendæ. Si ager meus sit natura depressus, ager autem vicini sit editus, atq; ideo aqua pluuia mihi noceat, non habebo actionem aquæ arcendæ, quia nocet vitio loci. Commodè etiam.) Argumentationis origo est à genere, sed forma est à diuisione: de qua antea diximus. Si dolus malus.) Hæc definitio est Aquilij, qui primus formulam tulit doli mali. Labeo tamen libro quarto Digestorum hanc definitionem reprehendit. Nam aliquem circunuenire possumus dolo malo citra simulationem: potéstque simulatio esse, vt aduersus hostem & latronem, quæ tamen dolus malus non erit. Sic igitur finit Labeo, Omnem esse calliditatem & fallaciam ad aliquem circunueniendum & decipiendum.

Similitudo sequitur, quæ latè pátet, sed oratoribus & philosophis magis quàm vobis. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint: vbi autem his vtare, quæstiones ipsæ te admonebunt. Sunt enim similitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniunt quò volunt, hoc modo: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus peruenies quò vult, appellatur inductio, quæ Græcè ἐπαγωγὴ nominatur: qua plurimum est vsus in sermonibus Socrates. Alterum similitudinis genus collatione sumitur, cùm vna res vni, par pari comparatur, hoc modo: Quemadmodum si in vrbe de finibus controuersia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quàm vrbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis: sic si aqua pluuia in vrbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non possis arbitrum. Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, vt Crassus in Curiana causa exemplis plurimis vsus est, agens de eo qui testamento sic heredem instituisset, vt si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius, quàm in suam tutelam veniisset, secundus hæres hæreditatem obtinuisset: quę commemoratio exemplorum valuit, eáque vos in respondendo vti multum soletis. Ficta etiam exempla, similitudinis habent vim: sed ea oratoria magis sunt, quàm vestra, quanquam vti etiam vos soletis, sed hoc modo: Finge mancipio

M. T. CICERONIS TOPICA

aliquem dedisse id quod mancipio dari non potest: num idcirco id eius factum est, qui accepit? aut num is qui mancipio dedit, ob eam rem se vlla re obligauit? In hoc genere oratoribus & philosophis concessum est, vt muta etiam loquantur, vt mortui ab inferis excitetur, aut aliquid quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum, eisdem tamen ex locis (vt antè dixi) & in maximis & in minimis quæstionibus argumenta ducuntur.

BOETIVS. De similitudinis loco planè atque expeditè disseruit, omnémque aperuit intellectum, similitudinum diuidens formas: præscripsitq; apertissime, quibus magis ex similitudine argumenta contingerent, id est philosophis, atq; oratoribus. etenim similitudo persuasionibus videtur aptissima. Nam quod in vnam vel plures extra eam de qua quæritur, causam cadere solet: facile credi potest in eam quoque de qua ambigitur, conuenire. Idcirco ex similitudine tractæ argumentationes, magnum oratoribus vsum præstant: philosophis quoque, quoniam non in omnibus quæstionibus demonstratione vtuntur, sed aliquotits vniuersalia colligunt, quò id facilius persuadeant quod nituntur ostendere. inde similitudo rerum sæpe est conquirenda. atque idcirco locus à similitudine oratoribus maxime philosophísque conducit, non tamen solis. Omnes enim loci communes sunt cuiusque materiæ: sed in alias vberius incidunt, in alios angustius inueniuntur, Quocircà cognitis atque antè perceptis locis, quæstiones ipsæ quæ tractabuntur, quibus vti debeat, solertem animum poterunt admonere. Omnis verò similitudo duplex est: aut enim ex pluribus rebus similitudo colligitur, & inductio nuncupatur: quod Græci ἐπαγωγὴν nominant. aut singulæ res per similitudinem cõparantur. Ac prior quidem huiusmodi est, Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaueris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. nam cum in pluribus rebus fides præstari debeat: vnáque similitudo sit in fide præstanda tam in tutore quàm socio, atque eo cui mãdatum sit, eóque qui fiduciam acceperit: debet eadem similitudo procuratori etiam conuenire. Fiduciam verò accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, vt eam mancipanti remancipet. velut siquis tẽpus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, vt ei cum tempus quod suspectũ est, præterierit, reddat: hæc mancipatio, fiduciaria nominatur: idcirco quòd restituendi fides interponitur. Hac similitudinis collectione plurimum Socrates esse vsus dicitur, vt in Platonis, aliorúmque eius sectatorum voluminibus inuenitur. Quoties verò vna res vni rei per similitudinem cõparatur, hoc modo colligitur argumentum, Regendorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt: vt si fuerit de finibus orta cõtentio, eorum dirimatur arbitrio. Sed fines in agrorum tantũ limitibus esse dicuntur: arbitri autem finiũ regendorum in ciuitate esse nõ possunt. Item arceri aquã, in agris tantum dici solet, vbi si ex aliquo loco aqua pluuia colligatur, & defluens in cãpos, vicini pascua frugésve corrumpat, arbitrò arcendæ aquæ à Magistratibus statuebãtur. Quæritur ergo, an in Vrbe arcendæ aquæ arbitrum posimus adigere. Et argumentum capitur ex similitudine, Si regendorum finium, quia solius agri sunt, in Vrbe arbitrum adigere non possis: ne aquæ quidem arcendæ, quia solorum esse videtur agrorum, in Vrbe arbitrum possis adigere. Hic igitur vna res vni rei similitudine coniuncta est. Ex eodem etiã similitudinis loco illa sumi Cicero proponit, quæ vocãtur exẽpla: veluti Crassus in causa Curiana, quæ fuit huiusmodi, Quidã prægnantẽ vxorem relinquẽs, scripsit hæredem posthumũ: eíq; etiã alium substituit secundũ, qui Curius vocabatur, ea cõditione, vt si posthumus, qui intra menses decẽ proximos nasceretur, antè moreretur, quàm in suam tutelam peruenisset, id est antè obiret diem, quàm testamẽtum iure facere posset, secundus hæres succederet. quòd si ad id tẽpus peruenisset, quo iam firmo iudicio in suam tutelam receptus, iure ciuili instituto posset hærede fungi: secundus hæres, id est Curius, non succederet. quæ vocatur substitutio pupillaris. quæsitum est an valeret ita instituta ratio. Crassus igitur plurima protulit exẽpla, qui-

bus ita institutus hæres obtinuisset hæreditatem. quæ exẽplorum commemoratio iudices mouit. Dicit etiam ipsos quoque iurisconsultos vti sæpius exemplis. veluti cum fingitur propositio vel causa, vt casus de quo agitur, per similitudinem intelligatur: hoc modo, Siquis enim iurisperitus adiiciat id, quod non iure contractum est, nullius esse momenti: adhibeátque exemplum tale, veluti, Si quis rem non mancipi mancipauerit, num idcirco aut rem alienauit, aut se eo facto potuit obligasse? minime. Quod enim non iure cõtractum est, nihil retinet firmitatis. & alia huiusmodi apud iurisperitos inueniuntur, in quibus oratores maxime valent: quibus etiam in tantum fingere licet, vt eorum oratione etiam mortui sæpe ab inferis excitentur. quod Tullius in ea facit oratione qua Cælium defendit. Sed latio, inquit, est illorum campus, id est oratorum, quibus spatiari ac deuagari licet. Nec idcirco minus cæteris quoque facultatibus similitudines prosunt, quoniam eadem argumenta maximis minimísque causis conueniunt, quo fit vt loci quoque argumentorum diuersarum artium quæstionibus accommodentur.

VISORIVS. Similitudo sequitur.) Quid sit similitudo, superius definiuimus: nunc quot genera sint, & quis vsus similitudinis, dicamus. Nulli sanè locorum, vt Agricola scribit, cõtra renitentem auditorem minus est virium quàm similitudini. Ad eum verò qui sese docendum præbeat, & sponte sequatur, accommodatior nullus est. Nam similitudo rem aperit, & quandam eius imaginem animo subiicit, vt si necessitatem assentiendi non adferat, adferat tamen tacitum dissentiendi pudorem. Quare ad probãdum non ita crebrò, ad explanãdum & illustrãdum sæpius adhibetur. interim tamen probationis speciem habet, quippe quæ qualis sit res ostẽdat. Sed oratoribus & philosophis magis, quàm vobis.) Oratores apud vulgus imperitum sæpenumero dicũt: imperiti autem & hebetes animi in res ipsas penetrare nequeunt. quare vt prospicere possint, quale quidq; sit, non alia re aptius quàm imagine & figura notiorum aliarum rerum in id quod ostẽdere volumus ducuntur. Porrò philosophi sæpe docent & explanant, ad docendum autem accommodatissima est similitudo. non enim facilius quisquam credit, quàm quod iam videtur in alio probasse. At iurisconsulti probent, & rationibus vincant oportet. Ad probandum verò & vincendum (sicut diximus) similitudo parum roboris habet. Etsi enim omnes loci sunt omniũ disputationum.) ~~Hinc Boetij manifestissimus error cuadit, qui libro quarto differentiarum Topicarum, locos alios oratorum, alios dialecticorum facit: sic vt dialectici suos, oratores quoq; suos habeãt.~~ Quæ in re hominem non erroris modò, sed & inconstantiæ & leuitatis arguo, vt qui secum pugnet, suoq; sese gladio iugulet, cùm hunc locum interpretetur, dicens: Omnes loci communes sunt cuiusq; materiæ. Certè Rodolphus Agricola cap. 18. libri secundi, rationibus quàm plurimis eosdem esse locos oratorios & dialecticos probat, & reuera multos oratorios esse, sed dialecticos omnes, rhetorásq; à dialecticis eos mutuari, cùm inuentio propria sit dialectices. Cicero tamen paulò pòst adiuncta, antecedentia, consequentia & repugnantia sic separat, vt adiuncta sint oratorum, antecedentia verò, consequentia, repugnantia, dialecticorum. Sed quomodo hic nodus solui debeat, ostendemus, cùm ad eos locos venerimus. Interim ita ~~diluisse~~ sufficiat. Addit hoc in loco Cicero, locos aliis disputationibus abundantius occurrere, aliis angustius. Nam cùm adiuncta oratorum & philosophorum, item antecedentia, consequentia & repugnantia communia sunt, illis tamen sæpius oratores, & his dialectici frequentius vtuntur. Itaque genera tibi nota sint.) Cicero in fine fermè huius opusculi, postquam locos omnes argumentorum exposuit, inquit: Illud primùm intelligendum est, nullam esse disputationem, in quam nõ aliquis locus incurrat, nec ferè omnes locos incidere in omnem quæstionem, & quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. Rursus paulò pòst: Loci qui ad quasque quæstiones accommodati sunt, deinceps est videndum. Omnes quidem illi quos suprà diximus, ad pleraque sunt. sed alij ad alias, vt dixi, aptiores: id quod ita docemus. Ad coniecturalem quæstionem loci sunt vtiles, ab adiunctis, causis, & effectis. Ad finitiuam, definitio, partes, etymologia, coniugatum, genus, species, differens, & aliquando causæ & effecta, necnon antecedentia, consequentia, & repugnantia. Ad iuridicialem denique, similia, & comparata, necnon aliquot alij loci, quorum omnium suo loco ratio reddetur. Sunt enim similitudines.) Duo genera similitudinis Cicero facit, epagogen, id est inductionem: & parabolam, id est collationem, sub qua exemplum reperimus. Prius genus est similitudinis, quæ ex pluribus similibus peruenit quò vult. Posterius collatione sumitur, cùm vna res vni, par pari comparatur. vtriusque sit hoc exemplum: Si in humano corpore mẽbrum aliquod ita affectũ est, vt nec de eius salute sperare possit, & peri-

culum sit, ne reliquum corpus contagione sua totum inficiat, tum id membrum sine cũctatione præcidi solet. Si idem fieri videmus in ramis arborum, idem in vitium putatione, quis sit qui hoc membrum tam pestilens, hunc, inquam, pernicioſiſsimum nõ dicam ciuem, sed hostem è Reipublicæ corpore nolit repelli? credite mihi, quemadmodum vna ouis totum gregem, ita vnus pestilens ciuis vniuersam Rempublicam inficit. Item vt,

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit:

Ita si doctrina in malum virum inciderit, gratiam perdit. Est autem inductio, cùm ex pluribus similibus concessis, vnum aliquod colligimus. vel sic: Inductio est oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem eius quicum instituta est, quibus assensionibus facit, vt illi dubia quædam res propter similitudinẽ earum rerum quibus assensum est, probetur. Ab huius definitione Boëtius discrepat, diuersam sectam secutus, cuius est finitio, Inductio est oratio, per quam fit à particularibus ad vniuersalia progressio. in qua definitione tria maximè necessaria omittuntur, vt vult Laurentius, appositio similium, probatio, & interrogatio. Quòd autem oporteat similium appositionẽ adesse, Cicero nunc testis est. Insuper quòd probationem Boëtius omiserit, sic probatur. Non enim aliquot partes vniuersum probare possunt. nec semper vniuersum probandum est, quia à partibus ad partem interimitur, vt Cicero quoq; tradit. Denique quòd interrogationem præterierit Boëtius, à Socrate recessit, qui faciendis inductionibus plura interrogare solebat, vt Quintil. cap. de Exemplis refert, cùm ait: Illa epagoge, id est inductio, qua plurimum est vsus Socrates, hanc vim habuit, cùm plura interrogasset, quæ concedere aduersarium necesse esset, noui ſsimè id inferebat de quo quærebatur, cui simile aduersarius concessisset: qualis est hæc, Quod pomum generoſiſsimum est? num quod ex pulcherrima arbore collectum? minimè: sed quod suaui ſsimum. Age verò, quem equum generoſiſsimum putas? num qui ex generoſiſsima equa natus est? nequaquam: sed qui cursu reliquos antecellit. Ergo quem hominem generoſiſsimum esse arbitraris? nónne eum qui virtute præstat? nõ autem qui natalium splendore & generis antiquitate tumet. At Boëtius exemplo Ciceroniano defendi potest, non esse necessariam interrogationem inductioni. Exemplum verò Ciceronis hoc est: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. In hac inductione nulla est interrogatio. Quare non fuit Boëtius à Laurentio reprehendendus, quòd in definitione inductionis interrogationem omiserit, sine qua fieri posse Ciceronis exemplo docuimus. Quòd autem Socrates apud Platonẽ ferè interrogationibus vtitur, id non ea de causa facit, quòd omnino aliter inductio fieri non posset: sed quòd eiusmodi ratio elocutionis maximè sit apta dialogis. Hactenus de priori genere similitudinis, nunc de posteriori dicamus, id est de exemplo. Est autem exemplum, commemoratio rei gestæ, vel vt gestæ, vtilis ad persuadendum id quod intẽderis: vt, Saturninus iure cæsus est, sicut Gracchi. At exemplum non semper ad posterius similitudinis genus pertinet. potest enim prioris generis esse, puta si vni rei probandæ plurium rerum similium exemplis vtaris: vt Crassus vsus est in causa Marci Curij, sicut Cicero libro primo de Oratore testatur. Præterea exemplum non semper est à simili, sed aliquando à dissimili: vt, Brutus liberos suos occidit proditionem molientes: at Manlius virtutem filij morte mulctauit. Aliquando à comparatione: vt, Nasica Tyberium Gracchum iure occidit, ergo Cicero Catilinã iure occidit. Aliquando à contrario: vt, Marcellus ornamenta sua Siculis hostibus restituit, ea Verres sociis illis ademit. Cæterùm sicut exemplum non huius tantum loci est, ita neque inductionem sub hoc solùm loco contineri certum est. Nam ad partium enumerationem sæpenumero refertur, & tum expositio similium in ea non est: quod est contra Laurentium. Insuper ea est ad vniuersale progressio, quod contra eundem quoque est: vt, Europa vastatur armis, Asia bello infestatur, Africa quoque à seipsa dissidet: igitur vniuersus orbis terrarũ suo se gladio iugulat. aliter: Romulus fratrem secum regnantem ferre non potuit, neque Sylla Marium, neque Pompeium Cæsar, neque Augustus Antonium: igitur nemo est qui æquo animo sit laturus consortem imperij. Hanc inductionem Lucanus libro primo Pharsaliæ fecit, vbi ait:

Nulla fides regni sociis, omníſque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus vllis
Credite, nec longè factorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

In quo argumento inductio cum exemplo miscetur: neque iniuria. nam exemplum, Aristotele, Cice-

rone, & Quintiliano testibus, inductio rhetorica est: attamen illa Lucani inductio, rhetorica non est, sed potius dialectica. Rhetoricam inductionem Tullius hoc in loco definit, cuius sensus est: Si à pluribus partibus, vel formis similibus, ad aliam partem vel formam argumenteris, inductio rhetorica est: vt, Medea patriam Colchida reliquit, vt Iasonem Græcum sequeretur: & Helena Mycenas, vt cum Paride Troiano in Phrygiam iret: licebit igitur Cleopatræ patriam suam, id est, Aegyptum, suósque, vt Ptolemæum, relinquere, & Marcum Antonium sequi. Dialectica verò inductio est, quando ex pluribus, vel partibus, vel formis, vnum quid, vel totum, vel genus vniuersaliter colligitur: cuius exempla superius plura dedimus. sit tamen & hoc exemplum: Pompeius habet virtutem, habet peritiam rei militaris, authoritatem, fœlicitatem: habet ergo cuncta Pompeius in summo duce spectanda. Si tutor fidem præstare debet.) Tutor est, qui potestatem in eum tuëdum habet, qui se suáque per ætatem tueri nõ potest. Præstare fidem est, exitum rei in se recipere: vt apud Ciceronem ad Vatinium, Si me amas, confice: quamcunque fidem dederis, præstabo. Qui fiduciam acceperit.) Fiduciam Cicero inter bonæ fidei contractus nominauit. Idem lib. 7. Epist. ait ad Trebatium iurisconsultum. Sed quónam modo ius ciuile defendes, cum omnia causa tua facias, non ciuiũ? vbi porrò erit illa formula fiduciæ, Inter bonos bene agere oportet? Quis est enim qui facit nihil, nisi sua causa? Boëtius inquit, fiduciam accepisse dicitur, cuicunque res aliqua ea lege mancipatur, vt mancipanti aliquando remancipet: veluti siquis tempus illud dubium timens, amico potentiori fundum mancipet reddituro, cum illud tempus dubium præterierit. hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quòd restituendi fides interponitur. Sic intelligendus est locus Ciceronis pro Flacco: Pecuniam adolescentulo grandi cum fœnore, fiducia tamen accepta, occupasti: hanc fiduciam commissam tibi tenes hodie, ac possides. eum in testem spe recuperandi fundi, primum venire ad testimonium dicendum coëgisti. Pecuniam, inquit Cicero, fœneratitiam à te sumpsit adolescẽs, ob eámque fundum tibi fiduciarium dedit. Hoc contractu hodie quidã vtuntur, qui vectigalia certæ summæ in fundis & possessionibus comparant, quas rentas vocant, quasi reditus. quod vt conditione meliore faciant, fundos mancipari sibi iubent tandiu fruendos, quoad vectigalia & pensiones redimantur. Fiduciariam autem mancipationem, venditionem vocamus sub redimendi reddendiq; lege factam. Procurator.) Inquit Asconius Pedianus: Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si est orator: aut aduocatus, si ius suggerit, vel præsentiam suam commodat amico: aut procurator, si negotium suscipit: aut cognitor, si præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suam.

Alterum similitudinis genus.) Posterius genus similitudinis exemplum vocabamus. sed sub priore genere tam continetur exemplum, quàm sub posteriore, & ab vtroque genere exemplum duci potest. Verùm posterius genus parabola, id est collatione constat, cùm vna res vni, par pari confertur: vt, Quemadmodum terra cultu, sic animus disciplinis melior & vberior euadit. Quemadmodum si in vrbe.) Quid sit fines regi, quid item aquam pluuiam arceri, in comparationis loco dictum est. insuper quid sit aqua pluuia, cum de coniugatis & genere loqueremur, exposuimus. Itaque superest, vt quid sit arbiter, hic dicamus. Est autem arbiter, qui consensu vtriusque litigatoris disceptator causæ priuatim constituitur. Crassus in Curiana causa.) Instituit Crassus hanc controuersiam aduersus Scæuolam. Quidam decedens fecit testamẽtum, vt si vxor peperisset, filius hæres esset: si autem interiisset priusquam in suam tutelam venisset, id est, antequam pubes factus esset, vt ei succederet alius hæres quem substituisset: vxor non fuit grauida, iam amici illius defuncti petunt hæreditatem, & ille substitutus etiam petit. Crassus ad substitutum dicit pertinere à testamenti voluntate: eíque probando plurimis vsus est exemplis, quibus docuit voluntatem scripti spectandam esse, non ipsa verba. Huius controuersiæ Cicero pro Cecinna meminit, & in libris de Oratore, necnon & in Perfecto oratore, vbi hoc exemplum copiosius tractatur. Ficta etiam exẽpla similitudinis habent vim.) Eadem ratio est eorum quæ ex fabulis poëticis ducuntur, nisi quòd eis minus affirmationis adhibetur. cuius vsus qualis esse deberet, idem optimus author ac magister eloquentiæ Cicero tradit. nam huius quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaq; hoc Iudices non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris vlciscendi causa matrem necauisset, variatis hominũ sententiis, nõ solùm humana, sed etiam sapientissimæ deæ sentẽtia liberatũ. Illæ quoq; fabulæ, quæ etiã si ab Aesopo originẽ non acceperũt, (nam videtur earum primus author Hesiodus) nomine tamen Aesopi maximè celebrantur, ducere animos solent, præcipuè rusticorum & imperitorum, qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, &

historia notanda

capti voluptate, facilè iis quibus delectantur, consentiunt. Siquidem Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse, nota illa de membris humanis aduersus ventrẽ discordantibus fabula. quæ sic est apud Titum Liuium: Tẽpore quo in homine, non vt nũc, omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: vẽtrem in medio quietum nihil aliud quàm datis voluptatibus frui, conspirasse, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra totúmque corpus ad extremã tabum venisse. inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse nec magis ali quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo viuimus vigemúsque, diuisum pariter in venas maturè confecto cibo sanguinẽ: comparando hinc quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum. Et Horatius ne in poemate quidem humilem vsum huius generis putauit, qui sic ait:

Quòd si me populus Romanus fortè roget, cur
Non vt porticibus, sic iudiciis fruar iisdem,
Nec sequar, ac fugiam, quæ diligit ipse vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam, Quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni, αἶνον Græcè vocant, & ἀποφθεγματικὸν, & vt dixi, λόγους μυθικοὺς. nostrorum quidam, non sanè recepto nomine in vsum, apologationem: cui confine est παραμύθιον genus. illud est fabella breuior, & per allegoriã accipitur. Nos nostrum (inquit) onus, bos elitellas. Finge.) Argumentum est, quod Quintilianus κατάθεσιν vocat, id est, ex fictione. Fingere autem est (vt idem est author) proponere aliquid, quod si verum sit, aut soluat quæstionem, aut adiuuet. Id quod mancipio dari nõ potest.) Mancipio dari, id est abalienari, non possunt res sacræ, ædes, dona ad ministerium dei dedicata. Muta etiam loquuntur.) Prosopopœia est, id est personæ fictio: de qua Quintilianus lib. 9. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare concessum est: vt pro Cælio, Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum cæcus ille. minimũ enim dolorem capiet, qui istã non videbit. qui profectò si extiterit, sic aget, & sic eloquetur: Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur tam familiaris huic fuisti, vt aurum cõmodares: aut tam inimica, vt venenum timeres? nõ patrem tuum videras? non patruum, non auum, proauum, atauum audieras consules fuisse? Non deniq; modò te Quinti Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi & fortissimi viri, patriæq; amantissimi? qui simul ac pedem limine extulerat, omnes propè ciues virtute, gloria, dignitate superabat? cui cum ex amplissimo genere in familiam clarissimã nupsisses, cur tibi Cælius tã coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horũ. quid igitur fuit, nisi quædam temeritas ac libido? nónne te si nostræ imagines viriles non cõmouebant, ne progenies quidẽ mea illa Clodia æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? nõ virgo illa Vestalis Clodia, quæ patrem cõplexa triumphantem ab inimico Trib. pleb. de curru detrahi passa non est? cur te fraterna vitia potius quàm bona paterna & auita, & vsque à nobis cum in viris, tum etiam in fœminis repetita, monuerunt? ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, vt tu amorum turpissimorũ quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi, vt ea tu incestè vterere? ideo viam muniui, vt eam tu alienis viris comitata celebrares? Vrbes etiam populiq; voces accipiũt, vt prima oratione inuectiua in Catilinam: Nunc te patria, quæ cõmunis est omnium nostrũm parẽs, odit ac metuit, & iam diu de te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neq; authoritatem verebere, neq; iudicium sequêre, neq; vim pertimesces? Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullũ iam tot annos facinus extitit nisi per te, nullũ flagitiũ sine te: tibi vni multorũ ciuium neces, tibi vexatio direptioq; sociorum impunita fuit ac libera: tu non solùm ad negligendas leges & quæstiones, verumetiam ad euertendas perfringendásque valuisti. Superiora illa quãquam ferenda non fuerunt, tamen vt potui tuli. Nunc verò me totam esse in metu propter te vnũ, quicquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri cõtra me consiliũ iniri posse, quod à tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. si verus, ne opprimas: sin autem falsus, vt tandem aliquando timere desinam. Quæ hyperbole dicitur.) Hyperbole est oratio veritatis fidem ex-

cedens, augendæ vel minuendæ rei gratia. augendæ rei, vt candidior niue: minuendæ rei, vt tardior testudine. Dicta est hyperbole, à verbo Græco ὑπερβάλλειν, id est, à superiaciendo. Est enim hyperbole (vt ait Quintilianus) dimetiens superiectio: cuius exemplũ est secunda Philippica: Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico, quæ si fuit, fuit animal viuũ. Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis expositas, tam citò absorbere potuisse.

LATOMVS. Si socius, si cui mandaris.) Socius est, quicum bonorum vel negotiationis societas contracta est. Cui mandatur, in iure vocatur mandatarius: vt si quem rogaueris, vt te absente vineam tuam colat, & ille se facturum promiserit, habes in eum mãdati actionem si id non fecerit. Debent igitur & socius & mandatarius bonam fidem in negotio gerendo præstare.

Si qui fiduciam acceperit.) Fiduciam accipere, est eius rei in quam obligatus non sis, fidem promittere: vt si ita vendam tibi fundum nulla pactione interposita, vt post certum tempus eodem pretio mihi reuendas: id si te facturum esse promiseris, fiduciam à me accepisti, quam ego tibi detuli. Sic si hæredem te ita instituam, vt fratrem meum exulem alas, idque faciam solam fidem tuam secutus, diceris fiduciam à me accepisse. Eiusdem generis est quod vulgo dicunt, in manus fideles trædere, quod in beneficiis transferendis fieri solet. Hæc ex pluribus perueniens.) Duas formas similitudinum esse ostendit: vnam per inductionem, cùm ex multis similibus id quod propositũ est, colligitur: alteram, cùm vnum vni comparatur, quam ipse collationem, alij exemplum vocant. Sed ipse formas similitudinum, alij formas argumentandi appellant, quas quatuor faciunt, syllogismum, enthymema, inductionem, & exemplum. Sed ista in omnes locos sparguntur. Cicero inductionem & collationem hoc loco ad similitudinem duntaxat accommodat. Sed plura de his & exactiora vide apud Rodolphum lib. 2. de Argumentatione. ἀναγωγή.) Videtur ἐπαγωγὴ legendum esse.

Quemadmodum si in vrbe.) Similitudo est, finibus regundis non adigere arbitrũ, ergo nec aquæ pluuiæ arcendæ: quoniam vtrunque agrorum magis quàm vrbis sit. Adigere arbitrum, est arbitrum adhibere ad controuersiam dirimendã. Est autem arbiter, iudex non datus lege, sed ab vtraque parte electus, qui in certis causis, nõ in omnibus adhibetur. Fines regere, est agros disterminare.

Etiam exempla sumuntur.) Exempla sunt, quæ à factis sumuntur, & propriè ad imitationem pertinent. Sunt autem tum vera, tum ficta, item similia, dissimilia, contraria. Verũ exemplum est: Si Decij se pro patria deuouerũt, non debet Cicero Catilinam timere. Fictum: Si Clodius reuiuiscere posset absoluto Milone, non absoluerent eum iudices: ergo non debent eundem propter mortẽ Clodij condemnare. quod est fictum ex contrario. In Curiana causa.) Quibus exemplis Crassus in hac causa vsus fuerit, non constat. Fit mẽtio eiusdem in Perfecto oratore, & secũdo de Oratore, & in oratione pro Cecinna. In suam tutelam.) Id est, extra tutoris potestatẽ, nempe vt sui iuris fieret: quod fit quartodecimo anno, quod est tempus pubertatis. Secundus hæres est, qui primo succedit, testamẽto ei substitutus, de quo suprà dictum est. Ficta etiã exempla.) Huius generis multa sunt in oratione pro Cecinna: vbi pro æquitate contra scriptum disputatur. Mãcipio aliquem dedisse.) Id est, alienasse: cuiusmodi sunt res sacræ & religiosæ, item homo liber si pro seruo vendatur, quæ alienari non possunt: & si mancipio data fuerint, nihil actum intelligitur. Vt muta etiam loquantur.) Vt Cicero in Catilinam, vbi inducit patriam & secum & cum illo loquentem. Et in oratione pro Cælio fingit Appium cæcum Clodiam gentilem suam obiurgantem.

HECENDORPHINVS. Si tutor.) Legitimus scilicet: item datiuus, si nõ fuerit cum inquisitione. l. finali. C. de Authoritate præstanda. Fidem præstare.) Fidem dare, vel vt iurisconsulti, satisdare, est fideiussoribus pupillo cauere. l. Non quasi. ff. Rem pupilli saluam fore. Si socius.) Alicuius negotiationis. veluti aut olei, aut frumenti, aut vini, aut aliarum rerũ. Institut. de societate. §. 1. Si cui mandaris.) Scilicet vt tua negotia gereret. Institu. de Manda. §. 1.

Fiduciam acceperit.) Fiduciam accipit, cui res aliqua ea lege venditur, vt vendenti aliquando reuendatur. Hæc venditio fiduciaria appellatur, quòd reuendendi fides interponitur. Cuius fiduciæ memor est Cicero in oratione pro L. Flacco: Pecuniam adolescentulo, grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupasti, &c. Hodie iurisconsulti vocant venditionem sub redimendi redhibendique lege factam, cuius fiduciæ & in legibus, sed admodum obscura mentio existit, cùm fiduciariæ tutelæ & contractæ fiduciæ fit mentio, in Instit. & in l. Certi. ff. de rebus creditis. Vbi Vlpianus fiduciariam hæreditatem pro fideicommissaria ponit. Etiam procurator.) Qui scilicet aliqua negotia mandato domini administrat. l. 1. ff. de Procuratoribus. Adigere arbitrum.) Regundorũ finiũ

arbitri dicuntur, qui controuersias de finibus agrorum ortas componunt. l. de Modo agrorum. ff. de Iudicio finium regundorum. Porrò fines in agrorum tantum limitibus sunt. Arbitri igitur finium regundorum, in vrbe dari non possent. Iam argumentũ à simili nascitur: Si in vrbibus arbitri finium regundorum dari non possunt, ergo nec aquæ pluuiæ arcendæ arbitri in vrbe dari poterunt.

In Curiana causa.) Quæ est, Quidam grauidam vxorem relinquens, instituit hæredem posthumum, eique alium substituit secundum, cui Curio nomen erat, ea lege, vt si posthumus qui intra decem mensium decursum proximum in lucem ederetur, prius mortem obiret, quàm in suam, vt hic inquit Cicero, tutelam peruenisset, id est, antequam pubes factus esset, vt exponit Imperat. §. 1. Instit. de Substitutione pupillari, secundus hæres succederet. Quòd si posthumus id tempus attigisset, quo ei integrum esset hæredem agere, hæres secũdus, id est, Curius, non succederet. Iam quæstio fuit, An ista substitutio pupillaris aliquid momenti haberet: & Crassus exemplis plurimis firmauit, ita institutum hæredem, hæreditate potitum esse: quibus exemplis causam Curianã obtinuit. Quanquam vti etiam vos.) Cùm scilicet fingunt aut propositionem, aut causam: vt casus, de quo controuersia est, per simile quoddam intelligatur: vt si quis iurisconsultus diceret, quod non iure contrahitur, nullius momenti est. l. Non est vobis. C. de prædiis & alienãdis rebus minorum. & huic, vt intelligatur, exemplum admisceat huiusmodi: Veluti si quis rem non mancipi, id est, quæ abalienari non potest, mancipio dederit, id est, abalienauerit, vt sunt res sacræ, ædes, dona ad ministerium Dei dedicata. §. Res. Instit. de Rerum diuisione: & in Authẽticis, de Non abalienandis rebus Ecclesiæ: num idcirco id eius factum est, qui accipit? Vt muta etiam loquantur.) Sic apud Demosthenem in prima Olynthiaca, tempus verba facere introducitur: & apud Ciceronem patria Roma, in prima in Catilinam inuectiua. Quod fieri nullo modò potest.) Vt si dicamus: Si lapides possent dicere, non aliter atque ego, dicerent. vel, Hic saxa loquacitate rumpit.

COVEANVS. Sunt enim similitudines, quæ ex pluribus collationibus.) Similitudo ad docendum non ita multùm valet: quamobrem Iureconsulti ea vti non solent: Affert tamen aduersario, vt Rodolphi Agricolæ verbis vtar, tacitum quendam dissentiendi pudorem. Eius duo genera facit Cicero: vnum, Socraticam inductionem, quam Græci ἐπαγωγὴν vocant. potest & παραγωγὴ appellari. Ea est, quæ ex multis similitudinibus peruenit quò vult: hoc modo, Si vinum quod optimum, idem est generosissimum, si equus generosissimus qui optimus, si pomum: cur non & vir optimus idem sit generosissimus? Alterum similitudinis genus est, cùm vna res vni, par pari comparatur: hoc modo, Quemadmodũ si in vrbe de finibus ambigamus, non possis tamen me adigere arbitrum finibus regendis. sic enim fortasse scriptum fuit, non finibus regendis arbitrum adiicere. eodem modo dixit Cicero in oratione pro Roscio Comœdo, Quæ cùm ita sint, cur non arbitrum PRO SOCIO adegeris? Formulæ actionum sunt, FINIBVS REGENDIS, &, PRO SOCIO: quanquam adiicere arbitrum non improbo. Sic enim Iurecõs. in l. Cùm furiosus. de Iudiciis. & eodem tit. l. Iudex datus. & l. Quod si Ephesi. §. Interdum. De eo quod certo loco arbitrum addere dicit. Quemadmodum igitur si in vrbe de finibus ambigamus, non possis me tamen adigere arbitrum finibus regendis, quoniã hæc actio tota sit agrorum, quorum propriè fines dicuntur: ita si in vrbe aqua pluuia noceat, aquæ pluuiæ arcendæ non possis me arbitrum adigere: agrorum enim & hæc actio est. Duo igitur hæc similitudinis genera facit Tullius, tertiúmq; prætermittit, in quo duæ res cum duabus conferuntur: vt quemadmodum illa ad illam, sic hæc ad hanc se habeat: quæ mihi propria videtur similitudo: qualis hæc est, Quemadmodum vasa oris angusti superfusam humoris magnam vim respuũt: sic pueros si multa simul docere coneris, perturbes magis, quàm doceas. Quod ad exemplum primi generis attinet, Si tutor pupillo de dolo tenetur, ex quasi contracta, si socius socio, ita vt si aliter cõueniat pactum non valeat. l. Contractus. ff. de Regulis iuris. Si qui mandatum tuum receperit, si qui fiduciã abs te acceperit, hoc est is cuius tu fidem ita sequutus es, vt ei rem tuam ita mancipares, vt aliquãdo eam tibi remanciparet: debet & procurator, hoc est, is cui permiseris rem tuam agere aut defendere. Instit. de Satisdat. Qui tutor sit, & qui item socius, notum vulgo esse arbitror. Cõtractus fiduciarius qui sit, diximus ex Boëtio. Est autem bonæ fidei, atq; adeò optimæ: cuius formula erat, INTER BONOS BENE AGIER OPORTET: quemadmodum scribit Cicero ad Trebatium, in epistola cuius initiũ est, Mirabar. Cicero pro Flacco huius cõtractus meminit his verbis, Pecuniã adolescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauisti. Hãc fiduciam cõmissam tibi tenes hodie

ac possides. Eum tu testem spe recuperandi fundi paterni venire ad testimonium dicendum coëgisti. Pecuniam, inquit, fœneratitiam à te sumpsit adolescẽs, ob eámq; fundum tibi fiduciarium dedit, id est, fiduciaria mancipatione. Dare autem fiduciaria mancipatione, & pignori obligare, eò differũt, quòd pignus creditoris non sit, fiducia autem commissa eius fit cui committitur. Hinc nascebatur actio fiduciaria: cuius meminit Cicero tertio de Natura deorũ. Meminit & Liuius fiduciæ lib. secundo de bello Macedonico his verbis: Nabidi eam Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariam dare optimum visum est, vt victori sibi restitueret: siquid aduersi accidisset, ipse haberet. de Corintho loquens, quam Philippus Nabidi ea lege dederat, vt si victor ex bellis rediisset, Nabis ei restitueret. Quæ mihi videtur donatio causa mortis verius quàm contractus fiduciarius. Exemplæ sumuntur, vt Crassus in Curiana causa exemplis.) Hac de re Cicero in Bruto his verbis scribit, Nihil erat Crasso copiosius: idq; cùm sæpe aliàs, tum apud Centumuiros in M. Curij causa cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum pro æquo & bono dixit, vt hominem acutissimum Q. Scæuolam, & in iure, in quo illa causa vertebatur, peritissimũ, obrueret argumentorum exemplorúmque copia. Atq; ita tum ab iis patronis æqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cùm vterq; ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scæuola putaretur. Ac rursus eodem libro, Quare quis ex populo cum Q. Scæuolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa de qua antè dixi, quidquam politius aut elegantius, aut omnino melius aut expectaret, aut posse fieri putaret? Cùm is hoc probare vellet, Curium cùm ita hæres institutus esset, si pupillus antè mortuus esset quàm in suam tutelã veniisset, pupillo non nato hæredem esse non posse: quid ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato hæres institueretur? Quàm captiosum esset populo, quod scriptum esset negligi, & opinione quæri voluntates, & interpretatione disertorum scripta simplicium hominum peruertere? Quàm ille multa de authoritate patris sui, quũ semper ius illud esse defenderat? Quàm omnino multa de conseruando iure ciuili? Quæ quidem omnia cùm peritè & scienter, tum ita breuiter & pressè, & satis ornatè, & pereleganter diceret, quis esset in populo, qui aut expectaret, aut fieri posse quidquam melius putaret? At verò vt contrà Crassus ab adolescente delicato, qui in littore ambulãs scalmũ reperisset, ob eámq; rem ædificare nauem cõcupiuisset, exorsus est similiter Scæuolã ex vno scalmo captionis centũuirale iudiciũ hæreditatis effecisse. hoc in illo initio cõsequutus, multis eiusdẽ generis sentẽtiis delectauit, animósq; omniũ qui aderãt, in hilaritatem à seueritate traduxit: quod est vnũ ex tribus, quæ dixi ab Oratore effici debere. Deinde hoc voluisse eum qui testamentũ fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius nõ esset, qui in suã tutelã veniret, siue nõ natus, siue antè mortuus, Curius hæres vt esset: ita scribere plerosq;, & id valere, & valuisse semper. Hæc & multa eiusmodi dicẽs, fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officiis alterum. Deinde æquum bonum, testamentorũ sententias voluntatésq; tutatur est, quanta esset in verbis captio, cùm in cæteris rebus, tum in testamentis, si voluntates negligerentur: quantam sibi potentiam Scæuola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. Hæc cùm grauiter, tum ab exemplis copiosè, tum variè, tum etiam ridiculè & facetè explicans, eam admirationem assensionémque commouit, dixisse vt contrà nemo videretur. Idem Cicero in oratione pro Cecinna, Ornatè & copiosè L. Crassus homo longè eloquentissimus, paulò antè quàm nos in forum venimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit: & facilè, cùm contra eum prudentissimus homo Q. Mutius diceret, probauit omnibus, M. Curium, qui hæres institutus esset ita, mortuo Posthumo filio, cùm filius non modò non mortuus, sed ne natus quidem esset, hæredem esse oportere. Idem in secundo de Orat. In genere erat vniuerso rei negotiique, non in tempore ac nominibus omnis quæstio, cùm scriptũ ita sit, Si mihi filius gignitur, ísque prius moritur. &c. tum vt ille mihi sit hæres: Si filius natus non sit, videatúrne is qui filio mortuo institutus hæres sit, hæres esse. Quibus ex locis Ciceronis satis liquet quæ fuerit causa Curiana, & quid centumuiri de ea pronunciarint aduersus M. Coponium. qui tanquam agnatus Coponij cuiusdam hæreditatem ab intestato legibus rediisse ad se contendebat, quoniam ei hæres nullus extiterat ex testamento. non nato enim Posthumo substituto Curio, in hanc conditionem, si filius nasceretur, locum nõ esse: quam sententiam Q. Scæuola defendens, victus est à L. Crasso, cùm quidem ille pro stricto testamentorũ iure, hic pro æquitate diceret: videri enim in vtrunque euentum Curium substitutum, siue filius nasceretur, siue minimè. Quam sententiam sequutus D. Marcus est, quemadmodum testatur Mode-

ſtinus in l. Iam hoc iure. ff. de Vulg. & pupil. ſub. Iam, inquit, hoc iure vtimur ex D. Marci & veri conſtitutione, vt cum pater impuberi filio in alterum caſum ſubſtituit, in vtrunque caſum ſubſtituiſſe videatur: ſiue filius hæres non extiterit, ſiue extiterit, & impubes deceſſerit. Quod autem de impubere dicitur, idem de Poſthumo dicendũ eſt. Inſti. de Pub. ſubſt. Idem ſenſit Paulus in l. Paterfamiliàs. de Vulg. & pup. & Imp. C. de Impuberũ. in l. Quanuis. & Vlp. l. 2. §. Prius. de Vulga. & pup. ſubſt. Dicendũ itaque eſt, in vulgari ſubſtitutione pupillarem quoq; contineri, viciſſimq; in hac illam. Quod attinet ad verba teſtamenti, per filium filiã quoq; intelligimus, omnes denique liberos. l. filij. ff. de Verb. ſig. Decem autem mẽſes numerãdi ſunt à morte teſtatoris: in quibus, vti Gellius ſcribit, decemuiri naſci hominem voluerunt. Sed D. Hadrianus in quadam cauſa, vti ſcribit Gellius, decreuit mẽſe 11. edi partum poſſe. Plinius quoque refert, L. Papyrium Prætorẽ, ſecundo hærede lege agente, bonorũ poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum 13. mẽſibus tuliſſe ſe diceret, quoniam nullum ſtatũ pariendi tẽpus ei videretur. Cuius rei Maſſurium authorem laudat. In decem autem menſibus omnes vſque ad decimum numerandi ſunt, & totus decimus: quẽadmodum idem Gellius ſcribit. Mortuo porrò filium antequam in ſuam tutelam veniſſet, rectè ſubſtituit: quoniam poſt annum 14. non rectè hoc modo ſubſtituitur. Finge aliquem mancipio.) Siquis fecit quod iure non potuit, nil egit: exempli cauſa, Si pupillus teſtamenti tabulas ſcripſit, putatur non ſcripſiſſe: quemadmodum & ſiquis alienauit, quod alienari non potuit, rem ſacram ſcilicet, nihil egit: & quod alienare ſe putabat, eius qui accipit, effectum non eſt: neque ideo tum vlla ſe re obligauit, hoc eſt, euictionem præſtare nõ tenetur: quã qui mancipio dat, præſtat. vide Budæum in Pandectas. In maximis, & minimis quæſtionibus.) Maximæ quæſtiones ſunt Philoſophorũ & Oratorum: minimæ Iuriſconſultorum, quorum ſcientia in rerum mira ſubtilitate poſita eſt. Sic enim aliquanto pòſt ſcribit, Toto igitur loco cauſarum explicato, ex earum differẽtia in magnis quidem cauſis vel Oratorum, vel Philoſophorum magna argumentorum ſuppetit copia. In veſtris autem ſi non vberior, at fortaſſe ſubtilior. Vide Ciceronis orationem pro L. Murena.

COMMENTARIVS. Sed oratoribus.) Non cum philoſophi demonſtratores ſunt, tractant ſimilitudinem, ſed cum morales & politicas diſciplinas tractant, in quibus rarò demonſtratio locum habere poteſt, vt inquit Ariſtoteles. Iuriſconſulti autem olim rarò vtebantur ſimilitudine, niſi in exẽplis fictis. Hoc tempore autem frequentiſſimè, quia iuriſconſultorum & oratorum officium ſuſtinent. Abundantius occurrunt.) Itaque Cicero in libri calce admonebit, quoniam loci frequentius in aliquas quæſtiones cadant. Sunt enim.) Similitudo aut ad ornandum aut ad argumentandum pertinet. ad argumentandum adhibetur vt ſimplex ſimilitudo, aut ex multis collecta, quæ dicitur inductio. Simplex, vt ὁμοίωσις, parabola, icon, exemplũ tum verum tum fictum. addit etiam Cicero proſopopœiam & hyperbolen. Fidem præſtare.) Fidem præſtare aliquando eſt fideiubere. Hic autem ſignificare videtur, fidelitatem quam promiſiſti in re gerenda, exhibere. Sunt autem hi contractus bonæ fidei. ſi quid igitur contra fidem feceris, dictio erit in te. Fiduciam acceperit.) Fiduciam accipere eſt aliquid bona fide promittere, ad quod alioqui non eſſes obligatus. Inde dicitur fiduciaria venditio, quæ fit ſub redimendi & redhibendi lege. Hæc ex pluribus.) Tres ſunt inductiones: dialectica, quæ ex ſingularium enumeratione colligit vniuerſale: rhetorica, quæ collectione multarum ſimilitudinum aliquid colligit ſimile: Socratica, quæ à rhetorica differt enunciatione ſola. fit enim per interrogationem, atque eſt in primis acuta ad refellendum. Παραγωγὴ.) In codice Vallæ legitur ἐπαγωγή. Et hanc lectionem agnoſcit Boëtius. ſic enim à Græcis appellatur inductio, non παραγωγὴ, quæ dictio eſt elidenda. Plurimum eſt vſus.) Præſertim contra ſophiſtas, vt eos refelleret qui ſe ſcire omnia profitebantur. Alterum.) Ad hoc genus debet referri ὁμοίωσις, quæ eſt ex propinquo: & parabola, quæ eſt ex paulò longiori ducta. Præterea icon. i. imago. Quia fines.) Vlpianus libro 10. Digeſtorum ait actionum finium regundorum pertinere duntaxat ad prædia ruſtica. vnde duxit occaſionem argumenti Cicero. Adiicere non poſſis arbitrum.) Legendum eſt, adigere arbitrum, non adiicere, vt in vetuſta exemplari legitur, & apud Boëtium. Sic eſt loquutus Cicero 3. Officiorũ, Illum arbitrum adegit, id eſt, illum egit & compulit ad arbitrum. eſt autem propria phraſis iuris. Sic ſi aqua pluuia.) Vlpianus lib. 39. Digeſtorum ait, Aquæ pluuiæ actionem non habere locum in vrbibus. In illis enim ſic ſolet agi, quòd non liceat vel ſtillicidia vel flumina emittere. Ita ex iuriſconſultorum ſententia hæc actio duntaxat habet locum in agris. Ex eodem.) Exempla vera & ficta

quibus sæpe solent vti iurisconsulti (alioqui enim similitudine magna ex parte abstinent) ad hunc locum referuntur, sed illa sola quæ ducuntur à simili. Nam quædam oriuntur à dissimili, quædam à cõtrario, quædam à pari, maiori, minori. de quibus Fabius lib. 5. Exemplis plurimis vsus est.) In vetusto codice sic legitur: vsus est, qui testamento sic hæres institutus esset &c. deinde hæreditatem obtineret. Isque mortuus.) Hæc substitutio pupillaris appellatur à iurisconsultis, Nimirum cùm pater pupillum hæredem instituit hac conditione, vt si ante pubertatem moriatur, illi alius succedat hæres. Ficta etiam.) Hæc sunt argumenta quæ appellat per hypothesin Fabius, siue per fictionem: quæ fiunt cum aliquid ponitur, quod si verum sit, adiuuet aut soluat quæstionem. Ea tamen ait spargi per omnes locos, quia sunt totidem species fictæ, quot sunt veræ. Cicero magis restrinxit, & ad ea duntaxat redegit quæ ex conditione exempli vice sumuntur. Huc pertinent casus qui à iurisconsultis appellantur. Finge mancipio.) Non potest dari mancipio res quæ non est mancipi, id est, quæ abalienari non potest, nec in alterius dominium mancipari. Huiuscemodi sunt res sacræ, quæ in nullius sunt dominio, nec abalienari possunt, vt testantur iurisconsulti Titulo de rerum diuisione. Num idcirco.) Non valet obligatio quæ fit in fraudem, & contra præcepta iuris. Ius autem ciuile vetuit, ne huiusmodi res alienarentur. In hoc genere.) Non debet quis existimare hyperbolen & prosopopœiam argumenta esse à simili, sed accidentia argumentorum ad vim maiorem. vt cum Cicero dicere vellet, Si reuiuisceret Appius Cæcus, reprehenderet libidinem Clodij: quò maior esset vis, induxit Appium loquentem. Eodem quoque modo per hyperbolen argumentari poterimus à simili: Si Oceanus terras inundaret, non magis noceret quàm obfuit Alexander. Muta etiam loquantur.) Prior species propriè appellatur à Græcis prosopopœia, posterior idolopœia. est & tertia species, quam appellamus ethopœiam, cum persona certa est, & illi accommodatur oratio. Has omnes prosopopœiam appellat Fabius.

Sequitur similitudinem differentia, rei maximè contraria superiori: sed est eiusdem dissimile & simile inuenire. Eius generis hæc sunt: Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore authore soluas, ita quod aut pupillæ, aut pupillo debeas, rectè possis eodem modo soluere.

BOETIVS. Eiusdem facultatis est, similitudines differentiásque cognoscere. qui enim scit quid sit idem, nosse poterit quid sit diuersum. Omnis verò similitudo idem aliquid esse constituit. quod enim idem est secundum qualitatem: id simile esse necesse est. Omnes quippe res, aut substantia eadẽ sunt, aut qualitate, aut cæteris prædicamentis. quod si ita est, & animus intelligere hoc idem in pluribus prædicamentis potest. sed cum hoc ipsum idem in prædicamentis notat, eodẽ modo in eisdem prædicamentis, quod diuersum est intuetur: sed simile idem est, differentia verò diuersum. Idem igitur animus, eadémque intelligentia similitudinem differentiámque cognoscunt. Differentiarum verò multæ sunt species. aliæ quippe sunt substantiales: vt homini rationale: aliæ non substantiales, sed inseparabiles: vt nigrum Aethiopi atque coruo: aliæ verò mobiles neq; constantes, vt sedere, stare, & huiuscemodi cæteræ, quibus & ab aliis hominibus & à nobisipsis sæpe distamus. Item differentiæ aliæ aliquo modo sunt generum diuisibiles, aliquo modo verò specierum constitutiuæ. Sed si à constitutiuis argumentum ducatur: velut à genere ducitur. Nam sicut genus continet speciem: ita differentiæ continent species. Sanè si differentiæ constitutiuæ vt genera intelligẽtur: fides ab his ad ea aptabitur quæ constituunt. hæc enim talium differentiarum veluti quædam formæ sunt. Sin verò sint diuisibiles, siquidem ad ea probanda, quæ diuidunt, earum ducitur fides, à forma argumentum fieri videtur. nam tales differentiæ eorum quæ diuidunt, formæ quædam sunt. quòd si ad ea probanda referuntur, quæ in contrariam partem genus diuidunt, tunc propriè à differentia fieri argumentum videtur. quia contrariæ veluti differentiæ comparantur. Quod verò ad exẽplum attinet Tullij, huiusmodi est, Mulieres antiquitus perpetua tutelæ tenebantur: pupilli item sub tutoribus agunt. sed mulieribus siquid debitum fuisset, sine tutoris authoritate poterat solui:

pupillis verò minime. Ergo si quæratur, an id quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore possit exolui: à differentia sumitur argumentum, sic, Non sicut mulieri sine tutoris authoritate debitum possis exoluere, eodem modo nisi authoritas tutoris accesserit, pupillo soluere quod debeas, possis. Illæ enim perpetua tutela etiam prouecta iam ætate continentur: illorum tutelæ certus annorum numerus terminum facit: atque idcirco solui pupillo sine tutoris authoritate nō poterit. Differt enim persona mulierum à persona pupillorum, vel in eo quòd pupilli non perpetua reguntur tutela: mulieres verò perpetua. vel quòd pupillus nullum suæ etiam ministrandæ vtilitatis iudicium habere potest: cum sit aliquis mulieribus, etsi non firmus, in explicanda familiaris rei vtilitate delectus.

VISORIVS. Sequitur similitudinem differentia.) Cicero differentiam pro dissimilitudine ferè semper vsurpat. Est autem differētia, siue dissimilitudo, rerum diuersarum diuersa qualitas. quale est hoc exemplum Quintiliani: ~~Vox illa præceptoris non vt cœna pluribus minus sufficit, sed vt sol vniuersis idem lucis & caloris largitur.~~ Differentiarum à dialecticis triplex genus fieri solet. vna est differentia, quæ communis appellatur, vt mouere, quiescere. Altera propria est, vt cicatrix, sanitas. Alia substantialis, vt rationis particeps. Prima separabilis est, inseparabilis secunda, sed vtraque aduentitia. Tertia verò quanuis inseparabilis, tamen ingenita est, non autem aduentitia. Sed est eiusdem simile.) Tametsi dissimilitudo similitudini maximè contraria est, in eodem tamen similitudinem & dissimilitudinem facilè reperies: id quod prima facie repugnās apparet. nam contraria simul esse in eodem non possunt. Sed soluitur. Certum est id quod est alteri simile, non esse eidem dissimile in ea re, in qua simile est. tunc enim contraria sunt. At cum Cicero dixit, eiusdem esse dissimile & simile inuenire: sic intelligendum est, aliquid alteri vna in re simile esse, quod eidem in altera re dissimile est. Nam, vt ait Quintil. cap. de Præiudiciis, lib. 5. ~~vix vlla res alteri per omnia similis est.~~ Idem cap. de Exemplis inquit: In simili dissimilitudinem reperiri posse, vt apud Vergilium,

~~Sic catulos similes canibus sic matribus hœdos.~~

Sunt certè similes genere, sed ætate dissimiles. sic muscam elephanto dissimilem esse dicimus, nempe magnitudine, genere tamen est similis. nam musca & elephantus animal est. Verùm Quintilianus has similitudines & dissimilitudines in eadem re deprehensas minus acutas, parúmque vtiles esse dicit. quare aptius & cōuenientius exemplum demus, quod licet vt simile adferatur, tamen vt dissimile refutetur. Ergo dicamus: Quemadmodū Seruilius Hala Spurium Melium iure occidit, ita Scipio Nasica Tyberiū Gracchum meritò interfecit. Vides hoc exemplum ad defensionem Scipionis Nasicæ tanquam simile proferri, veruntamen dissimile esse sic ostenditur: Seruilius Hala magister equitum erat, & Scipio Nasica priuatus. Deinde Spurius Melius regnum affectabat: Tyberius verò Gracchus leges Agrarias & populares ferebat. Non quemadmodum quod mulieri debeas.) ~~Quemadmodū mulieres perpetua tutela tenebantur nisi nupsissent, ita pupilli non in sua, sed in tutoris erant potestate.~~ Quare hoc in mulieribus & pupillis simile est, vt in tutela sint: verùm illud dissimile, quòd pupilli tutela perpetua nō tenebantur. Nam cū ad pubertatē venerāt, suæ potestatis erant, & tutela cessabat. Mulieres verò semper in tutela, quādiu viuebant, erant, nisi nupsissent. Insuper hoc quoque refert: Si quid mulieri debebatur, illud eidem sine tutore solui poterat. si quid contrà pupillo debeatur, sine tutore solui non potest. nam illa licet iudicium infirmum, iudicium tamen habet, illique est in explicanda rei familiaris vtilitate delectus: hic verò non modò infirmo iudicio est, sed planè nullo. Bene itaque Celsus iurisc̄ōsultus inquit, ~~Pupillus nec velle nec nolle in ea ætate, nisi apposita tutoris authoritate, creditur.~~ Nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas nō necessaria est. Est autē pupillus, secundum Pomponium, ~~qui cum impubes est, desiit in potestate esse, aut morte, aut emancipatione.~~ vel (vt Grammatici definiunt) ~~qui caret quidem patre, sed tantisper dum est in ea ætate cui adhibetur tutor~~, id est, quandiu impubes est. nam vbi pubes esse cœpit, id est, ad pubertatē venit, sui iuris est & potestatis. Sed antequā ad alia veniamus, hoc præceptum similitudinis demus, vt diligenter caueamus, ne similitudinum species nos fallant. Est enim (vt inquit Quintilianus) adhibendum iudicium. vt hæc est similitudinis species, quæ fallit: Sicut nauis noua melior est quàm vetus, sic amicitia noua melior est quàm vetus. item, Quemadmodum mulier laudanda est, quæ pluribus pecuniam suam largitur: sic ea quoque vituperandæ non erit, quæ formam suam pluribus communicat. Vtrobique verba sunt similia, nouitatis & largitionis, sed vis longè diuersa.

LATOMVS. Non quemadmodum quod mulieri.) Mulieres quondã sub perpetua tutela erant, donec in manum viri conuenissent: pueri ad certũ tempus, sicut hodie. Ergo in hoc conueniebant, quòd vtrique sub tutela erant. Differebant autem, quòd mulieres firmiore consilio sunt, quàm pupilli: quapropter idem ius de vtriusque statuendũ non erat: de quo vide Instit. Quibus alienare licet, vel non. Sed mulierum tutela iam olim sublata est.

HEGENDORPHINVS. Ita quod aut pupillæ.) Differt verò persona mulierũ à persona pupillorum, quòd illæ perpetua tutela gubernantur, hi verò cum puberes esse cœperint, à tutela liberantur. §. 1. Instit. Quibus modis tutela finiatur.

COVEANVS. Non quemadmodum quod mulieri debeas.) Quanquam & mulieres & pupilli sub tutoris potestate sint, mulieri tamen rectè solui potest sine tutoris authoritate: pupillo qui ita soluit, non liberatur. Nam neque hæreditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hæreditatem ex fidei commisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris authoritate, quanuis illis lucrosa sit, ne vllum scilicet damnum habeant. De mulierum perpetua tutela nihil in libris Pandectarum legimus: quin contrà legimus, emancipari, suíque iuris fieri non aliter quàm mares posse. Cicero tamẽ in oratione pro Murena his verbis scribit, Nã cùm multa præclarè legibus essent constituta, ea Iureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilij maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Idem pro Cecinna, Quod mulier sine tutore authore promisit, non debetur. De qua tutela legitima intelligendum puto Ciceronis illud in oratione pro Flacco. Vsu, inquit, non potuit: nihil enim potuit de tutela legitima sine omnium tutorum authoritate diminui: loquens de muliere quæ omnia sua bona doti dixerat. Dicendum igitur est, legibus duodecim Tabularum constitutam perpetuam hanc mulierum tutelam, sublatam postea fuisse, vt pleraque alia. Plus tamen esse consilij in fœmina 12. annorum, quàm in mare 13. eadem leges duodecim tabularum statuebant: credo quòd celerior sit cursus fœminarum, vt pubertatis, sic etiam prudentiæ.

COMMENTARIVS. Sequitur similitudinem differentia.) In quodam scribitur, differentia rei: in quodam, differentia, res maximè. De ea autem dicit tam quæ posita est in qualitate essentiali, quàm accidentali, more similitudinis. *Sed est eiusdem.)* Idem ferè aiunt dialectici, qui tamen esse cognitionem contrariorum dicunt. quod adeo verum est hac in re, vt dissimilitudo colligatur ex priuatione similitudinis. Cæterùm hunc locum Cicero verius repetit, quàm quo pacto tractari debeat exponit, quia nihil videbatur habere tractatione dignum. *Non quemadmodũ.)* Mulieres olim propter infirmitatem sexus perpetuò erant sub tutorum potestate, nisi fortè statum mutassent, ac se capite diminuissent per cœmptionem. *Ita quod.)* Huc pertinent ea quæ scribuntur libro primo Institutionum de tutoris potestate, quæ rebus pupilli debet interuenire, nisi fortè sit huiusmodi stipulatio, qua pupillus id petat quod sibi semper futurum sit lucro.

Deinceps locus est qui à contrario dicitur. Contrariorum autem genera sunt plura: Vnum eorum, quæ in eodem genere plurimum differunt: vt sapientia, stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tanquam è regione quędam contraria, vt celeritati tarditas, non debilitas. ex quibus contrariis argumenta talia existunt: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: & bonitatem, si malitiam. Hæc quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur aduersa. Sunt enim alia contraria, quę priuantia licet appellemus Latinè, Græcè appellantur στερητικά. Præpositio enim IN priuat verbum ea vi quam haberet, si IN præpositum non fuisset: vt dignitas, indignitas: huma-

nitas, inhumanitas, & cætera generis eiusdem. Quorum tractatio est eadem quæ superiorum, quæ aduersa dixi. Nam alia quoque sunt contrariorũ genera, velut ea quæ cum aliquo cõferuntur, vt duplum, simplum: multa, pauca: longum, breue: maius, minus. Sunt etiam valde contraria alia, quæ appellantur negantia: ea ἀποφατικὰ Græci, contraria aientibus: vt, si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantum intelligatur argumento quærendo, Contrariis omnibus contraria non conuenire.

BOETIVS. Diuiso differentiæ loco: nunc de contrariis tractat. Atque vti rerum ordo clarius colliqueſcat, pauca mihi ex Aristotele sumẽda sunt: quæ ille vir omnium longe doctissimus de hac diuisione tractauit: quanquam M.T.re quidem Aristoteli ferè consentit, sed ab eo nõ minum interpretatione diuersus est. Nam quæ Aristoteles opposita, id est ἀντικείμενα vocat: ea Tullius contraria nominat. Sed hæc paulò posterius: nunc Aristot. diuisio cõsyderetur. Oppositorũ igitur secundũ Aristot. alia sunt contraria, alia priuatio & habitus, alia relatiua, alia contradictoria. Cõtraria quidem, vt album atque nigrũ. Habitus verò & priuatio, vt visus & cæcitas, dignitas & indignitas. Relatiua verò: vt, pater filius, dominus seruus. Cõtradictoria: vt, est dies, non est dies. Horum omnium tales inter se differentiæ consyderantur. Nam quæ contraria sunt, partim mediata sunt, partim verò medio carent. Mediata sunt, vt album & nigrum: est enim horum medius quilibet alius color, vt rubeus vel pallidus. Et horum contrariorum non necesse est alterum semper inesse corporibus. Neque enim omne corpus aut album aut nigrum est, sed aliquoties in horum medietate est constitutum, vt sit rubrum vel pallidum. Immediata verò contraria sunt, quorum nihil medium poterit inueniri: vt grauitas & leuitas. horum enim nihil est medium. Nã quæ leuia sunt, sursum feruntur: quæ grauia, deorsum. Quod autem sit corpus quod neque sursum, neque deorsum feratur, nihil poterit inueniri. Sed immediata contraria talia sunt, vt alterum eorum cui potest accidere, semper inhæreat: vt in proposito superius exemplo. Necesse est enim omne corpus vel leue esse, vel graue, quia leuitas & grauitas medium non habent quod præterea inesse corporibus possit. At ea quæ in priuatione & habitu sunt, vt cæcitas & visus, distant quidem ab his contrariis, quæ claudunt aliquam medietatem, quòd ipsam medietatem non habent. ab his verò contrariis differunt quæ sunt immediata: quoniã horum contrariorum alterũ semper subiecto inesse necesse est: vt corpori grauitatem vel leuitatem: priuationem verò & habitum, nõ semper, vt cum sit habitus quidem visus, priuatio autem cæcitas: non omne quod videre potest, aut videt aut cæcum est. Infans quippe nondum editus, neque videt, quia nondum processit in lucem: neque cæcus est, quia nondum habuit visum, quem potuisset amittere. Idem de catulis dici potest, qui statim nati nequeunt intueri: nam tunc eos nec cæcos dicere possumus, nec videntes. Et postremo, contraria semper in suis qualitatibus cõsyderantur. priuationes autem, non quòd ipsæ sint aliquid, sed ex habitus absentia colliguntur. neque enim cæcitas est aliquid, sed à visus intelligitur abscessu. tam verò priuatio quàm cõtrarietas differt à relationis oppositione, eò quòd neque contraria, neque priuatoria simul esse possunt. idem enim vno eodémque tempore, vno eodémque in loco albũ nigrúmque, vel videns cæcúmque esse non poterit. Sed relatiua à se nequeũt separari. neq; enim potest esse filius sine patre, nec seruus si dominus non sit. Amplius, contraria ad se & priuatoria non referuntur. Nemo enim dicit album nigri, vel nigrum albi, vel cæcitatem visus, vel visum cæcitatis. Quæ verò in relatione sunt posita: in ipsa relationis prædicatione consistunt, vt duplum dimidii, dominus serui, & cætera ad hunc modum. tam verò contraria, quàm etiam relationes differunt à contradictionibus: quòd contradictiones quidem semper in oratione consistunt, & in altera earum parte veritas, in altera falsitas inuenitur. contraria verò & priuatoria, & relationes, in simplicibus partibus orationis: & in his neque veritas neque falsitas inest. nam cum dico album, nigrum, cæcitas, visus, dominus, seruus,

ſimplices orationis partes ſunt, neq; verũ, neq; mendacium continentes. in ſimplicibus enim partibus orationis veritas vel falſitas nulla eſt. cùm autẽ dico, dies eſt, dies nõ eſt: vtræq; propoſitiones, vna in affirmatione, altera in negatione poſita, orationes ſunt. Sed M. Tullius nõ tam propriis nominibus quàm notioribus vtitur, ait enim, Contrariorum alia eſſe quæ aduerſa vocentur, aliæ quæ priuantia, alia quæ in comparatione ſint, alia quæ aientia & negantia nuncupãtur. Sed quæ contraria nominat, oppoſita verius dicerentur. quæ aduerſa dicuntur, contrariorum melius ſuſciperẽt nomen. quæ in collatione nominat, ea relatiua, vel ad aliquid certius vocarentur. ſed vtatur nominibus vt volet, dum res ipſæ certa proprietatis ſuæ ratione ſignentur. Nos verò in cæteris quos edidimus libris, eo nuncupauimus modo, quo ſuperius in Ariſtotelis dictũ eſt diuiſione. Secundum Marcum Tullium igitur, contrariorum alia ſunt aduerſa, vt ſapientia, ſtultitia: alia priuantia, vt dignitas & indignitas: alia verò quæ cum aliquo conferũtur, vt duplum, ſimplum: alia verò quæ appellantur negantia, e contrario aientibus conſtituta, vt ſi hoc eſt, illud non eſt. Aduerſa igitur ſunt, quæ ſub vno genere poſita plurimum differunt: vt album nigrúmq; à ſe plurimum diſtant, ſub vno genere poſita, ſub colore. Item celeritati tarditas aduerſa eſt: poſitis vtriſq; ſub motu. neq; enim celeritati debilitas opponenda eſt: quia debilitati firma valetudo contraria eſt. quod in diuiſione omiſit Cicero, ſed docuit exemplo. Illa quoq; dicuntur aduerſa, quæ in diuerſis generibus ſita, plurimum à ſe diſcrepare intelliguntur, vt ſapientia ſtultitiæ. Illa enim ſub genere boni eſt: hæc verò ſub mali, quanquam huiuſmodi exemplum priuationem potius ſpectare videatur. nam ſtultitia priuatio ſapientiæ eſt: nec quicquam eſt aliud ſtultitia, niſi ſapientiæ & rationis abſentia. Sed quæ ſint, quæ priuantia Cicero appellet, poſterius demonſtrabo. Ex his hoc modo argumenta ſumentur, Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur. ſi bonitatem appetimus, malitiam fugiamus. quanquã malitia quoq; ſecundum eundem modum qui ſuperius dictus eſt, priuationibus poſſit adiungi. Priuantia verò ſecundum Ciceronem ſunt, quæ Græcè στερητικὰ appellantur: quæ habent eam partem orationis præpoſitam, quæ cùm fuerit adiecta, ſemper ferè aliquid demit. ea eſt I N præpoſitio: hæc enim ſyllaba cui fuerit appoſita, demit ferè aliquid ex ea vi quã eſſet res quælibet habitura, ſi I N ſyllabam præpoſitã non haberet, vt humanitati inhumanitas, nanq; præpoſita I N, id de quo dicitur, humanitate priuauit, vt dignitas & indignitas. Et Tullius quidem ea tantũ priuantia eſſe confirmat, in quibuſcunq; ſyllaba iſta præponitur. priuantium quippe natura ſecundum Tullium huius ſyllabæ commemoratione finitur. A Peripateticis verò accepimus priuationes tum ſimplicibus nominibus, tum etiam priuatoriis ſyllabis efferri. ſimplicibus nominibus, vt cæcitas: cũ priuantibus verò ſyllabis, vt indignitas, inhumanitas. Quocirca ſecundum M. Tullium cæcitas non erit priuatio viſus, ſed ei aduerſum. atque idcirco forſitan ſtultitiam inter aduerſa numerauit, quoniam non habet I N ſyllabam, ex qua priuationes arbitratur exiſtere. Ex quibus eodem modo vt in ſuperius poſitis aduerſis, argumenta ducuntur. Inhumanitatem auerſemur, ſi humanitas conſectanda eſt. Illa verò contraria, vt ait Tullius, quæ cum aliquo conferuntur, talia ſunt, vt duplum ſimplici. Id tantundem eſt, tanquam ſi diceret, duplum dimidij. ſimplum enim, dupli dimidium eſt: & pater filij. Eáque ſunt ſemper reciprocantia, aliquoties quidem ſeptimo caſu, aliquoties verò genitiuo: nam filius, patris eſt filius, & pater filij: hæc ſecundum genitiuum conuerſio eſt. & duplum ſimplo duplum eſt: hæc ſecundum ſeptimum caſum. ſunt etiam quæ accuſatiuo, vt pauca ad multa, & magnum ad paruum. Item negantia ſunt, quæ in affirmationibus & negationibus poſita ſunt, vt ſi hoc eſt, illud non eſt. veluti ſi dies eſt, nox non eſt. atque hanc oppoſitionem Cicero dicit valde eſſe contrariam. Ex quibus omnibus ſecundum ſuperius dictum modũ argumentorum facultas eſt. nam ex relatiuis contrariis ita ſumimus argumentum: Si pater eſt, fieri non poteſt quin ei filius ſit. Ex negantibus autem, quæ ἀποφατικὰ, vt ait, Græci vocant, ita: ſi ſol ſupra terram fuit, nox eſſe non potuit: hæc enim affirmatio illam perimit negationem. Cur verò hæc negantia eſſe conſtituerit, mirandum eſt. Nam quæ negantia ſint, aientibus opponuntur, & ſimul eſſe non poſſunt: vt diem eſſe ac diem non eſſe. hoc vero eſt conſequens cum ita dicatur, Si hoc eſt, illud non eſt: vt ſi dies eſt, nox non eſt. Atqui affirmationem negationémque valde Tullius dicit eſſe contrariam, ſed in hac conſequentia nequeunt eſſe contraria. Nam quod eſt conſequens, contrarium non eſt.

VISORIVS. Deinceps locus eſt qui à contrario dicitur.) Cicero contrarium dicit, ſpeciei nomen loco generis vſurpãs. Nam contrarium ſpecies eſt oppoſiti, & oppoſitum cõtrarij genus. Quare Cicero non tam propriis, quàm ſignificantibus & apertis vſus eſt. Boëtius ſanè commodius

oppoſita dici putauit, quàm contraria: quoniam ea quæ Græci τὰ ἀντικείμενα vocant, Latini contrariæ dicerent: quæ Cicero quidem aduerſa vocauit. Quæ verò Græcè ἀντικείμενα dicuntur, Latinè oppoſita transferuntur. Nos ergo, quoniam ita vſus voluit, oppoſita vocemus, quæ contraria Cicero nominauit: & quæ Cicero dixit aduerſa, contraria dicamus. Sunt igitur oppoſita, ſicut Rodolphus ait, quæ certo ductu vnum vni ſic repugnant, vt neque alterum de altero, neque ambo de tertio dici poſſint. Sed Rodolphi pace dixerim, vnũ non tãtùm vni, ſed & aliquando multis opponi: id quod Ariſtoteles in ſuis Categoriis, cap. de oppoſitis luculentiſimè teſtatur. quo in loco dicit, malum non ſoli bono, verumetiam malo contrarium eſſe: vt timiditas non fortitudini ſolum, ſed audaciæ etiam contraria eſt. Denique mediocritas virtutum vtrique extremo vitioſo, id eſt exceſſui & defectui contraria pugna reſiſtit: id quod in Moralibus libris idem autor apertè docet. & Horatius quoque, qui ſic ait:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum. id eſt,
Virtus eſt medium vitiorum vtrinque redactum.

Vnde liquet, vnum non vni tantum opponi: licet Ariſtoteles in Metaphyſicis ſecus ſentire videatur. Oppoſitorum autem genera ſunt quatuor. cõtraria, vt virtus & vitium: priuantia, vt eloquentia & infantia: relata, vt dominus & ſeruus: & quæ contraria aientibus dicuntur, vt ſedet, non ſedet. Contraria ſunt, quæ in eodem genere, quemadmodum Cicero definit, plurimum differunt. ea à Cicerone aduerſa vocantur. vulgus dialecticorũ ita deſcribit: Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum diſtant: ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſeſe expellunt, modò alterum eorum ſubiecto natiuũ non ſit, vt virtus & vitium ſub eodẽ ſunt genere, puta ſub conſuetudine, id eſt conſtanti affectione, quã habitum vulgò nominant. deinde plurimum inter ſe diſtant: nam virtus eſt vitij fuga, vitiũ virtutis inimicum. Deinde ſubiecto viciſſim inſunt. nã ex ſtudioſo poteſt quis vitioſus, & ex vitioſo ſtudioſus fieri. ſunt enim virtutes & vitia in manu & poteſtate noſtra. neque verum ſemper eſt id quod poëta quidam cecinit:

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Præterea mutuò ſeſe expellunt contraria. nam vnius præſentia & incolumitas, alterius eſt pernicies & interitus. Sed interim difficultas oritur, quòd cum Cicerone contraria in eodem genere poſuerim: cui ſententiæ Ariſtoteles 4. Topicorũ repugnat. illic enim ſcribit, cõtrarias ſpecies non ſemper eiuſdem generis eſſe, ſed tum demum, cum generi nihil contrarium eſt. nam ſi quid generi contrarium fuerit, tum contraria ſub contrariis generibus reponuntur: vt iuſtitiæ genus eſt virtus, iniuſtitiæ quoq; vitium genus. Quare contraria interim genera ſunt, interim ſpecies eiuſdem generis, interim diuerſorum. Itaque malè definiri videntur contraria, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum inter ſe differunt. Inſuper non ſolum Ariſtoteles Ciceroni, ſed ipſe quoque Cicero ſibimetipſi repugnare videtur, qui ſic in Rhetoricis contrarium definit: Contrarium eſt, quod in diuerſo genere poſitum, plurimum ei repugnat, cui contrarium eſſe dicitur. Verùm hæc obiectio ſic diluitur. Certum eſt, generũ alia eſſe proxima, alia remota: vt antè Cicero cum de genere loqueretur, docuit: item alia eſſe ſuprema, alia verò intermedia. Ita conraria ſub eiſdem generibus ſummis vel remotis reconduntur. ſub diuerſis intermediis aut proximis aliquando ſita ſunt, vt iuſtitia & iniuſtitia, licet ſub diuerſis generibus collocentur, virtute & vitio, quæ proxima ſunt: ſub vno tamẽ & eodẽ remoto genere, puta conſuetudine vel qualitate, vt de ſummo quoq; genere dicam, reponuntur. Contraria Rodolphus aliter quàm definiuimus exponit, hoc modo: Contraria ſunt oppoſita, quorum vtrũq; poteſt ſimul exiſtere, & alterum ſine altero eſſe. poſſunt quidem ſimul exiſtere, quatenus contraria ſunt. Nam quod contrarium eſt, alteri contrarium eſt. Itaque vnius contrarij non habetur cognitio, niſi alterũ contrariũ cognoſcatur. id quod Chryſippus apud Gel. cap. 1. lib. 6. teſtari videtur, qui ſic inquit: Nihil eſt prorſus iſtis inſipidius, qui opinantur bona eſſe potuiſſe ſi nõ eſſent itidẽ mala. Nam cum bona malis contraria ſint, vtraque neceſſariũ eſt, oppoſita inter ſeſe & quaſi mutuo aduerſo quæque fulta niſu conſiſtere, nullũq; adeò cõtrarium eſſe ſine contrario altero. quo enim pacto iuſtitiæ ſenſus eſſe poſſet, niſi eſſent iniuriæ? aut quid aliud iuſtitia eſt, quàm iniuſtitiæ priuatio? Quî item fortitudo intelligi poſſet, niſi ex ignauiæ oppoſitione? Quî continentia, niſi ex intemperantiæ? Quo item modo prudẽtia eſſet, niſi foret imprudentia? Proinde, inquit, homines ſtulti cur

non hoc etiam desiderant, vt veritas sit, & non sit mendacium? Nanque itidē sunt bona & malæ fœlicitas & infœlicitas, dolor & voluptas. Alterū enim ex altero, sicuti Plato ait, ~~verticibus inter se contrariis deligatū est. Si tuleris vnum, abstuleris vtrunque.~~ Vnde paratū est colligere, contraria simul existere: sed sic vt diximus, si contraria inter se conferantur, & alterum cum altero cōparetur. Si verò vtraque simul, etiā alterum cum altero tūc esse reperietur. De cōtrariis hactenus. Ad priuatiua veniamus. ~~Est autem priuatio, defectus rei, in eo quod rem eam habere natū est. vt cæcitas luminis defectus est, non in quouis. nam lapis cæcus non dicitur, quia videre natus non est:~~ sed in anima, eo demum tempore quo videre potest, & nō videt. Cic. priuantia secus accipit, quippe quæ particula In, nominibus præposita definiat. Dicit enim priuatione In, priuari verbum ea vi quam haberet si In præpositum nō fuisset. Sed vt ex Aristo. disciplina liquet, non semper In particula priuat, verùm aliquando contrarium reddit, vt iniustitia & improbitas, nō tam priuatio iustitiæ & probitatis est, quàm contrarium. Nā priuatio tollit tantū, & negat: ~~contrarium non tollit, neque negat, sed affirmat.~~ Insuper præpositio In, nonnunquam auget vocabulum, si vocabulo præposita fuerit: vt Eras. lib. priore de Copia notauit. & eo in sensu apud iuris. vsurpari docuit, apud quos indifficilis pro valde difficili ponitur. Deinde multa priuantia reperiuntur, quibus particulæ In præposita non est, vt mutus, surdus, cæcus, claudus. & pleraque alia, quæ nihilominus tamen priuatiua sunt, & στερητικὰ Græcè vocātur. Quorum tractatio est eadem quæ superiorum, &c.) Dicit Cic. contrariorū & priuantium eandem tractationem esse, sed verúmne sit, an secus, videamus. Primùm secus habere videtur. ~~Nam à cōtrario in cōtrarium mutuus est trāsitus, & ab vtroque ad alterum regressus.~~ Quanuis autem ab habitu ad priuationem sit transitio, ~~à priuatione tamen ad habitum nō est regressus~~, vt Aristot. in Categoriis ostendit. quòd autem in sacris literis legas, cæcos videre, claudos ambulare, surdos audire, mutos loqui, non id naturæ sponte, sed mirando prouidētiæ diuinæ dono fit. Legitur tamen apud Gell. & Herod. Crœsi filiū, & quempiam Samium athletam mutos fuisse, deinde verò per omne vitæ tēpus non turbidē, neq; adhæsē locutos. De quibus Gell. cap. 9. lib. 5. sic habet. Filius Crœsi regis cum iam per ætatē fari posset, infans erat, & cū iam multū adoleuisset, item nihil fari poterat. mutus autem & elinguis diu habitus est. Cum verò in patrem eius bello magno victū, & vrbe in qua erat capta, hostis gladio educto regē esse ignorans inuaderet, diduxit adolescēs os, clamare nitēs, eoq; nixu atque impetu spiritus vitiū nodumq; linguæ rupit, planeq; & articulatè eloquutus est, clamās in hostem, ne rex Crœsus occideretur. Tū & hostis gladium reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsus deinceps incepit. Herodotus in historiis huius memoriæ scriptor est, eiúsq; verba sunt quæ prima dixisse filiū Crœsi refert, ὦ ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Sed & quispiā Samius athleta, nomē illi fuit ἄγλως, cū antea loquens nō fuisset, ob similem dicitur casum loqui cœpisse. Nam cum in sacro certamine sortitio inter ipsos & aduersarios nō bona fide fieret, & sortem nominis falsam subiici animaduertisset, repēte in eū qui id faciebat, sese videre quid faceret, magnum exclamauit, atq; is oris vinculo solutus, per omne vitæ tēpus ~~nō turbidè neq; adhæsē loquutus est.~~ Itaque ~~vel nullus est, vel admodū difficilis à priuatione ad habitū regressus.~~ Quocirca nō eadem est contrariorum & priuantium tractatio, nisi aliter interpreteris, vt Ciceronem intellexisse non ambigo, Sic, quēadmodum ab affirmatione vnius cōtrarij ad negationē alterius argumentatio rara est: ita ab affirmatione habitationis ad negationem priuationis argumētari licet: vt sapiens est, igitur stultus nō est: loquitur, ergo nō est mutus. vel etiā sic: si stultitiam fugimus, sapientiā sequamur: Si malū est infantia, eloquentia bonū est. sed hæc de priuātibus satis, ad relata progrediamur. ~~Relata sunt, quæ cū aliquo conferuntur: id est, quæ mutuam inter se relationem seruāt, vt dux & miles, præceptor & discipulus.~~ ea vulgus ad aliquid vocat, quòd vtriusq; ratio ex alterius notione & intelligentia pendeat. Ex hoc loco manifestū euadit, quàm malè Boëtius res affectas ad id de quo quæritur definiuerit, cū eas ad aliquid esse diceret. i. sub relatis reponeret, quæ sub oppositis sunt, vel vt ait Cic. sub cōtrariis. Contraria verò, decimumtertium locū rerum affectarū efficiunt: quo fit, vt ambitu suo res affectas non comprehendant. Sed huius erroris tam manifesti studiosos admonuisse satis est. quocirca ad reliqua transeamus, & de cōtradicentibus dicamus. ~~Sunt autē contradicentia, quorū vno negatū est, quod altero est affirmatum: vt pluit, nō pluit: friget, nō friget.~~ Ea Cicero contraria aientibus vocat: apud Græcos ἀποφατικὰ dicūtur. Sed antequā finem faciamus, hoc animaduertendū est quod Cic. dicit, nempe hæc esse cōtradicentia: Si hoc est, illud nō est. in quo notes, id non negari quod antè fuit affirmatū: nam

perinde est ac si dixisset, Si dies est, nox non est. Tantum intelligatur argumento quærendo, contrariis omnibus contraria non conuenire.) In hoc quadruplici oppositorum genere notãdum est, ab vnius affirmatione ad alterius negationem, certam & firmam argumentationem esse: vt, Si probus non est, igitur improbus: Si videt, igitur non cæcutit: Si imperator eius est, nõ igitur eius est miles: Si Socrates philosophatur, non philosophari non verum est. Complectimur etiam nonnunquã hinc inde opposita, atque directè probamus: vt, Si lucrum est habere, damnum est perdere: Si vtile est possidere, inutile est amittere. & ita de reliquis.

LATOMVS. Deinceps locus est.) De contrariis suprà dictum est. Hic tantummodo dicendum est, contraria, quæ Cicero aduersa appellat, inter qualitates duntaxat reperiri: vt calidum & frigidum, humidum & siccum, tarditas & celeritas, quæ plurimum inter se distant, nec vnquam simul in eodem subiecto esse possunt. Præpositio enim IN, priuat verbum.) Declarat hoc genus ex vi nominum, sed id perpetuum non est, quoniam multa ex hoc genere aliis nominibus efferuntur: vt viuum & mortuum, integrum & mancum, lux & tenebræ: in quibus omnibus alterum significat despoliationem alterius in subiecto, in quo inesse natum est. nam hæc propriè priuantia dicuntur, neque vnquam fallunt.

COVEANVS. Vt celeritati tarditas, non debilitas.) Etsi celeritas & debilitas repugnant, cùm & strenuus & affectis viribus nemo esse possit: aduersa tamen nõ sunt. neque enim celeritati respondet è regione debilitas, sed tarditas. Et bonitatem, si malitiam.) Malitia 3. de Natura Deorum sic definitur, Versuta & fallax nocendi ratio, cui vitio opponitur bonitas. Idem 4. Quæst. Tusc. de Malitia sic scribit, Quanquã ipsa virtus breuissimè ratio recta dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas: sic enim malo, quàm malitiam appellare eam, quã Græci κακίαν vocant: nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium. Præpositio enim IN, priuat.) Existimandum tamen non est, priuationem præpositione, IN, semper explicari, cæcitas enim priuationem significat. Velut ea quæ cum aliquo conferuntur.) Quod Græcè dicit Aristoteles τὰ πρός τι, M. Tullius interpretatur, Quæ cum aliquo conferuntur. Ea autem sunt, quæ neque esse, neque verò intelligi sine aliquo possunt. Vt si hoc est, illud non est.) Locum corruptum esse arbitror, legẽdum autem sic, vt est hoc illud, hoc illud non est. Hæc enim ἀποφατικὰ sunt, illa minimè, cùm idem de eodem in illis non affirmetur & negetur.

COMMENTARIVS. Deinceps.) Contraria vocat Cicero, quæ appellat Aristoteles opposita. Sunt autem ea quæ certam quandam habent habitudinem, ita tamen vt alterum de altero dici non possit. Adiicit Rodolphus differentia, quæ ab aliis vocantur disparata. ea certam nullam habent habitudinem nec ductum, sed tamen substantiis sunt dimota & separata, vt leo, canis, panthera. Referri debent ad dissimilitudinem & ad formam. Eodem autem.) Propone species generi subiectas, & siqua erit varietas, eam comprehendes in summis limitibus, & in illis speciebus quæ aduersis frontibus pugnant. qua de causa hæc contraria appellantur à Cicerone aduersa. Ex quibus.) In contrariis mediatis argumentari solemus ab alterius assseueratione ad alterius sublationem, non contrà. In immediatis verò vtroque modo solemus argumentari. Est autem optima forma, cùm contraria contrariis applicantur, vt in exemplo Ciceronis. Bonitatem.) Bonitas est iusta & æqua simplicitas. Nam hoc loco non est probitas, sed pars probitatis. malitia verò, fraudulenta astutia. Hæc quæ.) Aristoteles mauult hæc appellare contraria. in multis vetustis codicibus legitur hoc loco, diuersa: sed potior est lectio vulgaris. Sunt enim.) Priuatiua vulgo appellant, quando quædam opponuntur, vt habitus & priuatio. Est autem habitus qualitas quæ adesse debet: priuatio verò, qualitatis eius absentia ab eo in quo esse debet, vt visus & cæcitas. Quanquam Cicero hæc duo in aduersa redigit, & priuantia metitur ab IN dictione priuatiua. Præpositio.) Sequutus est vulgi opinionem. Nam quia præpositio IN dicitur priuatiua, ab ea putat priuantia fieri. Dialectici potius rem aspiciunt, quàm dictionis formam. Itaque quædam habent præpositionem IN, quæ tamen non sunt dialecticis priuantia, sed contraria. Quorum tractatio.) Magna ex parte priuantia tractantur more contrariorum immediatorum. Nam Aristotelica priuantia nihil habent medium, nec Ciceroniana quoque, cum præsertim præpositio IN, id inferat omne quod est contrarium habitui. Nam alia.) Hæc sunt quæ à dialecticis relatiua, relata, & ad aliquid vocantur: quæ hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur. Sunt autem simul natura & simul perimuntur, atque hinc ratio argumentandi est petenda. Alia

est etiam formula argumentandi, velut à disparatis, cum alterum negatur id esse quod est alterum. Sunt etiam.) Reliqua contraria posita sunt in simplici dictione. Contradictoria autem in oratione sunt, quæ verum vel falsum significant. Sunt autem in propositione affirmatiua vel negatiua. Videtur etiam complexus esse Cicero propositiones contrarias, quæ sunt vniuersales. Nam contradictoriæ alteram habent vniuersalem, alterã particularem, nisi fiant in singularibus. Si hoc est.) Vsus est dictionibus Aristotelicis. Nam apud Aristotelem sæpenumero esse significat verum esse, non esse contrà, falsum. Sic igitur argumentamur in negantibus, vt si altera propositio sit vera, altera sit falsa. Quid enim.) Hoc axioma non explicat vniuersam loci naturam, sed ea comprehendit quæ communia sunt omnibus contrariis. Non enim simul cohærescere possunt. Itaq; posito vno aufertur aliud.

Ab adiunctis autem posui equidem exemplum paulò antè, multa scilicet adiungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad coniecturales cãusas, quæ versantur in iudiciis, valet, cùm quæritur quid aut sit, aut euenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit. Ac loci quidem ipsius forma talis est. Admonet autẽ hic locus, vt quæratur quid ante rem, quid cum re, quid post rem euenerit. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronẽ, inquibat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quæreretur. Tu tamen patiêre nullum à me artis institutæ locum præteriri: ne si nihil nisi quod ad te pertineat, scribendum putaris, nimium te amare videare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modò non iurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem. Ante rem enim quæruntur quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum conuiuium: cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum vmbræ, & siquid eiusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, & si qua alia signa conturbationis & conscientiæ: præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteráque quæ suspicionem facti possunt mouere.

BOETIVS. Quid sit ab adiunctis locus, breui superius monstrauit exemplo, eo scilicet quod dixit, Si secũdum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas possessio bonorum daretur, consequens esse, vt secundum quoque puerorum & seruorum tabulas possessio permitteretur. Sed nunc formam ipsam & quasi substantiam loci monstrare proponit, quæ est huiusmodi. Ab adiunctis enim locus est, cum ex eo quod proponitur, aliquid aliud vel esse, vel fuisse, vel futurũ esse argumentatione colligitur. vt in eo ipso quod dudum posuit exemplo. approbatur enim non debere secundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas bonorum possessionem dari: quia si id fuerit positum, id futurũ est, vt secundum puerorum quoque & seruorum tabulas bonorum possessio permittatur. Talia verò sunt quæ dicuntur adiũcta, vt circa rem ferè quæ quæritur, inueniantur, neque tamen necesse sit eis semper adhærere. & forma quidẽ huius loci talis est, vt hanc quoque definitionem possit

admittere. *Ab adiunctis locus est, cum ex aliquibus, quæ sunt proxima eis de quibus quæritur, rebus, id quod quæritur, vel fuisse, vel esse, vel futurum esse mõstratur. qui locus est coniecturalibus causis maximè necessarius. Cum enim de facto quæritur: tum si id factum est quod dubitatur, quid vel fuerit, vel sit, vel futurum sit, considerari solet. multa enim sunt, quæ vnicuique adiuncta rei, variorum euentu temporum colliguntur. Idcirco enim quid ante rem, quid cum re, quid post rem euenerit, in cõiecturalibus causis inquiritur: quæ ab oratoribus tractantur solis. neque iuris consultis in huiusmodi negotiis cum rhetorica facultate vlla communio est. Iuris enim peritus de facti qualitate, non de ipsius facti veritate respondet. Idcirco quoties ad Callum peritum iuris, facti quid deferebatur, Nihil ad nos, inquibat: & ad Ciceronem potius consulentes, id est ad rhetorem remittebat. In quo Tullius facetè ad Trebatium iocum miscuit, dicens: Quanquam locus hic ab adiunctis coniecturalibus causis maximè vtilis, nihil consultorum iuris prudentiam iuuet, patere me tamen, inquit, nullam suscepti operis partem præterire: ne si in hoc libro nihil præter tuæ artis exempla cõscripsero, tuæ tantum gratiæ videatur addictus. Ab adiunctis verò locus, qui non modò iurisconsultis, sed ne philosophis quidem, præter oratores non patet, trium sæpe temporum ratione tractandus est. Nam de facto si quæratur, quid vel ante id, vel cum eo, vel pòst fuerit, necesse est vestigari. Ante rem quidem, hoc modo: Apparatus: verisimile est enim effecisse aliquem quod antè efficiendum parauit. Colloquia: fieri enim potuit vt amauerit, qui sæpe fuerit collocutus. Locus: velut cum ad aliquid faciendum opportunus locus eligitur. Constitutũ conuiuium: velut si quis constituto antè conuiuio, in eo feciſſe aliquid arguatur, capiatúrque coniectura facti ex eo ipso quòd sit cõuiuium cõstitutum. atque horum omnium, ante rem de qua quæritur, hæc exẽpla sunt. Cum re verò, hoc modo: Pedum crepitus: velut si isse in quempiam locum aliquis accusetur, pedum crepitu deprehensus esse probabitur. vel si fuisse adulterum in cubiculo, ex vmbra corporis designetur. hæc cum ipsis de quibus quæritur, inspecta, eisdem tamen intelliguntur adiuncta. Post rem verò si quas conscientiæ maculas pallor, rubor, titubatióque prodiderit. Restinctus ignis: velut si clam factum aliquid extincto igni velimus ostendere, vt tutius notitiam submouentibus tenebris committeretur. Item gladius cruentus: peractum facinus monstrat. Hæc omnia post rem facto intelliguntur adiuncta. Et semper ante rem, cum re, & post rem, secundum rationem temporum intelligendum est: neque ita vt in antecedentibus & consequẽtibus: illic enim naturæ ratio consideratur, omnia quippe simul sunt. Nam quod antecedit, si positum sit, statim est id quod consequitur. vt si ponas hominem: statim animal esse necesse est. nec antè secundum tempus esse homo dici potest, pòst verò subsequi animal: vt antè aliquis apparatus est secundũ tempus posterior effectus. Itaque illic antecedentia & consequentia nominantur: hic ante rem, cum re, & post rem. idcirco, quod illud quidem non secundum tempus, sed secundum principalitatem naturæ secum simul aliquid trahentis, antecedens dicitur, vel consequens, id quod antecedens comitatur. Ea verò quæ secundum temporis priorem posteriorémve rationem consyderantur adiuncta: idcirco ante rem, cum re, & post rem cepêre vocabulum.*

VISORIVS. Ab adiunctis.) Adiuncta prius exposuimus, quæ rem antecedunt, rei cohærent, rem sequuntur, ita tamen vt nulla antecedendi, cohærendi, vel subsequendi necessitas intercedat. Rem antecedunt, vt ægritudinem spõtànea membrorum lassitudo, fastidium cibi, inquietudo peruigiliarum. Rei cohærent, vt Quintilianus ait, non esse cæci aut solliciti percussoris vulnus, quando solum vnum sit, certioréque loco, quàm pro cæci vel trepidatione festinanti, factum. sic Cicero docet Catilinam publicum aliquod malum meditari, quoniam angustia rei familiaris prematur. Rem denique sequuntur, vt sceleris aliquos agitasse consilia, quoniam diducti, non constiterũt inter se verbis: furtum feciſſe, quoniam res sit inuẽta domi ipsius: cædem admisisse, quoniam fugam, vel latebras, vel arma circunspexerunt. & hanc esse Ciceronianam mentem in adiunctis explicandis, non autem Boëtij solius (vt Rodolphus ait) ex eo colligo, quòd Cic. dicat: Admonet hic locus, vt quæratur quid ante rem, quid cũ re, quid post rem euenerit. deinde in sequenti loco dixerit, adiuncta non semper eueniunt. Posui equidem exemplum paulò antè.) Hoc ab adiunctis exemplũ Cicero prius posuit, cùm suũ locis singulis iam distributis exempla subiiceret. Si ea mulier testamẽtum fecit, quæ se capite nũquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris secundũ eas tabulas possessio dari. adiungitur enim, vt secundum seruorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari. Cuius sensum tametsi prius exposuimus, eundem tamen repetere nequaquam absurdum fuerit. Mulieres olim perpetua tutela tenebantur, nec vnquam sui iuris

erant, nisi se capite minuissent, id est, nisi priorem statum mutassent. mutabant autem statum, quæ nubebant. Quare siqua mulier non nupsisset, testamentum facere non poterat, vt quæ in potestate tutoris esset: aut si testamentum fecisset, ratum non habebatur: vel si ratum habitum fuisset, consentaneum erat & adiunctum, vt serui testamentum & pueri facere possent, quippe qui (quanuis non suæ potestatis sint) testari possint. si mulieres testamentum faciant. Nam quemadmodum mulieres in tutoris potestate, sic serui sub domini ditione, & pueri sub parentum authoritate sunt. ergo si nihil prohibet quo minus illæ testamentum faciant, nihil sanè oberit ab his testamentum fieri. Cui testamenti factio nulla esset.) Factionem Latini pro coniuratione sæpius vsurpant: hoc tamen in loco Cicero secus accepit, ea profectò in significatione quam Laurentius & pleriq; grammaticorum iniuria reprehendunt, quippe qui pro factione fictionem, sicut pro factore fictorem, id est ψευστὴν, in sacris literis dicendum esse contendant. sed cùm factionis vocabulum Tullius in hac significatione vsurpet, non video cur tantopere verbum hoc reformidemus. Sed locus hic magis ad coniecturales causas.) Rodolphus Agricola Ciceronem reprehendit, quòd hunc locum ab adiunctis, tantùm oratorum esse dixerit, nec ad iurisc̃onsultos aut philosophos pertinere scripserit, sed (vt dixi) solius oratoris esse voluerit. Verùm vt quod sentio ingenuè fatear, Ciceronem Rodolphus improbissimè mentitur: nunquam enim ad solum oratorẽ pertinere voluit, licet ad coniecturales causas magis pertinere dixerit, & magna ex parte oratorum esse scripserit: sed aliud est, magna ex parte oratorum esse, & solius esse oratoris. Nemo enim vel mediocriter eruditus, hoc consequium concesserit, Hic locus est magna ex parte oratorius, igitur oratorius tãtúm. Aliã mehercle Ciceronis mentem esse, hinc liquido constat, quòd cùm iurisconsultorũ exemplum posuisset. statim subdiderit, hunc locum magis ad coniecturales causas valere: quasi diceret, tametsi iurisconsulti possint ab adiunctis suas probationes desumere, hoc tamen magis oratorum est quàm iurisconsultorum. quòd si Cicero iurisconsultorum non esse dixisset, argumentũ è iure ciuili non desumpsisset: atqui desumpsit, & cùm desumpserit, desumi posse docuit: ergo iurisconsulti ab adiunctis argumentari possunt. Adiecit tamen Cicero paulò pòst id quod pro Rodolpho facere videtur, nihil hunc locũ ad ius: deinde non modò nõ iurisconsultorũ, sed ne philosophorũ quidem esse: verùm ad Ciceronem solùm, id est ad oratorem pertinere. quem scrupulum Cicero cùm de similitudine loqueretur diluit, quippe qui sic illic dicat, Etsi omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. ergo cùm adiuncta sint omnium disputationum cõmunia, tamen abundantius oratori, iurisconsulto verò & philosopho angustius occurrunt. Oratori quidem abundantius, ad coniecturales (vt dictum est) causas probandas. Est autem coniecturalis causa, cùm de facto quæritur: & ea à coniectura qua explicatur, nomen habet. Dicta est verò coniectura, Quintiliano teste, à coniectu, id est, à directione quadam rationis ad veritatem. Est enim cõiectura, incertæ rei iudicium ex aliquo manifesto signo, aut ex eius vultu qui reus agitur. vt repertus est quispiam in solitudine recens cadauer sepeliens: ex sepultura, quæ manifesta res est, id quod incertum est, id est, qui sit cædis author, cognoscitur. hæc Hermogenes cap. 3. primi Rhetorices habet. Coniectura est, vt ait Cicero, partim in verisimilibus, partim in proprijs rerum notis. Verisimile est quod plerunque ita fit, nec tamen semper. Propria rei nota est, quæ nunquam aliter fit, certúmque declarat. Verisimile à Quintiliano signum non necessarium dicitur: vt verisimile est adolescentiam ad libidinem procliuem esse. Propria rei nota ab eodem signum necessarium appellatur: vt fumus est propria rei nota, nam est signum necessariũ ignis. Vtraq; pars coniecturæ ad hũc locum spectat: quo fit, vt non tantùm verisimilis, verũ aliquando necessarius sit hic locus, cùm, Rodolpho teste, nonnulla signa necessaria ad contingentia pertineant, quæ ab hoc loco nihil differunt: vt vespertinus occidentis rubor, signum est necessarium futuræ postridie serenitatis. Quid Rodolphũ dico? nónne Cicero testis est locupletissimus, qui locum & tempus sub adiunctis reponit? Verùm ab vtroq; argumentũ necessarium depromi potest, vt P. Clodius Interamnæ fuit, cùm sacra Bonæ deæ Romæ fierent: non igitur ea polluit. Insuper Cicero in Partitionibus oratoriis author est, in verisimilibus aliquando proprias rerum notas esse. nam multa verisimilia coaceruata necessarij argumenti vim habent. Vtraq; signa Quintilianus ab argumentis remouit. negauit enim signa siue verisimilia sint, siue necessaria, esse argumenta. Verisimilia quidem, quòd dubia sint, & argumentis egeant: at argumentum certum esse debet. dubia enim dubiis quî probari possunt? multa tamen ad alterius probationem adferuntur (vt idem author est) quæ ipsa sunt probanda: sed tum quæstiones,

non autem argumenta vocantur: verùm ita, vt cùm probata fuerint, argumenta ea esse incipiant. Necessaria verò, quòd nihil dubitationis post se relinquant, neque vnquam nisi in re controuersa sit argumentis opus. De verisimilibus iam responsum est, de necessariis dicendum. Sunt qui putant Quintilianum in vniuersum esse locutum, & negasse vllum necessarium signum argumẽtum esse. in qua hæresi Rodolphus est, qui contra Quintilianũ ostendere conatur, signa necessaria argumenta esse: isque mathematicorum exemplis vtitur, quorum probationes necessariæ sunt, verùm argumenta dicuntur. Sed venia Rodolphi dixerim, Quintilianum illi non intellexerũt, qui omnia signa necessaria secundum eundem Quintilianum, ab argumentorum naturis exempta & remota fuisse putant. Cum enim Quintilianus ab argumentis ea remoueret, non de mathematicis, sed de oratoriis tantum argumentis, quæ solum in re controuersa locum habent, quippe quæ rei dubiæ fidem faciãt, intellexit, & vt ficta sint, ita refelli possint: nec, vt rursus dicã, de mathematicis, vt qui paulò pòst cap. de argumentis, apodixeis (quæ sunt necessariæ mathematicorũ probationes) argumenta vocet. Admonet autem hic locus, vt quæratur quid ante rem, quid cum re, quid post rem euenerit.) Ante rem quæritur, vt apparatus, colloquia, locus, constitutum conuiuium. Apparatus quidem, vt pro Milone quæstio est, vter alteri fecerit insidias, Milo Clodio, an Clodius Miloni. Cicero Clodium Miloni, non autem Milonẽ Clodio feciſſe insidias, ab apparatu vtriusque verisimile reddidit, quòd Milo veheretur in rheda penulatus, vnà sederet vxor, & tum symphoniacos pueros vxoris & ancillarum greges ille secum duceret, quorum nihil est non impeditissimum. Contrà Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, sine vxore, vnà cum barbaris seruis, quibus syluas publicas depopulatus fuerat, Miloni obuiam factus est. Eodem modo Catilina, Lentulus, & Cethegus in suspicionem coniurationis ab apparatu venerunt: quòd arma, enses, gladios, tela denique omnis generis in Marci Porcij Leccæ ædes deferrent. Insuper colloquia, vt colloquia legatorum Tarquinij Superbi cum Aquilijs, Vitellijs & Bruti liberis sæpius facta, futuræ proditionis coniecturam mouerũt, tametsi ea proditio à Vindicio seruo detecta sit. Tum locus, vt Cicero à loco probauit, Clodium Miloni, non Milonem Clodio insidiatũ fuisse, quod Clodius è loco superiori in Milonem impetum feciſſet. Insuper si quis in loco latronum receptatore, & occultatore, quale est monumentum Basilij, repertus fuerit, in suspicionem venit latrocinij, aut alius improbi facinoris. Denique cõstitutum cõuiuium: vt Catilinæ, Lentuli, & Cethegi facta apud Marcum Porcium Leccam conuiuia, coniurationis suspicionem mouerũt, quemadmodum conuiuia à legatis Tarquinij, cũ liberis Bruti & Aquilijs & Vitellijs celebrata, ad probandam suspicionem proditionis valuerunt. Et hactenus de adiunctis, quæ rem antecedunt. Nunc de iis quæ cum re cohærent, dicamus. Cum re cohærent pedum crepitus, strepitus hominum, corporum vmbræ. ex iis enim omnibus aliquid tum geri fierique, cum hæc adiuncta sentiuntur, cognoscimus. Præterea post rem eueniunt rubor, pallor, titubatio, & siqua alia signa conturbationis & conscientiæ: præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteráque quæ suspicionem facti mouere possunt, è quibus argumenta vocantur: verùm ita, vt cum probata fuerint, argumenta ea coniecturalia dicãtur. vt ex cruore gladij factam esse eadem probamus: ex restinctione ignis, aliquid factum esse colligimus, quod celari, latere, & occultari velint qui cõmiserunt. sic ex rubore, pallore, & titubatione, & reliquis conscientiæ perturbationisque signis, authorem facti cognoscimus. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modò non iurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem.) Id est, non tam frequenter ad iurisconsultos & philosophos quàm ad oratores adiũcta spectant. Interim tamen ad ius & philosophiam spectant. Cum enim locus & tẽpus sub adiunctis reponãtur, de loco & tempore iurisconsulti atque philosophi quærunt. Iurisconsulti quidem, vt Quintil. cap. 10. lib. 5. testatur dicens: Ducuntur argumenta & ex loco. spectatur enim ad fidem probationis, montanus an planus, maritimus an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus cõsilijs an aduersus. quam partẽ videmus vehementissime pro Milone tractasse Ciceronem. Et hæc quidem & similia ad coniecturam frequentius pertinent: sed interim ad ius quoque: vt priuatus an publicus, sacer an prophanus, noster an alienus. hinc enim quæstiones oriuntur: priuatam pecuniã sustuliſti, verùm quia de templo, non furtum, sed sacrilegium est: occidiſti adulterũ, quod lex permittit, sed quia in lupanari, cædes est. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus. neque enim idem vbique aut licet aut decorum est: quinetiã in qua ciuitate quidq; quæratur, interest. moribus enim & legibus distant. Itaque ex Quintiliano liquet, locum ad ius pertinere.

Quòd autem & tẽpus ad ius pertineat, idem author est, qui inquit, à tẽpore iuris quæstiones fieri. Insuper id alia ratione constat, quòd duodecim tabulæ furem nocturnum quoquo modo, diurnũ verò si se telo defenderit, impunè interfici iubent. Quare leges in tempore discrimen ponunt: igitur ad ius tempus pertinet. Ad philosophos quoque tempus & locum (quæ sunt adiuncta) pertinere probãdum est. Physici profecto nihil aliud in ore præter locũ & tempus habent, & in Physicis Aristotelicis libros plenos quæstionum de loco & tempore reperias. quod & alia via manifestum reddemus. Nonne à philosophis quæritur, vnde Nilus oriatur? quia sit illis incertum, qui sint Nili fontes. vnde illud Lucani lib. 10.

Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te Nile videre,
Amouitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari quàm nosse tuos.

Item Tibullus libro primo,

Nile pater quánam te possum dicere causa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Tum Claudianus sic habet, de Nilo loquens:

Qui rapido tractu mediis elapsus ab austris,
Flammiferæ patiens zonæ, cancríque calentis
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit vlli
Hoc vidisse caput. fertur sine teste creatus,
Flumina profundens alieni conscia cæli.

Sed hæc præter opus. Nõne itidem quærũt philosophi, possintne diuturnitate siccari maria, & siccæ rursus aquis obrui? Item, an ad vltimum habitantibus orientem Indis, sol in exortu cõtinuo supra verticem sit positus? Itẽ, an sint populi quibus perpetua dimidio anno nox, dimidio sit dies? Ex his facile apparet, non ad solos oratores, sed & iurisconsultos & philosophos adiuncta pertinere: cũ ad eos locus & tempus, quæ sunt adiuncta, pertineant.

LATOMVS. Sed locus hic magis ad coniecturales causas.) Rectè admonet: sed si hoc verum est, exemplum suprà & hoc loco positũ, parum aptum est. Cum enim ex iure sumptum sit, & per hunc locum ad qualitatem iuris accommodatum esse debeat, ad coniecturam potius, quàm ad qualitatem facit. Probat enim alterum futurum esse, si alterum fiat, hoc est, seruorũ & exulum testamenta ex edicto Prætoris rata fore, si mulierum rata sint. In quo duplex est sensus, vnus qualitatis, si vnum rectè fiat, & alterum rectè: alter coniecturæ, si hoc fiat, & illud futurum esse. Priori modo argumentum est ex similitudine, qua iuris qualitas ostenditur. posteriori ex adiunctis, quod non ad ius, sed ad coniecturam pertinet. Ad Ciceronem, inquibat Gallus noster.) Gallum Aquilium intelligit, qui coniecturales causas, si ad eum deferrentur, referebat ad Ciceronem, tanquã ad oratorem: quoniam nõ iuris scientia, sed signis & suspicionibus, & ingenio oratoris explicarentur. Ad philosophos autem hic locus non pertinet, quoniã & hi versantur circa qualitatem, quæ in rebus expetendis & fugiendis est: nam philosophos morales quos vocant, intelligit.

HECENDORPHINVS. Multa scilicet adiungi.) Hoc est, locus ab adiunctis est, quando ostendimus ex vno aliud quoddã sequi, & priori cõcesso multa adiungi. Si statuissemus ex edicto.) Hoc est, si hoc statuerimus, quòd mulier quæ caput non diminuit, hoc est, nõdum nupta sit, possit testamentum facere, & quòd ex illo testamento liceat hæredibus institutis accipere bonorum possessionem: ergo etiam licebit pueris, seruis, testamentum facere, & ex illo hæredibus bonorum possessionem concedere. Nihil hoc ad ius.) Nam iurisconsulti est, dicere de qualitate facti, hoc est, iure an iniuria quid factum sit: at non differere, an quid factum.

COVEANVS. Ne si nihil, nisi quòd ad te pertineat, scribendum putaris.) Iocatur M. Tullius cum Trebatio, quem Epicureum esse sciebat, cuius disciplinæ erat, seipsum amare & sua causa omnia facere. Cicero in quadam epistola ad Trebatium, quo tẽpore is in Gallis erat cum Cæsare, sic scribit: Mirabar quid esset, quòd tu mihi literas mittere intermisisses. Indicauit mihi Pansa meus Epicureum te esse factum. O castra præclara: quid tu fecisses si te Tarentum, nõ Sa-

marobrinam misissem? Iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod & Titus familiaris meus. Sed quónam modo ius ciuile defendes, cùm omnia tua causa facias, nõ ciuium? vbi porrò illa erit formula fiduciæ, vt INTER BONOS BENE AGIER OPORTET? *Quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua causa? Quod ius statues communi diuidundo, cùm commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? Quomodo autẽ tibi placebit Iouem lapidem iurare, cùm scias Iouem iratum esse nemini posse? Quid fiet porrò populo Vlubrano, si tu statueris πολιτικὸν non oportere? Quare si planè à nobis deficis, molestè ferò: sin Pansæ assentari commodum est, ignosco: modò scribas aliquando ad nos quid agas, & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari velis. Quam epistolam, quia facetissima est, totam adscripsi.*

COMMENTARIVS. Ab adiunctis.) Locus ab adiunctis complectitur penè circunstantias omnes tum negotiorũ tum personarum, quæ si congregẽtur vnum in locum ad firmiorẽ suspicionẽ, efficitur locus quẽ appellant Græci à principio ad finem: qui præcipuus est in causis cõiecturalibus, si credimus Hermogeni. Multa scilicet.) Non adscribit nouũ exemplum, sed prius repetit, quoniam commodum in iure ciuili non reperiebat. Et alioqui potius argumentũ est à comparatione, vel (vt Fabius appellat) à iure pari. Sed locus.) Locus ab adiunctis maximè solet suspiciones colligere, quibus probatur cõiectura: Idq; docebit postea Cicero, cùm locos aptabit quæstionibus. Habet tamen interdum locum in demõstratiuo genere, quia laus augetur à circunstantiis: & in deliberatiuo quoq;, vt cùm quæritur an res possit fieri. Nam cùm id fit, coniecturæ suspicionibus probabitur à circunstantia petitis. Sedenim Cicero id comprehendit quod est frequentius. Admonet autem.) Diuisio loci ab adiũctis: quam etiam ponit Fabius in tota probationum artificialium ratione, eundémq; sensum habet cum priori comprehensione. perinde ac si diceret, diuidi locũ in præteritum, præsens, & futurum. quæ est diuisio quoq; argumenti apud Cornificium in coniectura.

Nihil hoc.) Videtur tamen hic locus, vt Rodolphus ait, ad ius pertinere, cùm à circunstãtiis sæpenumero petatur æquitas. Fabius quoq; sæpenumero legales quoq; quæstiones fatetur. adde quòd iurisconsulti sæpe tractant de præsumptionibus, quæ sunt suspiciones coniecturales. sed Cicero quod rarò fit, non est complexus præceptis. & alioqui Ciceronis tempore separata erant officia iurisconsultorum & oratorum. Hoc igitur occupat quod obiici posset à Trebatio cui Topica dicabat. Callus noster.) Aquilius Gallus optimus fuit iurisconsultus, discipulus Mutij Scævolæ, vt meminit Pomponius iurisconsultus. Nihil nisi &c.) In veteri deest pertineat, vt dictum sit per illam eclipsin qua ille est vsus superiori periodo. Adde quod scribitur, videar, non videare: quam lectionem Boëtius videtur esse secutus. Cicero autem cum Trebatio iocatur. Est igitur &c.) Imò philosophorum esse videtur. Nam cùm quærunt de rerum naturis, persæpe signis vtuntur, cùm causas rerũ tenere non possunt, vt medici à signis petunt indicationem morborum. Præterea philosophi morales adiunctis non rarò vtuntur, quia (vt docuit Cicero 1. Officiorum) circunstantiæ mutare solent honestum & decorum. At post rem.) Hunc locum appellat consequutionem Cornificius, propterea quòd consequitur rem. In hunc etiam locum referri debent ea quæ dicunt εἰκότα, id est verisimilia: & quæ signa appellantur. quæ duplicia sunt. Aut enim simpliciter factum ostendunt, aut non simpliciter factum, sed ex suspicione conscientiæ.

Ex consequentibus, antecedentibus, repugnantibus.

Consequentia.

Deinceps est locus dialecticorum proprius, ex consequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus: qui etiam ab adiunctis longè diuersus est. Nam adiuncta, de quibus paulò antè dictum est, non semper eueniunt: consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessariò consequuntur: itémque & antecedentia, & repugnantia. Quicquid enim antecedit quanq; rem, id cohæret cum re necessariò: & quicquid repugnat, id eiusmodi est, vt cohærere nunquam possit. Cùm tripartitò igitur distribuatur locus hic, in consecutionẽ, antecessio-

nem,repugnantiam, reperiendi argumenti locus ſimplex eſt,tractandi triplex.Nam quid intereſt cùm hoc ſumpſeris,pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit omne argentum legatum: vtrum hoc modo concludas argumentum, Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri: eſt autem pecunia ſignata argentum:legata igitur: An illo modo,Si numerata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia argentum: eſt autem numerata pecunia argentùm:legata igitur eſt: An illo modo,Non & legatum argentum eſt,& non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt: legata igitur numerata pecunia eſt.

BOETIVS. Expedito adiunctorum loco, nunc de antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus diſſerit. Qui locus cum ſit vnus,in tria velut membra diuiſus eſt. Marcus quidem Tullius loci huius vocabulum tacuit:mihi autem totus conditionalis appellandus videtur. Cuius cum promptiſſime natura claruerit,nomen quoque ei,quod nos poſuimus,rectè inditum manifeſtius apparebit. Primùm igitur ſingularum partium definitio prouidenda eſt. Itaque antecedens eſt, quo poſito aliud neceſſe eſt conſequatur. Item conſequens alicuius eſt, quod eſſe neceſſe eſt, ſi illud cui eſt conſequens, præceſſiſſe conſtiterit. Repugnans eſt, quod ſimul cum ea re cui repugnare dicitur,eſſe non poſſit. Antecedentium igitur atque conſequentium & repugnãtium vnum locum eſſe prædiximus: qui quomodo ſit vnus, paucis oſtendam. Primùm igitur dum quæreretur quónam modo vnus eſſet locus à conſequentibus & antecedentibus & repugnãtibus,dicebatur, quoniam eiuſdem mentis eſt atque intelligentiæ,tam conſentanea ſibimet, quàm diſſidentia prouidere:idcirco hũc quoque locum vnum videri. Conſentaneorum nanque duæ ſunt partes,antecedens vna,altera conſequens. Nam cùm aliquo præcedente comitatur alterum, illa ſibi in ipſa naturæ conſequentia conſentire neceſſe eſt. Repugnantium verò tametſi duæ partes ſunt, vnum tamen eſt vtriſque vocabulum: vtraque enim repugnantia nominantur: duo verò eſſe, quæ ſibimet repugnent, atque à ſe diſſentiant, nullus ignorat: ſed eo diſtant, quòd antecedentium & conſequentium duo ſunt nomina, licet vnus vtriſque conſenſus. repugnantibus verò vnum nomen eſt, cum ſit vnus in vtriſque diſſenſus. Ergo eadem mens, eadémque intelligentiæ ratio, id quod præcedit, & id quod comitatur intelligit. neque enim fieri poteſt vt antecedens aliquid intelligatur, niſi in eodem quid ſit conſequens cõſideretur. Eodem quoque modo nec conſequens, niſi appareat quid præcedat. Item repugnans aliquid intelligere nemo poteſt, niſi intelligat cui repugnet. Sed quoniam eadem ratio poteſt ſimilia diſſimiliáque perſpicere: antecedentium verò & conſequentium conſenſus quidam, & per naturæ ſimilitudinem concordia eſt: diſſenſus verò in repugnantibus, ac diſſimilitudo: neceſſe eſt vt vna atq; eadem ratio & antecedentiũ conſequẽtiúmq; naturã & repugnantiã ſpectet. quo fit vt vnus quoque locus ſit, quem vna intelligentia comprehendit. Sed hic opponebatur, Cur igitur alium ex ſimilitudine, alium ex cõtrario locum M. Tullius ſuperius enumerauit? Nam ſecundum propoſitam rationem, quoniam ſimilitudinem & contrarietatem intelligentia vna perpendit, vnus locus ſimilium contrariorúmque eſſe debuiſſet. Sed reſpondebatur: quoniam nõ eodem modo ſibi antecedentia & conſequentia conſentire dicuntur, ſicut ea quæ ſimilia nuncupantur. In his nanque vna tantum qualitas inuenitur, & ſecundum eandem qualitatem ſimilia eſſe dicuntur: at in antecedentibus & cõſequentibus non qualitatis ſimilitudo, ſed quidam naturæ conſenſus eſt. Et quæ ſimilia ſunt, ſine ſe eſſe poſſunt. antecedentia verò & conſequentia ſine ſe eſſe non poſſunt. atq; idcirco non videtur eſſe conſequentium & antecedentium cum ſimilitudine illa communio naturæ. quæ ratio non valde videtur idonea, nec explicat quod demonſtrare conatur. Illud certè firmiſſimum eſſe cõſtitit, q; huius loci tractatus cõditionalibus ſemper propoſitionibus accommodaretur. Conditionalis verò propoſitio eſt, quæ cum conditione pronuntiat eſſe aliquid, ſi aliud fuerit. veluti cum dicimus,

Si dies est, lucet. Hæc igitur rerum consequentia facile in repugnantiam vertitur. Nam si rebus consequentibus negatio interponatur: ex consequentibus repugnantia redduntur, hoc modo, Si dies est, lux est. Repugnantia fiunt ita, Si dies est, lux non est. repugnat enim diem esse, & lucem non esse. Quæ repugnantia in conditione consistit. Dicimus enim, Si dies est, lux non est. Nam diei contrarium est nox. Consequens verò noctis, lucem non esse. Quare esse diem, & non esse lucem, repugnat. Argumento verò est hanc repugnantiam in conditione consistere: quia si conditio deficiat, nulla est repugnantia, hoc modo, dies est, lux non est. vtræque enim disiunctæ propositiones, suas sententias gerunt, nec quicquam intelliguntur habere commune. atque ideo diuersis acceptæ temporibus, veræ sunt, nec repugnant. Nam sicut in his propositionibus, dies est, lux est, nulla est consequentia, quoniam conditio deest quæ præpositionem facit connexam, sed vtræque à se disiunctæ suam sententiam claudunt: ita in his quibus proponitur, dies est, lux non est, nulla est repugnantia: quoniam seruat suã vtraque separata sententiam. At si his conditio interueniat: superiorum quidem ita sententia copulatur, vt consequentes fiant: posteriorum verò ita vt repugnantes, hoc modo, Si dies est, lux est. Hæc consequens propositio, ex duabus per cõditionem mediam effecta est vna. At si sit ita, Si dies est, lux non est, repugnat. negatum enim quod consequitur, repugnare necesse est. Amplius: Argumentum quod ex antecedentibus & consequentibus fit, ex vnius propositionis connexæ partibus nascitur: nam conditionalis propositionis connexæ vna pars est antecedens, alia consequens. quòd si à repugnantibus argumentum fiat, rursus ab vnius propositionis membris tale argumentum nasci oportebit. Igitur ex his propositionibus, dies est, lux est, vna esse non potest nisi conditione copulẽtur, vt vnum sit antecedens, aliud consequens. & ideo in his ex antecedenti & consequenti argumentum esse nõ potest: quoniam duæ sunt. Etiam ex illis quoq; propositionibus quæ sunt, dies est, lux non est, vna esse non poterit: nisi conditionis adiunctione, in vnius quodammodo propositionis sententiam reducantur, cuius propositionis partes sunt repugnantes. nam vt in cõnexa propositione vna pars est antecedens, alia est consequens: ita in repugnanti vtraque pars propositionis à semet inuicem repugnat, ac dissidet. Amplius: Repugnans propositio connexæ partem contrariam tenet: nam vt in illa, quod antecedit, secum id quod sequitur trahit: ita in hac propositione, partes simul esse non possunt. Contrariæ verò differentiæ sub eodem genere poni solent. Si igitur connexæ propositio in conditione est constituta: repugnans quoque in conditione consistit. quòd si & consequentiam propositionum & repugnantiam conditio facit: non est dubium quin locus hic iure conditionalis vocetur: ac sit vnus positus in conditione diuisis partibus, id est in antecedentem, consequentémque & repugnantem. Connexæ nanque propositionis vna pars antecedens est, alia consequens. Repugnantis verò propositionis vtraque repugnat ac dissidet. Itaque connexæ propositionis partes antecedens & consequens sunt, repugnantis verò repugnantes partes sunt. Nec illud intelligentiã turbet, quòd dies est, & lux est, quadam sibi ratione consentiunt. Item dies est, & lux non est, quasi à se dissentiunt atq; discordant. nam cõnexa est propositio, si cùm aliud antecesserit, aliud consequatur. Item repugnans, si vno posito falso, aliud inferatur quod esse nõ potest, nisi id vis conditionis efficiat. Quocirca apertè monstratũ esse arbitror, conditionalem hũc locum vocari: & rectè vnum esse à M. T. constitutũ. Quomodo verò fiat ab antecedentibus, & consequẽtibus, & repugnantibus argumentũ, posterius dicam. Sed quoniam nullius facultatis alterius est, quid quãq; rem cõsequitur, vel cuiq; quid repugnet, inspicere, nisi dialecticæ tantũ, quæ huius quãmaximè rei peritiam profitetur: idcirco ait hunc esse locum totum dialecticorum, qui etiam ab adiunctis longè diuersus est. Primùm quod adiuncta prodere sese, atq; ostentare inuicem possunt, non verò perficere atque implere naturam, veluti ambulationem pedum strepitus signare quidem ac denunciare potest, efficere verò nõ potest. Neq; enim ambulationem efficit pedum strepitus: nec verò ex necessitate ambulatio vt pedum strepitus sit, author est: sed sæpe ita ambulatur, vt nullus pedum strepitus exaudiatur: sæpe non mutato loco, moueri pedes, ac strepere præter ambulationem queunt. Idcirco non semper inueniuntur adiuncta: propositóque termino, quem probare contendimus, sæpe ex adiunctis argumenta deficiunt, quia ipsa quoque aliquoties deficere videntur adiuncta: Præcedentia verò & consequentia & repugnantia nunquam desunt. omne enim quicquid in rebus est, habet quod se aut sequatur naturaliter, aut præcedat. Est etiã à quo naturæ diuersitate dissideat, veluti hominem sequitur quidẽ animal, præcedit verò substantiam. dicimus enim, Si homo est, animal est. Substantiam verò præcedit, cùm proponimus, Si animal est, substantia est. Repugnat verò mortuo,

cum enunciamus, Si animal est, mortuum non est. Præterea quæ sunt adiuncta, temporibus distributa sunt, vt ante rem, cum re, vel post rem. Quæ verò sunt antecedentia, consequentia, & repugnãtia, quomodolibet in temporibus sint, nihil refert. Nam priora sæpe temporibus comitantur, & temporibus posteriora præcedunt: & quæ simul temporibus sunt, aliàs præcedunt, aliàs verò consequuntur, vt superiùs quoque sæpe diximus. Amplius: Quæ antecedentia sunt & consequentia, relinquere sese non possunt, nec sibi repugnantia cohærere: & sunt necessariò sibimet connexa, vel inconnexa. Quæ verò sunt adiuncta, nihil obtinent necessitatis. quia & iungi sibimet, & à se separari queunt. Quæ cum ita sint, quæstio difficilis vehementer oboritur. Videtur enim minus intuentibus nihil hic locus differre ab his locis qui dicti sunt vel à genere, vel à specie, vel à contrariis. Nã genus semper species sequitur: species genus præcedit: contraria autẽ simul esse non possunt. Quæ soluenda est hoc modo. Primùm, quia nõ omne consequens, genus est: nec species, antecedẽs. Repugnantia verò non ipsa contraria, sed contrariorum sunt consequẽtia. vt in locorum qui à M. Tullio propositi sunt, expositione monstrauimus. Dehinc quia cum à genere fit argumentum, ipsum genus assumitur: eodem quoque modo species, cum ab ea aliquid volumus approbare. Cum verò ab antecedentibus & consequentibus aliquid monstrare contendimus, eo quod in conditionali propositione præcesserit, vtimur in assumptione: etiam si non fuerit genus. Item si à consequenti argumentum fiat: etiam si species non sit, à consequenti parte conditionalis propositionis ducitur argumentum. veluti cum ita dicimus, Si ignis est, leuis est: Ignis antecedit, leuitas sequitur. sed neutrum neutri est genus, aut species. Assumitur itaque, Atqui ignis est. Nunc igitur id quod antecedebat assumpsi: ex quo monstratur conclusio, leuis ignis est. At si ita assumatur, Sed non est leuis: id quod consequebatur assumpsi. Concluditur ergo atque monstratur, Non est igitur ignis. Vides igitur vt de his præcedẽtibus & consequentibus nunc loquimur, quæ in conditionali propositione posita, vel præcedere vel consequi intelliguntur. Cùm verò fit ex genere argumẽtum, species quidem est, de qua aliquid probare intendimus: genus verò assumimus, non quasi præcedens, sed quasi continens: vt quicquid esse cõsideratur in genere, id etiam formæ quoque debeat aptari. Genus enim quoad permanet, à sua specie non recedit. Cùm verò de specie sumimus argumentum: genus quidem est de quo aliquid quæritur: sed id laboramus, vt id, quod de genere conamur ostendere, ex specie posßit facilius agnosci. vt cum vxori Fabiæ relictum fuisset legatum si materfamiliàs fuisset, quoniam non conuenerit in manum, scilicet ab in manus conuentione, quæ species est vxoris, vxorem, quod est matrisfamiliàs genus, à legati iure seiungimus: & legatum ad speciem, id est matremfamiliàs, deriuamus. Sed illud interius dispiciendum videtur, num locus ab antecedentibus & consequẽtibus totus superuacaneus esse videatur: quum, quolibet modo fuerint ex eo argumenta composita, à cæteris locis quos superius descripsimus, non recedant. Nam quodcunque ab antecedentibus & consequentibus ducitur argumẽtum, id vel à toto, vel à partibus, vel à coniugatis, vel ab aliquo reliquorum tractũ esse perpenditur, hoc modo, Si vtilis est æquitas cõstituta ad res suas obtinendas: vtile est ius ciuile. At vtile est quod præcedit: Quod sequitur igitur. Hic est à definitione argumentũ, scilicet ab assumptione præcedentis. At si ita dicam, Sed non est vtile ius ciuile: non est igitur vtilis æquitas constituta ad res suas obtinendas: hic per consequentis assumptionem à definitionis loco sumptũ est argumentũ. Item à partium enumeratione, Si neq; censu, neque cæteris liber est, non est liber. at censu, vel cæteris. est igitur liber. at nõ est liber: neque censu igitur, neque cæteris manumissus est. Sed notandum est quæ sit vis vniuscuiusque argumenti, & quónam modo proferatur. Sunt enim argumenta, quæ prædicatiuis apta sint syllogismis: vt à definitione, sic, Ius ciuile est æquitas constituta, & reliqua. Id verò vtile est: vtile est igitur ius ciuile. Item à partibus, Qui neque censu, neque vindicta, neque testamento est manumissus: hic ex seruitute liber factus non est. Stichus verò neque testamento, neque censu, neque vindicta manumissus est. Stichus igitur liber non est. & in cæteris eodem modo. Omnia verò quæcũque per categoricũ syllogismum proferri possunt, eadem per conditionalem dici queunt. omnis nanque prædicatiua propositio in conditionalem verti potest, hoc modo, Omnis homo animal est: prædicatiua est. Hæc facilè vertitur in conditionalem, ita, Si homo est, animal est. Non verò omnis conditionalis in prædicatiuã verti potest. velut hic, Si peperit, cum viro cõcubuit. Nemo enim dicere potest ipsum PEPERISSE, id esse quod cum viro cõcumbere. quomodo dicimus hominem id esse quod animal sit. alia enim ratio est in his propositionibus quæ ita dicũtur: quæ peperit, cum viro concubuit: hæc enim similis est ei quæ dicit, Si peperit, cum viro concubuit.

Sed prædicatiua propositio id esse subiectum dicit, quod fuerit prædicatũ. Conditionalis verò id ponit, vt si id quod antecedẽs fuerit, comitetur necessariò quod subsequitur. Cùm verò prædicatiua est propositio: si ea vertatur in conditionalẽ, alia nimirum redditur propositio. Nam cùm dicitur, Omnis homo animal est: ipse homo animal esse proponitur. cùm verò, Si homo est, animal est: non id sentitur, vt ille qui homo est, animal sit: sed proposito esse hominẽ, consequi vt sit animal. Ergo conditionalis syllogismus in antecessione & consecutione positus, licet per definitionem, licet per partiũ enumerationem, licet per coniugationem, & quolibet alio fiat modo, tamen in propria forma se continet: & est conditionalis, id est, vtens propria conditione, vt quodammodo cætera argumenta suæ veluti naturæ videatur habere subiecta. vt cùm sit à definitione argumentum, si quidem per prædicatiuam formam factus fuerit syllogismus, à definitione deductum esse dicatur. sin verò per hypothesin facta fuerit argumentatio, conditionalis sit syllogismus: quem discernat assumptio, vtrum ab antecedentis an à consequentis parte promatur. Quo fit vt etiam si per cæteros locos conditionale argumentum feratur: tamen suam quandam habeat formã, quandoquidem in antecessione & consecutione est constitutus. Tunc enim definitio, partes, coniugatio, & cætera, veluti res ipsæ fiunt, ac non locus, cùm venerint in conditionẽ. at si conditio cesset, ex ipsis perfectum videbitur argumentum. Quòd si propositionem conditio copulauerit: ipsa quidem ea, quæ in propositionibus continentur, sunt veluti quædam argumenti partes: locus verò in conditione est constitutus. Atque hæc non ita dicta sunt, quasi aliter conditionalis hic locus tractari non valeat, nisi eorũ aliquem, quos prædiximus, includat. nam potest præter eos etiã sæpe reperiri: vt cùm dicimus, Si homo est, risibilis est. si coruus est, niger est. hic enim nec definitionem, nec partes, nec vllum alium locum superius enumeratorum, continet argumentum. Amplius, Facile est in singulis eorum differentias præuidere. locus quippe à toto, à substantia trahitur: à partibus verò, à rei compositione: nam in simplicibus terminis tale argumentum non potest inueniri à nota, ab interpretatione, à coniugatis, ab eo quod ex eodem vtrunq; diducitur, à genere, à continenti, à forma, ab eo quod continetur, à differentia, ab eo quod discrepat, à similibus, ab eadem qualitate, à cõtrariis, ab eo quod à se longè diuersa sint, à causis efficiẽtibus, ab effectis, ab his quæ vim alterius efficientiæ susceperunt, ab adiunctis, à vicinitate naturæ, à comparatione maiorum, parium, vel minorum, à relatione ad æqualem vel inæqualem quantitatem. Ab antecedentibus verò longè alius modus est. Cõstat enim in eo, quòd si propositum quid fuerit, aliud quiddã modis omnibus existet, quod consequens appellatur. huius verò intelligentia consistit in eo, quòd præcedente quolibet aliud subsecutum est. Repugnantium verò intelligentia consistit, non modò quòd neque sequi, neque antecedere possunt: verùm etiam quòd simul esse nõ possunt. quæ in conditione consistere dubium non est. His igitur ita expeditis, quoniam M. Tullius proprietatem loci, vt in transcursu potuit, euidenter expressit: nũc quibus modis eodem loco vti conueniat, adiungit. Quæ Topicorum pars quoniam diligentius explananda est, finem quarto volumini faciam, quinto cætera redditurus.

ANITII MANLII SEVERINI BOËTIJ IN TOPICA M. T. CICERONIS COMMENTARIORUM LIBER V.

DE omnibus quidem hypotheticis syllogismis, Patrici rhetorum peritissime, plenè abundanterque digessimus his libris, quos de eorum principaliter institutione conscripsimus: à quibus integram perfectamque doctrinam, cui reuoluendi illa vacuum tẽpus est, lector accipiet. Sed quia nunc Ciceronis Topica sumpsimus exponenda, atque in his aliquorum M. T. modorum meminit, dicendum mihi breuiter existimo de his septem conditionalibus syllogismis, quæ eorum natura sit, propositionúmque contextio: vt cum hæc ad scientiam rite prælibata peruenerint, Tulliana facilius noscantur exempla. Omne igitur quod in quæstione

dubitatur,aut verisimilibus,aut necessariis probabitur argumentis. Argumentum verò omne, aut in syllogismi ordinem cadet,aut ex syllogismo vires accipiet.Syllogismus verò omnis,propositionibus constat.Propositiones autem omnes,vel simplices sunt, vel compositæ.Simplices,quæ simplicibus orationis partibus coniunguntur. Copulant autem incompositam propositionem simplices orationis partes,nomen & verbum, veluti cum dicimus,dies est, vel dies vernus est, vel dies serenus. hic enim omnem vim propositionis nomen connectit & verbum. omnis autem simplex propositio, ex subiecto prædicatóque consistit. Subiectum est, de quo dicitur id quod prædicatur. Prædicatum est quod de eo dicitur quod subiectum est. Verbum autem aliquoties prædicato nomini adiungitur, aliquoties ipsum prædicatur.prædicato nomini adiungitur in hac propositione,quæ dicit, dies serenus est.dies enim, subiectus est: serenus,prædicatur: EST verò verbum,sereno adiũctum est, quod diximus esse prædicatum. At si talis sit propositio,quæ solo nomine constet,& verbo, veluti cũ dicimus,dies est tunc dies subiicitur, EST verbũ sine dubio prædicatur. Sine verbo autem nulla est propositio. Omnis enim propositio vel vera vel falsa est. Nisi autem verbũ sit quodlibet adiunctũ,quo aliquid esse aut nõ esse dicatur,nulla veritas aut falsitas in propositionibus deprehenditur. Sæpe autem propositiones etiam ex totis orationibus constant:vt si dicamus, Transire in Africam vtile est Romanis.hic enim subiectum quidem est,transire in Africam:vtile autem Romanis, prædicatum:esse verò,prædicato cõiungitur. Huiusmodi igitur omnes propositiones prædicatiuæ dicuntur.prædicatiuæ verò appellantur,quia aliud de alio prædicant. Omnesque qui ex his propositionibus fiunt syllogismi, secundum enuntiationum suarum formas,prædicatiui appellantur. Ex his autem prædicatiuis propositionibus existunt cõpositæ propositiones:quarũ aliæ quidem copulatiua coniunctione nectuntur:vt & dies est,& lux est.aliæ verò per conditionem fiunt,quæ etiam conditionales enuntiationes vocantur.hæ verò sunt,quæ coniunctione quadã partibus interposita ad consequentiam conditionémque ducuntur. Age enim,sint duæ propositiones prædicatiuæ,vna quidem quæ dicit,animal est:alia verò quæ apponit,homo est.His si cõiunctio interueniat,faciet,si homo est, animal est. Vides igitur vt duas prædicatiuas propositiones in vnam conditionem coniunctio copulauerit. Quæ cum ita sint,omnes hæ propositiones hypotheticæ,id est conditionales vocãtur:atque ex his syllogismi tales existunt, quibus hypotheticis, vel conditionalibus nomen est. Omnis autem hypothetica propositio,vel per connexionem fit,vel per disiunctionem.per connexionem hoc modo, Si dies est,lux est. Per disiunctionem ita, Aut dies est,aut nox est. Earum verò quæ per connexionem fiunt,aliæ ex duabus affirmatiuis copulatæ sunt.vt,si dies est,lux est. nanque dies est, & lux est, vtraque aliquid affirmant. Aliæ ex duabus negatiuis. vt, Si lux non est,dies non est. vtraque negatio est. Aliæ verò ex affirmatiua negatiuáque coniunctæ sunt. vt, Si dies est, nox non est. Aliæ verò ex negatiua atque affirmatiua copulantur. vt, Si dies non est, nox est. omnes tamen in connexione sunt positæ: aut enim affirmatio affirmationem sequitur, aut negatio negationẽ,eíque connexa est: aut affirmationem negatio, aut negationem affirmatio. Sed ex connexis repugnantes manifestum est nasci.nanque vbi affirmatio sequitur affirmationem, his si media negatio interposita sit,repugnantiam facit,hoc modo, Si dies est,lux est.hîc affirmatio sequitur affirmationem. At cum dico,Si dies est,lux non est: repugnant inter se partes propositionis connexæ, interposita negatione. Item quoties negatio sequitur negationem, si posteriori propositionis parti negatiuum dematur aduerbium, repugnantes fiunt, hoc modo,Si animal nõ est, homo non est:hæc connexa est ex duabus proposita negatiuis. At si posteriori parti,homo non est, negatiuum detrahatur aduerbium,fiet,Si animal non est,homo est:quod repugnat. At si affirmatio negationẽ sequatur,siue posteriori parti negatio iungatur,siue priori auferatur,repugnãtes fiũt, hoc modo,Si dies non est,nox est.hîc igitur affirmatio sequitur negationem.Siue igitur posteriorĩ parti,nox est,negatio copuletur,vt sit ita,Si dies non est,nox nõ est:siue priori auferatur,vt sit ita, Si dies est, nox est:repugnantem fieri propositionem necesse est. quod si negatio affirmationem sequatur, & posteriori parti negatiuum aduerbium subtrahatur:propositionis connexæ partes in repugnantiam cadunt,hoc modo,Si vigilat,non stertit:hic affirmationem sequitur negatio.sed si posteriori parti,id est non stertit,negatio dematur, fiet,Si vigilat,stertit: & erit repugnans. Sed in connexis atque disiunctis propositionibus illud intelligendum est, quòd in earum partibus & vis quæstionis includitur & argumenti. Age enim, dubitetur an lux sit, ídque approbandum sit eò quòd dies est.Si igitur ita fiat propositio,Si dies est,lux est: ea quidem pars totius propositionis quæ

sequitur, id est, lux est, quæstionis est. De ea nanque quæritur, an lux sit. Ea verò quæ prior est, id est dies est: vim continet argumenti. ex eo enim quòd dies est, lux esse probabitur. Et in cæteris quidem vel connexis, vel disiunctis, eadem ratio est. In omnibus verò his quoniam syllogismus atque argumentatio ad demonstrandam partem alteram quæstionis accõmodatur, quæstio verò omnis dubitabilis est: oportet syllogismos, qui accõmodantur ambiguæ quæstioni, indubitabiles esse atq; perspicuos: qui vt sint tales, ex claris atque apertis & in veritate patẽtibus propositionibus necesse est constent. propositiones verò partim per se notæ sunt, partim aliquibus probationibus indigebũt. Omnis verò syllogismus enuntiatione proposita habet alicuius partis assumptionem, vt quod est in quæstione concludat, hoc modo, Si dies est, lux est. Vt igitur lucem esse demonstrem, assumam vnam partem propositionis superius constitutæ, dicámque, Sed dies est: ac tunc demum id quod est in quæstione concludam, Lux est igitur. Ergo cum ad syllogismi conclusionem, & tota enuntiatione in proponendo, & in assumendo parte enunciationis vtamur: necesse est, vt ea quibus vtimur, nihil habeant dubitabile: siquidem ex his ea quæ sunt ambigua, capient fidem. Quòd si propositio aliquoties quidem per se nota est atque perspicua, aliquoties verò probationis indigens inuenitur: assumptio quoque aliquoties per se vera esse notabitur, aliquoties approbationis indiget adiumentis. Quo fit, vt si & propositio & assumptio demonstrandæ sint, quinquepartitus, vt Cicero etiam in rhetoricis author est, syllogismus fiat, constans ex propositione, eiúsque probatione, assumptione, eiusdémque probatione, & conclusione. Quòd si neutra sit approbanda, tripartitus fit, Ex propositione scilicet, & assumptione, & conclusione. Quòd si altera earũ demonstranda sit, fit quadripartitus, ex propositione scilicet & assumptione, atque vnius earũ approbatione & conclusione. Conclusionis verò ipsius approbatio, præcedente propositione, atque assumptione perficitur. Quæ cum ita sint, cúmque omnis propositio hypothetica, in connexionẽ disiunctionémque diuidatur: in connexis propositionibus aliud dicimus præcedens, aliud consequens: Idem autem consequens & connexum vocamus. velut in hac propositione, Si dies est, lux est. Dies est, præcedit: annectitur, lux est. In disiunctis autem non est eadem ratio: quia cũ ea quæ proponuntur, simul esse non possunt: nullo modo dicuntur esse connexa. Præcedens autem & subsequens inde iudicatur: quia quod primum ponitur, iure antecedẽs: quod locatur posterius, iure subsequẽs dicitur. Ex his igitur propositionibus, quæ connexæ sunt, fit primus & secundus hypotheticorum syllogismorũ modus. addita verò negatione propositioni connexæ ex duabus affirmationibus copulatæ, eáque insuper denegata, tertius accedit. ex disiunctis verò propositionibus, diuerso modo assumptionibus factis, quartus & quintus. Vtrisque verò per negationem compositis, sextus & septimus. Atque hæ septem sunt hypotheticæ conclusiones, quarum Marcus Tullius in Topicis meminit: quarum omnium deinceps ordo atque exempla subdenda sunt. Primus igitur modus est, cum in connexa propositione, assumpto eo quod præcedit, volumus monstrare quod sequitur ita esse oportere, vt est in connexione prolatum. In quo, si id quod connexum est, ac sequitur, assumpserimus: nullus omnino fit syllogismus. Huius exẽplum tale est, Si dies est, lucet. Si igitur lucere monstremus: assumamus, necesse est diẽ esse, hoc modo, Atqui dies est: cõsequitur ergo ex necessitate lucere. Quòd si lucere assumamus, atque ita dicamus, Atqui lucet: non necesse est diem esse. atq; ideò nulla necessitas euenit conclusionis. Vbi verò nulla necessitas est, nec syllogismus quidem intelligi potest. Est igitur primus modus in hanc formã, Si dies est, lucet: dies autem est: lucet igitur. Inueniuntur tamen in quibus æquo modo valet assumptio, siue præcedẽs, siue subsequẽs assumatur. vt in homine atq; risibili. Si enim homo est, risibile est: atqui homo est: risibile igitur est. atqui risibile est: homo igitur est. Sed in his hæc causa est: quia homo atq; risibile, æqui sunt termini: atque idcirco vno posito alterũ comitari necesse est. Sed quia hoc in omnibus non est, idcirco dicimus non esse vniuersale, vt assumpto posteriore, quod præcedebat probetur. Secundus verò modus est, quoties assumpto posteriore atque consequẽti, quod antecesserat aufertur, hoc modo, Si dies est, lucet. hîc si assumamus non lucere, contrario modo atq; in propositione prolatũ est assumemus, dicentes, Atqui non lucet. in eo igitur sequitur nõ esse diem. Quòd si diem negemus, id est, quod antecedit, in assumptione contrario modo atque positũ est in propositione, proferamus: non tollitur quod est connexum. vt si dicamus, atqui non est dies: non mox sequitur, non lucere. Potest enim non esse dies, & tamen lucere. Est igitur secundi modi forma huiusmodi, Si dies est, lucet: atqui nõ lucet: nõ est igitur dies. Primus igitur modus assumit quod præcessit, vt approbet quod connexum est. nõ potest verò assumere quod connexum est, vt probet quod præcessit. Secundus au-

tem assumit econtrario quod sequitur, vt quod præcessit euertat. non potest autem econtrario assume re quod præcessit, nisi id quod connexum est, auferatur. Tertius modus est, cum inter partes cõnexæ atq; ex duabus affirmationibus copulatæ propositionis negatio interponitur, eáq; ipsa negatio de negatur: quæ propositio, ὑποθετικὴ Græco sermone appellatur: vt in hac ipsa quam superius proposuimus, Si dies est, lux est. si inter has propositiones negatio interueniat, fiet hoc modo, Si dies est, lux nõ est. ac si vlterius denegemus, erit ita, Non si dies est, lux nõ est. cuius propositionis ista sen tẽtia est, Quia si dies est, fieri non potest vt lux nõ sit. Quæ propositio, superabnegatiua appellatur: talesque sunt omnes, in quibus negatio præponitur negationi, vt, Non non est dies. & rursus, Nec non Ausonij Troia gens missa coloni. In hac igitur, si priorem partem, id est diem esse, in assumptione ponamus, consequetur etiam lucem esse, hoc modo, Non si dies est, lux non est. atqui dies est, lux igitur est. Qui modus à superioribus plurimum distat: quòd in eo modo qui sit ab antecedentibus, ponitur antecedens, vt id, quod sequitur, astruatur. In modo verò à consequentibus perimitur consequens, vt id quod præcesserat, auferatur. In hoc verò neutrum est. nam neque antecedens ponitur, vt quod sequitur, confirmetur: nec interimitur subsequens, vt id quod præcesserat, euertatur. sed ponitur antecedens, vt id quod sequitur, interimatur. Hic autem propositionis modus, partes inter se suas continet repugnantes. aduersum quippe est, ac repugnat, si dies est, non esse lucem: sed idcir co rata propositio est, quia consequẽtium repugnantia facta per mediam negationem alia negatione destruitur, & ad vim affirmationis omnino reuocatur. nam quia consequens esse intelligitur ac verum, si dies est, esse lucem, repugnat ac falsum est. si dies est, non esse lucem. quæ denegata rursus vera est, ita, Non si dies est, lux non est: & fit consimilis affirmationi, Si dies est, lux est: quia facit affirmationem geminata negatio. Similiter verò fiunt ex repugnantibus propositionis partibus ar gumenta, vel si duabus negationibus, vel si negatione & affirmatione, vel si affirmatione & negatione iungantur. Quomodo verò fiãt ex talibus connexis repugnãtes, superius dictũ est. Fit verò ex ea propositione quæ duabus iũgitur negatiuis, ex repugnãti argumentũ, hoc modo, Sit propositio, Si nõ est lux, dies nõ est. fiat repugnãs ita, Si nõ est lux, est dies. huic iũgamus negationẽ, vt fiat vera, ita, Nõ si lux non est, dies est. atqui lux nõ est: dies igitur nõ est. Itẽ sit ex negatione atq; affirmatione propositio hæc, Si dies non est, nox est. huic addatur ex posteriore parte negatio, & sit ita, Si dies non est, nox non est: fit repugnans. hæc nihilominus annuatur, vt sit vera, Non si dies non est, nox nõ est. assumimus, Atqui dies non est. Concludimus, Nox igitur est. Item si ex eadem propositione, quæ ex negatiua affirmatiuaq; coniungitur, & dicit, Si dies non est, nox est: à priori parte negatio subtrahatur, fiat repugnãs, hoc modo, Si dies est, nox est. huic apponatur negatio, vt vera esse possit, hoc modo, Non si dies est, nox est. assumamúsq;, Atqui dies est. Cõcluditur, Nox igitur nõ est. At si sit ex affirmatione & negatione propositio cõiuncta, velut hic, Si vigilat, nõ stertit: demitur posteriori parti negatio, vt fiat ita, Si vigilat, stertit: sed hæc repugnat. Tota rursus propositio denegetur, vt vera fiat, hoc modo, Nõ si vigilat, stertit: assumimus, atqui vigilat. Cõcludamus necesse est, Non stertit igitur. Sed hæ quatuor ex repugnãtibus conclusiones, in tertio modo consistere intelliguntur: quarum quidem Tullius tres commemorauit, vnámq; præcepto docuit, eam quam propositio talis efficit, quæ duabus iungitur affirmatiuis: duas verò exemplo, scilicet eã quæ ex tali propositione nascitur, quam duæ copulant negationes: & eam, quæ ex tali connexa procreatur, quæ ex affirmatione negationéq; consistit. Reliquam verò præteriit, quòd illarum similitudine etiam in tertium conclusionis modum videbatur incidere. Quartus modus in disiunctione consistit, hoc modo, Aut dies est, aut nox est. sed dies est, nox igitur nõ est. Huius hæc ratio est: quia disiunctiua enũciatione ꝓposita, prior pars eius assumitur affirmãdo, vt subsequẽs auferatur: ex ea enim propositione, quæ dicit, Aut dies est, aut nox est: assumimus, Atqui dies est, scilicet affirmãtes esse diem, quã affirmationem assumptionis consequitur nõ esse noctem. Quintus modus est, cùm in eadẽ disiunctiua propositione, id quod primum, negãdo assumitur, vt id quod est posterius, inferatur, hoc modo, Aut dies est, aut nox est: Atqui dies non est. per negationem scilicet facta est assumptio. consequitur esse noctem. Sextus verò modus ac septimus, ex quarti & quinti modi disiũctiua propositione deducũtur, vna negatione scilicet adiuncta, & disiunctiua propositione detracta: additáque coniunctiua his propositionibus, quæ superius in disiunctione sunt positæ, hoc modo, Non & dies est, & nox est. Dudum igitur in disiunctiua ita fuit, vt, aut dies est, aut nox est. Ex hac igitur propositione sublata, aut, cõiunctione, quæ erat disiunctiua, adiecimus &, quæ copulatiua est, præposuimúsque

negationem. Itaque fecimus ex partibus disiunctiuæ propositionis copulatis, addita negatione, propositionem sexti atque septimi modi, quæ est, Non & dies est, & nox est. In qua si assumatur, esse diem: noctem non esse consequitur. atqui dies est: non est igitur nox. Septimus verò modus est, cum prima pars propositionis negando assumitur, vt posterior subsequatur, hoc modo, Nõ & dies est & nox est. atqui dies non est: nox igitur. Atque hic modus propositionum in solis his inueniri potest, quorum alterum esse necesse est, vt diem vel noctem, ægritudinẽ vel salutem, & quicquid medium non habet. Quo autem modo omnium syllogismorum conditionalium veritas sese habeat, his diligentissime explicauimus libris, quos de hypotheticis cõscripsimus syllogismis. Nunc verò, non quòd de his perfectior consideratio inueniri potest, apposuimus: sed id quod ad explanandum M. Tullij sententiam poterit accommodari. Vt igitur cuncta, quæ diximus, breuiter colligantur: Primus modus est, quoties in connexa propositione primũ, vt in propositione locatur, assumitur, vt consequatur secundum, hoc modo, Si dies est, lux est. atqui dies est: lux igitur est. Secundus modus est, quoties in connexa propositione secundum è contrario assumitur quàm in propositione locatum est, vt id quod primum est auferatur, hoc modo, Si dies est, lux est. atqui non est lux: non est igitur dies.

Tertius modus est, cum connexæ propositionis partes ex affirmationibus iunctæ, negatione diuiduntur, totíque propositioni negatio rursus adiungitur, assumiturq; quod prius est, vt in propositione est enunciatum, vt è contrario concludatur secũdum, quàm in propositione prolatum est, hoc modo, Non si dies est, lux non est. atqui dies est: lux igitur est. hîc ergo posito quod præcedebat, id est esse diẽ: euersum est quod sequebatur, id est non esse lucem. negationẽ quippe affirmatio omnis euertit, vel cum connexæ propositionis negationibus iunctæ secundæ parti negatio detrahitur, totáque propositio denegatur, positáque priore propositionis parte interimitur quod subsequitur, hoc modo, Non si lux non est, dies est. atqui lux non est: dies igitur non est. Vel si connexæ propositionis ex negatione atque affirmatione compositæ secundæ parti negatio iungatur, eáque insuper denegetur, ponatúrque quod prius est, vt id quod sequitur, auferatur, hoc modo, Non si dies non est, nox non est. atqui dies non est: nox igitur est. Vel si in eadem propositione, quæ ex negatione atque affirmatione copulata est, priori parti negatio subtrahatur, eáque denegetur, ponatúrque quod primum est, vt id quod sequitur auferatur, hoc modo, Non si dies est, nox est. atqui dies est, nox igitur non est. Vel si connexæ propositionis ex affirmatione & negatione copulatæ, posteriori parti negatio dematur, totáque insuper denegetur, positóq; priore, id quod sequitur interimatur, hoc modo, Non si vigilat, stertit. atqui vigilat, non stertit igitur. Atque hæc omnia in tertio esse intelliguntur modo, atque ex repugnantibus fiunt: & semper id quod antecedit ponitur, vt id quod sequitur auferatur. Nam sicut in propositione conditionali, quæ negata repugnantia partium vera fit, prior pars proponitur, siue affirmatiuè, siue negatiuè: ita eã reddit assumptio. Sed vt prima pars fuerit assumpta, reliqua contraria enuntiatione concluditur. nam si assumptio fuerit affirmatiua, erit negatiua conclusio. si assumptio negatiua, erit cõclusio affirmatiua. Quartus modus est, cum in disiunctiua propositione primum ponitur, vt auferatur secundum, hoc modo, Aut dies est, aut nox est. atqui dies est: nõ est igitur nox. Quintus modus est, quoties in disiunctiua propositione aufertur quod prius est, vt ponatur secundum, hoc modo, Aut dies est, aut nox est. non est autem dies: nox igitur est. Sextus modus, cùm his rebus, quæ in disiunctionem venire possunt, id est cõtrariis, vel repugnantibus medietate carentibus negatio præponitur, & copulatiuæ cõiunctiones adiunguntur, ponitúrque quod primum est, vt id quod est subsequẽs auferatur, hoc modo, Non & dies, & nox est. dies autem est: nox igitur non est. Septimus modus est, cũ in eadem propositione aufertur id quod præcedit, vt ponatur id quod consequitur, hoc modo, Nõ & dies est, & nox est. atqui dies non est: nox igitur est. His igitur ita prædictis, ad Cic. verba veniam⁹. C V M tripartito &c.) Eũ locũ, qui ex antecedẽtibus, & consequẽtibus & repugnãtibus esset, vnũ rectè videri, eúmque in cõditione esse positum, sed trina partitione distribui, superius explicatum est: idq; M. T. euidentius notat, dicẽs, Intellectum quidem eius, consyderationémque in conditione positam vnam esse, sed per argumẽtationis tractationem tripertitò diuidi. Cuius rei per primum, ac secũdum, & tertium hypotheticorum syllogismorum modum, sicut paulò superius diximus, exempla subiecit. Quæ quoniam implicatiora vidẽtur, quàm vt primo statim aditu comprehẽdantur, visum pauliſper est apertioribus exẽplis animum lectoris imbuere: vt in facilioribus primùm exercitata intelligentia, sine magno negotio, quæ sunt difficiliora, perpendat. Ab antecedentibus igitur argumentatio fit, quoties enunciata conditionæ

propositionis, sumitur id quod antecessit, vt id quod sequitur, inferatur, hoc modo, Sit enim dubium, an Tullius animal sit. concedatúrque eundem Ciceronem esse hominem: & sit rata propositio hæc, Tullius si homo est, animal est: homo antecedit, animal sequitur. Si igitur ex antecedenti velim facere argumentationem, assumam id quod præcedit, hoc modo, Sed homo est Cicero: consequitur animal esse Ciceronem. & est hic primus, quem suprà diximus, modus. Rursus à consequenti argumẽtatio fit, quoties in conditione proposita id quod consequitur, tollit assumptio, vt id quod præcesserat interimatur, hoc modo, Si homo est Cicero, animal est. antecedit homo, sequitur animal. Si igitur ex consequenti facere argumentum velim, dicam, Atqui non est animal: sequitur esse ne hominem quidem. sed id perspicue falsum est: esse enim hominem constat. falsum est igitur animal non esse. Tullius igitur animal est. & hic dictorũ superius secundus est modus. Quòd si à repugnãtibus fiat, in tertio scilicet modo digestarũ superius conclusionum faciemus, ita, Non si homo est Tullius, animal nõ est. repugnat enim esse hominem & animal nõ esse. Hîc si assumamus esse hominẽ, animal quoq; esse recta ratione cõcludimus, hoc modo, Atqui homo est: animal igitur est. atq; hic quidem modus ex ea propositione connexa cõuersus est, quæ ex duabus iuncta est affirmatiuis. His igitur tribus modis Tullius qui homo esset, animal quoq; esse mõstratus est: Nunc quidem dũ id quod antecedit, assumimus, id est esse hominem: Nunc verò dũ id quod consequitur, in assumptione denegamus, id est nõ esse animal: Nunc autem repugnãtiam denegãtes eorum quæ sibi sunt consequentia, posito quod præcedebat, id quod sequebatur intulimus. Quibus ita prægnitis, nunc M. T. tractemus exempla. Cum enim dixisset, Loci in cõsecutione, antecessione, & repugnantia positi, reperiẽdi quidem argumenti simplicem esse intellectũ, tractandi autem triplicem: adiecit, Nã quid interest cũ tibi sumpseris ad demonstrandã pecuniam numeratã mulieri deberi, cui sit argentũ omne legatũ: vtrũ id ab antecedẽtibus, an à cõsequentibus, an à repugnãtibus probes? Nanq; cadẽ sententia in cõclusione colligitur: & argumentationũ diuersitas, nõ in re, sed in antecedẽtium & cõsequentiũ, & repugnantiũ tractatu est cõstituta. Primum igitur, testamẽto aliquis omne suũ argentũ mulieri legauerit: quæratúrque an numerata pecunia mulieri legata sit: concedaturq; numeratã etiam pecuniam argentum appellari. Argumentum igitur in primo modo ex antecedentibus tali ratione contexitur. proponimus enim, Si pecunia signata numeratáque argentum est: eadem pecunia numerata atque signata, legata mulieri est. Hic igitur præcedit, numeratam atque signatam pecuniam argentum esse: sequitur legatam esse mulieri. id igitur quod præcessit assumimus, dicentes, At est signata ac numerata pecunia argentum. Cõcludimus, numeratam signatámque pecuniam mulieri esse legatã: Erítque totius argumẽtationis hic textus, Si pecunia signata numeratáq; argẽtũ est, legata mulieri est. At est pecunia signata numeratáq; argẽtum: Igitur legatum est mulieri. In quo si ad sæpius præmissa, plurimísque exemplis superius enodata, lectoris animus reuertatur: hanc argumentationem in primo modo ab antecedẽtibus esse compositam nõ ignorabit. A consequentibus verò hoc modo, Si numerata pecunia non est legata mulieri, cui sit argentum omne legatum, numerata pecunia nõ est argẽtum. Hic igitur præcedit numeratã pecuniam nõ esse legatam, cũ sit argentũ omne legatum: sequitur numeratã pecuniam argẽtum non esse. Si igitur id quod est posterius auferamus, id est numeratã pecuniam nõ esse argentum, dicemus, Atqui est numerata pecunia argẽtũ: affirmatio nanque tollit negationẽ. Sequitur igitur vt pars præcedẽs auferatur, ea quæ erat, non esse legatã mulieri pecuniã numeratam, cum argentum ei fuisset omne legatum. Sed cum omnis negatio affirmatione cõsumatur, dicemus in cõclusione, Est igitur numerata pecunia mulieri legata, cũ sit argẽtum omne legatum: erítque huiusmodi argumẽtatio, Si nõ est mulieri legata pecunia numerata, cũ ei sit argentum omne legatũ: non est argentum numerata pecunia. Atqui est argentum numerata pecunia: legata est igitur mulieri numerata pecunia, cùm ei fuerit argentum omne legatũ. Sed quod Tullius breuitatis causa præteriit, id est illam partẽ propositionis, quæ ait, Cum sit mulieri argentum omne legatũ: nos apertioris intelligentiæ causa subiunximus. Nec perturbare lectorem debet, quòd cum in superioribus exemplis in secundo modo per negationem facta fuerit semper assumptio, & per negationem rursus illata conclusio, nunc per affirmationem & assumptio & cõclusio facta est. Cuius rei euidentíssima ratio est: nam cum in superioribus exẽplis prima propositio ex affirmationibus fuerit cõstituta, atq; in secundo modo assumptio id quod sequebatur auferret, ita vt interimeret id quod præcedebat: necessarium erat duplicem affirmationem gemina negatione cõsumi, hoc modo, Si dies est, lux est, vtraq; in affirmatione sunt cõstitutæ. Vt igitur posterior pars, id

est,lux est,quæ affirmatio est,interimatur,denegãda est:dicam igitur, Atqui non est lux. Quo fit vt præcedentem quoq; partem,id est dies est,quã affirmationem esse manifestũ est,negatione tollamus,cõcludentes, Dies igitur nõ est. At in hoc Ciceronis exẽplo vtraque pars primæ atque hypotheticæ propositionis negationibus enuntiata est:quæ in assumptione vel cõclusione,nõ alius,nisi affirmationibus auferũtur,hoc modo. Est enim tale Ciceronis exemplũ, Si legata non est mulieri numerata pecunia:nõ est numerata pecunia argentum. Vides vt sit vtraque negatio. Nã & non esse legatam mulieri pecuniã numeratã, & non esse numeratam pecuniã argentũ, vtræq; in negatione sunt positæ. Quòd si auferenda est per assumptionem propositionis consequens pars,quoniã negatio est,non esse numeratam pecuniã argentũ:dicendũ est,argentũ esse pecuniam numeratã. Quòd si in conclusione auferenda est pars præcedens,eáque negatio est,id est,non esse legatam mulieri pecuniã numeratam:dicendũ est, Legata igitur mulieri numerata pecunia est. Et secundus quidem modus à consequẽtibus factus huiusmodi est. Illud tamen est diligentius annotandũ: quòd superius Tullius,cum locorum omniũ breuiter exempla disponeret, loci huius qui à consequentibus ducitur, inconueniens secundo conditionalium syllogismorum modo subiecit exẽplum : potiúsq; primo cõuenit modo,qui non à consequẽtibus cõclusionem, sed antecedentibus facit. Ita quippe proposuit à consequentibus, Si mulier cum fuisset nupta cum eo cum quo connubiũ concessum non esset, nuntium remisit:quoniam qui nati sunt,patrem nõ sequuntur,pro liberis manere nihil oportet. Hîc igitur cum quæratur,an dotis pars apud virum debet permanere:id quod præcedit assumitur, vt fiat rata conclusio,hoc modo, Sed mulier cum eo nupta est,quicum connubium non fuit. concluditur, Quoniam igitur qui nati sunt, patrem non sequuntur,pro liberis manere nihil oportet. & ita non est à consequentibus argumentum: quia non id quod consequebatur assumptum est , sed id quod præcedebat. erat quippe antecedens, nupta mulier præter connubij ius : sequebatur, cum filij patrem non sequebantur,pro eis nihil ex dote retineri . Sic igitur Tullius pro eo quod est à consequentibus argumentum,ab antecedentibus potius dedit exemplũ. Potest verò fieri à consequentibus argumentũ, ita, si id de quo quæritur,prius ponatur, & id quod assumendum est,posterius,hoc modo, Si quid ex dote pro liberis manere oportebit,quia patrem liberi sequuntur: cum eo nupta est mulier quicum connubij ius erat . Sumo igitur quod consequitur per negationem, ita , Sed non est nupta mulier cum eo quicum cõnubij ius erat:atque ideò qui nati sunt, patrem nõ sequuntur. Perimitur ergo in cõclusione id quod in propositione præcesserat, ita, Pro liberis igitur manere nihil oportet . Sed de secundo modo ista sufficiant: nihil nanq;(vt arbitror) prætermissum est. Tertius modus à repugnantibus longè perspicuus,hoc modo, Non si legatum argentũ est, non est legata mulieri pecunia numerata. Hic nanq; cõsequens erat, Si argentum esset omne legatũ , pecuniam quoq; numeratam fuisse legatam. Vt igitur fieret repugnãs,huic cõsequentiæ interposita negatio est, dictúmque,Si argentum omne legatum esset,numeratã pecuniam non esse legatam. Quod quia pugnat & falsum est:ad veritatem alia negatione reducitur, sic, Non si legatum argentum est, nõ est legata numerata pecunia. vt scilicet ei affirmationi cõueniat quæ dicit, Si legatum argentum est, legatam esse pecuniam numeratã. Assumimus igitur huic propositioni, Argentum omne esse legatum. & consequitur, Omnem numeratam pecuniã mulieri esse legatam. vt sit forma argumentationis huiusmodi, Non si legatum argentũ est,non est legata numerata pecunia. M. verò Tullius propositionem ita formauit, Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia : sed nos idcirco causalem coniunctionẽ apposuimus eã,quæ est S I, vt ex quo esset genere talis propositio,mõstraremus. Nanq; ex cõnexo,negatione addita fit repugnans. Connexũ verò nulla æquè vt S I coniunctio,posset ostẽdere:quanquã idem efficiat copulatiua coniunctio. Nam quæ cõnexa sunt,etiam cõiuncta esse intelligũtur ex hoc quod paulò antè diximus. Quod argumẽtum ex ea propositione profectũ est, quæ duabus affirmationibus copulabatur, & iuncta negatione insuper denegata est. In omnibus igitur illud est approbatũ: pecuniam numeratã mulieri deberi,cum sit argentum omne legatum. Sed nunc quidẽ ex suprà descriptis propositionibus,id quod antecedebat,assumpsimus: Nunc verò,id quod cõsequebatur: Nunc autẽ id quod repugnabat. Ac de explanãdis Ciceronis exẽplis,vt arbitror, satis. Illud autem dubitationem mouere potest. Nam siquis minus callidus ad Ciceronis exẽpla respiciat, eundem locũ arbitrabitur esse à genere,quem ab antecedentibus, & cõsequentibus, & repugnantibus esse diximus,illo falsus errore,quòd in vtrisq; locis eodem vtitur exemplo, Argẽti videlicet, & numeratæ pecuniæ. sed diligentius intuẽti,in eisdem rebus diuersus argumentationũ videbitur tra-

ctatus esse. Aliud quippe est dicere, Cũ argenti species sit numerata pecunia: si genus legatũ sit, & speciem esse legatã: quoniam nunquã species à genere separatur. Aliud est in cõditione enuntiationem proponere, & eiusdem partibus assumẽdis argumentationem varia ratiocinatione formare: vt superius demonstratũ est. cum præsertim huiusmodi ex consequentibus, antecedentibus, & repugnãtibus argumentationes etiã præter genera ac species fieri possint: velut nos superius indicauimus de luce. Nam neq; dies lucis, neq; lux diei species aut genus est. Sed id tantum in his considerari debet: quia posito altero, alterum necessaria ratione subsequitur. Differunt igitur loci à genere vel à specie ab eo loco qui in conditione est constitutus: quoniam illi ex vniuersalitatis ac partis ratione ducuntur: hic autem in consequentiæ ac repugnantiæ ordine tractatur. Post hæc igitur Tullius hypotheticorum syllogismorum modos conclusionésque dinumerat, hoc modo.

VISORIVS. Deinceps est locus dialecticorum proprius, ex consequentibus & antecedentibus & repugnãtibus.) Vt antecedens est, quo posito necesse est aliud sequatur: ita consequens dicitur, quod antecedente posito, sequi necesse est. vt si iustitia est, virtus est: iustitia est antecedens. nam ea posita, necesse est virtutem sequi. vnde fit, vt virtus sit consequens: quippe qua posita, iustitia ex necessitate colligatur. Repugnans est, quod cum re cui repugnat, hærere nunquam potest. vt, nocendi libido amicitiæ repugnat: nunquam enim amicus ei nocere cupit, quem amat. Quod autem Cicero dicat hunc locum ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, dialecticorum proprium esse, non sic accipiendum est, vt ad solos dialecticos pertinere intelligat. Nam paulò antè dixit, locos omnes omnium disputationum esse communes: quo fit, vt non dialecticorum modò, sed oratorum quoque & iurisconsultorum hic locus esse videatur. id quod postea Cicero testatur, vbi ait: Hoc differẽdi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes. Cicero vestras dixit, Trebatium alloquens, id est, iurisconsultorũ. Deinde addit: Sed philosophorũ magis, quibus est cũ oratoribus illa ex repugnãtibus sententiis cõmunis conclusio: quæ à dialecticis tertius concludendi modus, à rhetoribus enthymema nũcupatur. Vnde colligere paratum est, non dialecticorum modò locum hunc esse. Nam si locus à repugnantibus dialectico sit & oratori communis, & itidem sit locus ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, vt paulò pòst dicet: sequitur, antecedentia, consequentia, & repugnantia ad oratores quoque pertinere: ita tamen, vt dialectica magis quàm oratoria sint. Quòd autem iurisconsultorum quoque sint, ideo liquet, quod è iure ciuili deprompserit argumenta, quæ ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus erant. Qui etiam ab adiunctis longè diuersus est.) Quintilianus eundem locum ab adiunctis & consequentibus decimo capite libri quinti facit, quare Ciceroni videtur aduersari. nam Cicero consequentia longè diuersa ab adiũctis esse dicit. Verùm Quintilianus adiuncta & consequẽtia aliter quàm Cicero cepit. Nam à Quintiliano dicuntur adiuncta, quæ consentanea & coniuncta sunt cum re, necnon ei cohærent. Item consequentia Quintilianus vocat non quæ ex antecedentibus consequuntur, sed quæ simul mutuò & inuicem sese comitantur, id est, quæ idem retrò valent, & reciproca sunt: vt si iustitia bonum est, rectè est iudicandum: si perfidia malum, non est fallendũ. Argumentũ conuerte, idẽ valebit: vt, si nõ est fallẽdum, perfidia malum est: si rectè iudicandũ, bonum est iustitia. Hæc, vt dixi, adiuncta simul, id est, cognata & coniuncta dicuntur, quia vtrunque alteri coniungitur & cohæret. tum consequentia vocantur, quasi simul sequentia, quòd vtrunque ab altero colligatur, & mutua sit inter ea consecutio. Consequentia sanè differunt à sequentibus, quòd consequẽtia sint naturæ, sequentia temporis: naturæ dico, siquidem vnius natura ab alterius natura pendet. Vnde fit, vt cognata rectè vocari dixerim eiusmodi cõsequentia. Græci ἀκόλουθα vocãt, Latini mutua vocãt vel reciproca, & idem retrò valent. Tẽporis verò sequentia sunt, quæ post facta futura sunt. ea Græci ἐπαγόμενα, Latini illata, id est collecta nominant. At Cicero secus adiuncta & cõsequentia quàm Quintilianus accepit, longéque diuersa esse voluit: vt adiuncta sint, quæ vicinam & finitimã naturam cum re de qua quæritur seruant, ita tamen vt rei necessariò non cohæreãt, sed satis est, modò vniuersalia sint, etiã si non semper eueniant, sæpius tamen euenire possint. vt inimicitiæ cædi adiunctæ sunt: non tamen quicunque alteri inimicus est, eundem occidit. Consequẽtia verò & antecedentia & repugnantia, necessitatem quandã, sicuti dictũ est, præ se ferunt, quippe quæ ex pronuntiatis connexis fiant: quorum natura est, vt si pars prior vera fuerit, posteriorem esse veram oporteat. Quare cum Cicero dixerit, ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus argumentum necessarium esse, id in pronuntiatis connexis intelligendum est. vt si homo est, animal est: homo

antecedens est, & animal consequens. homine enũ posito, animal sequi necesse est. Nõ semper eueniunt.) Adiuncta frequentius verisimilia sunt quàm necessaria: nonnũquam tamen necessaria, vt superius de loco & tempore dictum est. quo argumento tanquam necessario Pub. Clodius absolutus est, qui se Interamnæ fuisse probauit, quo tempore sacra Bonæ deæ Romæ in domo alterius consulis fiebant. quare fieri nõ potuit, vt ea Clodius polluerit, qui tũ Romæ non erat, sed Interamnæ. Vides hoc argumentum à loco & tempore petitum, necessarium esse. at locus & tẽpus adiuncta sunt: igitur ab adiunctis argumenta necessaria nõnunquam eruuntur. Insuper, vt probauimus, in verisimilibus propriæ rerũ notæ aliquando sunt: at propriæ rerum notæ necessariæ sunt, vt in his verisimilibus cõiunctis & coaceruatis propriæ notæ vis inest: Illi eras inimicus qui cæsus est, mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem anteceßisti, deprehensus es in solitudine iuxta cadauer gladiũ cruentum tenens, & statim rubuisti vel palluisti vt deprehensus es, deinde latebras quæsiuisti, illum igitur occidisti. Horum adiunctorũ singula verisimilia sunt, & separata refelli poßunt. collecta verò & congregata, propriæ notæ, id est signi necessarij vim habent. Cùm tripertitò igitur hic distribuatur locus, in consecutionem, anteceßionem & repugnãtiam.) Vnus est hic locus inuentionis, sed tractatione triplex. Inuentione dicitur vnus, quia siue ab antecedentibus, siue à consequẽtibus, siue à repugnantibus argumenteris, idem efficis, idem probas, idem colligis, eademq; est in his omnibus conclusio. Neq; sicut voluit Boëtius, propterea vocatur vnus, quòd eiusdem mentis est atq; intelligentiæ, tam consentanea sibimet quàm dissentanea præuidere. Quam Boëtij interpretationem ridiculam esse, & à Ciceronis sententia longè abhorrentem deprehendet, qui Ciceronis exemplum legerit & intellexerit. Tractatione verò triplex dicitur, quia dispositio & elocutio propositionum in his triplex est. vt si ab antecedentibus argumentari velis, accipiẽdum est pronunciatum connexum propositionis loco. Deinde in assumptione pars prior affirmati connexi affirmanda est, vt posterior in cõclusione probetur. exempli gratia: Si omne argentum mulieri legatum est, signata pecunia legata est: atqui omne argentum legatum est, igitur pecunia signata legata est. Quando autem à consequentibus aliquid probas, pronunciatum cõnexum per contrapositionẽ conuertendum est: quod si ita dispositum sit, propositionis loco dicetur. Deinde in assumptione contradicens partis posterioris accipiendum est, vt prioris partis oppositum sequatur: vt, Si pecunia signata nõ est legata, non omne argentum est legatum: atqui omne argentum legatum est: igitur signata pecunia legata est. Deniq; à repugnantibus argumentaberis, si huic pronunciato duplicem negationem addideris, quod est: Si omne argentum legatum est, signata pecunia legata est. adde negationem vnam posteriori parti, & dic: Si omne argentum legatum est, pecunia signata legata non est. quod certè repugnat. quare alteram quoq; negationem toti pronunciato præpone, vt verum pronunciatũ habeas, hoc modo: Nõ si omne argentum legatum est, pecunia signata legata non est. & sit hæc argumentationis propositio. Deinde in assumptione partem priorem huius propositionis affirma, vt posterioris partis cõtradicens concludatur, hoc modo: Non si omne argentum legatum est, pecunia signata legata non est: atqui omne argentum legatum est, igitur signata pecunia legata est. Vides in triplici argumentatione eandem esse conclusionem, quæ est hæc, signata pecunia legata est. Quapropter hic locus à Cicerone vocatur vnus. sed quia varia est dispositio propositionum, ideo triplex tractatione dicitur. Quid sit autem legatum, iam dictum est, nempe quod testamento relictum est. Insuper pecunia numerata dicitur, quæ parata & in promptu est. Vnde in numerato habere dicimus pro eo quod est in promptu & in manu. Porrò signata pecunia est, percussa & formata: proptereaq; vocatur pecunia, quòd nota pecudis signata sit. Signatæ autem pecuniæ contrarium est æs graue, id est rude & informe. Hic fuit ordo rei nũmariæ apud Romanos, vt primũ Romani ære graui, id est, rudi & informi vsi sint: posteà ære signato, quod fuit sub sexto demũ rege, id est, sub Seruio, qui primus æs signauit. Deinde argẽto signato, anno vrbis 585. Q. Fabio cõsule, 5. annis ante primũ Punicũ bellũ & Pharsal. paruo verò tempore post regem Pyrrhum deuictum. sic habet Plin. lib. 33. Budæus tamen lib. 5. de Asse, in numeris annorum apud Plinium mendam esse ait, quam sic castigat, vt anno 478. legendum sit pro 585. Verùm hæc fortasse plura quàm par est, esse videbuntur: quare ad Cic. reuertamur. Ex superioribus exemplis apparet, hunc locum antecedentium, consequentiũ, & repugnantium esse argumenti vnius, argumentationis verò triplicis. Nam cùm argumentũ sententia sit & materia, & vis, & robur argumentationis: argumentatio verò forma, necnon elocutio argumenti per propositiones, in illis exemplis idem est sensus, materia eadem & idem effectus. at dispositio &

explicatio varia est. Quòd autem vis eadem sit, ostenditur. Trium enim formarum argumentationis, hæc est materia & sensus: Cui omne argentum legatum est, eidem signata pecunia legata est. verùm hæc vna materia triplicem formam accipit, ita tamen vt idem semper efficiatur, & sit eadem formarum omnium conclusio. Quapropter apertum est Rodol. Agricolam non rectè dixisse, qui antecedentia, consequentia, & repugnantia, sicut à Cicerone sunt exposita, nõ esse inuentionis, sed iudicij tantùm dixit, cùm vtriusq; & inuentionis & iudicij Cicero faciat. Inuẽtionis quidem, nam Cicero locum hunc reperiendi argumenti simplicem tradit: iudicij verò, quia tractatione triplicem esse voluit, cùm vnius & eiusdem sententiæ triplicem dispositionem & tres formas faciat.

LATOMVS. Deinceps est locus dialecticorum.) Diximus hos tres locos in ordine quodam rerum, & certa lege existendi positos: itaque non sumi nisi per conditionem: nec concludi nisi hypothetico syllogismo, quia sumi extra pronunciatum hypotheticũ non possunt. Quæ rem necessariò consequuntur.) In hypothetico scilicet pronunciato, quod cùm duabus partibus constet, antecedente & consequente, hæ ita inter se iunguntur, vt impossibile sit consequens esse verũ sine antecedente: & in repugnantibus impossibile sit vtrunque simul verum esse. Itaque fit, quod vulgò dicunt, vt omnis conditionalis vera sit necessaria, falsa impossibilis. Reperiendi argumenti locus simplex est.) Simplex, id est, eiusdem naturæ, quæ constat ex conditione, & certa lege existendi. quæ hypothetico pronunciato comprehenditur. Tractandi autem ratio triplex est. id est, concludendi forma. In quo sanè Cicero ipse fateri videtur hunc locum ad formam magis quàm ad argumentandi materiam pertinere. Quòd cum ita sit, nõ cõmodissimè locos distinxisse videtur, cùm admisceat hypotheticas propositiones, quas pro locis ponit. Sed mihi hanc rationem cum cæteris, qui ista eodem modo tradiderunt, secutus esse videtur, quòd quemadmodum in categoricis argumentationibus res pura ac simplex locum argumento præbet, quæ simplici pronunciato comprehenditur: ita in hypotheticis hæc eadem non nisi per conditionem sumpta argumẽtum suppeditat, cùm aliter in pronunciato hypothetico sumi non possit. Non & legatum argentum est.) Ponit copulatiuam loco rationalis, quoniã eandem vim obtinet sumpta ex repugnantibus. Nihil enim interest, siue ita proponas: Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia: legatũ autem argentum est, legata igitur numerata pecunia est: siue hoc modo, Non si legatũ argentum est, non est legata numerata pecunia: legatũ autem argentũ est, ergo legata numerata pecunia est. Sed vide num repugnẽt, legatum argentum esse, & non esse legatam numeratam pecuniam, nisi conuerteris ordinem, vel pro argento omne argentũ sumpseris, cùm possit argentum legatum esse, vt non sit numerata pecunia legata: contrà verò minimè, quia omne argẽtum ad signatum & non signatũ pertinet. quæ formæ argenti sunt. Forma autẽ posita, infertur genus: at contrà ex genere forma non sequitur, nisi vniuersum genus sumatur.

HEGENDORPHINVS. Pecuniam numeratam.) Argumẽtum ab antecedens est, cùm in propositione conditionali sumitur id quod est antecedens, & ab eo contexitur agumentatio, hoc modo: Si Cicero homo est, animal est: homo est antecedens. ab hoc sumitur argumẽtũ: atqui homo est, igitur animal est. Exemplum Ciceronis: Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri. pecunia signata, antecedens est: inde argumentum sumitur, sed pecunia signata argentum est, igitur legata est mulieri. Argumentum à consequentibus est, quoties ex conditionali hypothetica id quod consequens est, sumitur in argumentatione: vt, Si sentit, animal est: animal est consequens. inde sic colligitur, sed nõ est animal, igitur non sentit: Exemplum Ciceronis, Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentũ: non numerata pecunia, consequens. vnde ita colligitur, est verò numerata pecunia argentum, legata est igitur. A repugnãtibus sic colligitur: Non si homo est Cicero, animal non est: repugnant enim hominem esse, & animal nõ esse: atqui homo est Cicero: animal igitur est. Exemplũ Ciceronis: Nõ & legatũ argẽtum est, & non est legata numerata pecunia: repugnãt enim, legatum esse argentum, & nõ legatam pecuniam numeratam: atqui legatum est argentum, legata est igitur pecunia numerata.

GOVEANVS. Dialecticorum proprius.) Stoicorum, qui conclusiones eas quæ ex conditione fiunt, diligentissimè sunt persecuti, cùm eas Aristoteles prætermisisset. Reperiendi argumenti locus simplex.) Argumentationem hanc, Legatum est mulieri omne argentum, legata igitur est numerata pecunia: hanc inquam argumentationem, quæ à genere ducitur, tribus modis tractare potes: per anteceßionem, consecutionem, & repugnãtiam. non ergo loci sunt, anteceßio, con-

secutio, & repugnantia: sed modi & rationes concludendæ argumentationis.

COMMENTARIVS. Deinceps.) Locus hic proprius est dialecticorũ, propterea quòd cùm habeat iudicium inuentioni adiunctum, certas efficit argumentationum formulas, quæ dialecticorum sunt. Adde quòd (vt inquit Cicero in Oratore ad Brutum) dialectici proprium est videre quid quanq; rem antecedat, quid sequatur, quid repugnet: quæ tota vis est huius loci. Nã adiuncta.) Locus ab adiunctis magna ex parte adfert probabile argumentum, rarò necessarium: quanquam interdum necessarium quoq;. At locus à consequentibus nũquam probabile duntaxat, sed semper necessarium. Quicquid enim.) Inde dialectici aiunt, quãcunq; propositionem hypotheticam vel impossibilem esse, vel necessariam. si enim vera est, est necessaria: si falsa, est impossibilis. Cùm tripertito.) Eadem est in his tribus inuentio, propterea quòd vis argumenti quæ est in maiore propositione, eadem est in tribus ad eiusdem conclusionis probationem. Nam re vera eadem est in tribus maior propositio, quoniam Isodynamia, id est æquipollentia, rem non euariat. Nam quid.) Exemplis tribus ostendit hos locos habere eandem inuentionem, sed triplicem tamen argumentationem. Maximè enim argumentationem metimur à ratione assumptionis, quæ in tribus est varia. Si pecunia.) Argumentatio est ab antecedentibus. Nam assumo antecessionẽ, & ex ea colligo consequutionem, quæ annexa fuit propositioni conditionali. An illo modo.) Hæc argumentatio est à consequentibus. fit enim ab oppositi consecutionis ad sublationem antecessionis. Cæterùm propositio maior eandem vim habet cum propositione superiori per Isodynamiam conuersionis, per contrapositionem. Non & legatum.) Hæc argumentatio est à repugnãtibus, quæ propositionem habet maiorem superioribus æquiualentem. assumptio autem affirmatiua est, & ideo cõplexio. Sed hæc forma valet dũtaxat in repugnantibus, quæ ducuntur à propositionibus cõnexis.

Appellant autem Dialectici eam conclusionem argumenti, in qua cùm primum sumpseris, consequitur id quod annexum est, primum conclusionis modum. Cùm id quod annexum est, negaris, vt id quoque cui fuerit annexum, negandum sit, secundus appellatur concludendi modus. Cùm autem aliqua coniuncta negaris, & his alia negatio rursus adiungitur, & ex his primum sumpseris, vt quod relinquitur, tollendum sit, is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis concluſa, quæ ipsi Enthymemata appellant: non quòd non omnis sententia proprio nomine Enthymema dicatur, sed vt Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit apud Græcos suum; sic cùm omnis sententia Enthymema dicatur, quia videtur ea quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola propriè nomen commune possidet. Eius generis hæc sunt, Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accusas, damnas: Bene quam meritam esse autumas, dicis malè mereri. Id quod scis, prodest: nihil id quod nescis, obest. Hoc differendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes, sed philosophorum magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ à dialecticis tertius modus, à

Conclusio argumenti.

Primus conclusionis modus.

Secundus.

Tertius.

Enthymema omnis sententia quomodo dicatur.

Rhetoribus Enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: Aut hoc, aut illud: hoc autem, non igitur illud. Itémque: Aut hoc, aut illud: non autem hoc, illud igitur. Quę conclusiones idcirco ratę sunt, quòd in disiunctione plus vno verum esse non potest. Atque ex iis conclusionibus quas suprà scripsi, prior quartus, posterior quintus à dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiam, sic, Non & hoc est, & illud: hoc autem, non igitur illud. hic modus est sextus. Septimus autem, Non & hoc, & illud: non autem hoc, illud igitur. Ex his modis concluſiones innumerabiles nascuntur, in quo est ferè tota dialectica: sed ne eæ quidem quas exposui, ad hanc institutionem necessariæ.

Ex disiunctionibus.

Quartus & quintus conclusionis modus.

Sextus & septimus.

BOETIVS. Etsi multipliciter superius cuncta digessimus, nec expositionis indiget repetita toties disputatio: erit tamen operæpretium, si quàm breuissimè potero, M. Tullij verbis mediocris lucem commentationis interseram. Septem igitur modos hypotheticos enumerans, ait: Cum in connexis propositionibus id quod est primum assumitur, vt ostendatur secundum: Primum à dialecticis modum vocari, hoc modo, Si hoc est, illud est: quod dicit hoc, primum est: quod verò ait illud, secundum. Assumitur ergo quod primum est, atqui hoc est: concluditur quod secundum est, Illud igitur est. velut in his rursus exemplis, Si homo est, animal est. assumitur, Atqui homo est: concluditur, animal igitur est. Secundum verò modum ait esse Tullius connexis propositionibus textum: in quo cum secundum negatur, sequitur vt id etiam quod primum est, abnegetur, hoc modo, Si hoc est, illud est. Illud autem non est: igitur ne hoc quidem est. In exemplis ita, Si homo est, animal est: animal autem non est: homo igitur non est. Tullius ita dixit, Cum id quod annexum est negaris, vt id quoque cui fuerit annexum, negãdum sit, secundum esse modum: quasi connexa propositione affirmatiuis partibus iuncta. Vniuersaliter autem rectius diceretur, cum id quod annexũ est, id est secundum, perimitur: perimi illud quoque cui annexum est, id est primum. vt si affirmatiuum est id quod annexum est, negatione perimatur: si verò negatiuũ, affirmatione. Et de eo quoque cui annexum est, id est primo, idem est. vt si in cõnexa propositione affirmetur, in cõclusione denegetur, secũdum nunc propositum Ciceronis exemplum. Si verò negatiua sit propositionis prior pars: in conclusione contraria affirmatione tollatur. Tertium verò modum ait esse Cicero, cùm ea quæ coniuncta sunt denegantur, & his alia negatio rursus adiungitur. vt quia animal homini coniunctũ est, ita dicamus, Nõ & homo & nõ animal est. atq; ex his vnũ ponitur, vt quod relinquitur, auferatur, hoc modo, Ponamus esse hominẽ, dicẽtes, Atqui homo est. Quod ergo relinquitur, non est animal, aufertur, atque concluditur, Animal igitur est. Fit enim argumentatio hoc modo, Non & homo est, & non est animal. atqui homo est: animal igitur est. Ex his nasci dicit enthymemata ex contrariis conclusa, quibus plurimũ rhetores vti solent: atque hæc enthymemata nuncupantur, nõ q; eodẽ nomine omnis inuentio nuncupari nõ possit: (Enthymema nanq; est mentis cõceptio, quod potest omnibus inuentionibus cõuenire.) Sed quia hæc inuẽta, quæ breuiter ex contrariis colliguntur, maximè acuta sunt, propter excellentiam speciémque inuẽtionis, commune enthymematis nomen proprium factum est: vt hæc à rhetoribus quasi proprio nomine enthymemata vocentur. Sicut Græcus quoque poeta Homerus, poeta tantum dicitur. & quisquis ex Homero aliquid profert, ita dicere consueuit, Hunc versum poëta locutus est: & tunc non alius intelligitur præter Homerum. nõ quòd cæteri non sint poetæ: sed quòd excellentia eius commune nomen vertit in proprium. Fiunt verò hæc enthymemata hoc modo, ex contrariis videlicet texta, Hunc metuere, alterum in metu non ponere. velut si de Lentulo & Cethego, cæteríque diceretur. Paucos ciues interfici metuis: ne Respub. intereat, nihil laboras. Connexum quippe est, vt quicunque noluit interire p aucos ciues,

Rempub. multò magis nolit extingui. Quibus cùm interponitur negatio, fit ex repugnantibus argumentum. Sed hoc breuiter Tullius enunciauit: nos verò argumentum in syllogismum redigamus, à repugnantibus scilicet, ex quo enthymemata nasci solent, hoc modo, Sit connexum, Si quis metuit ciues paucos interfici, is metuit interire Rempub. His interponitur negatio, sic, si quis metuit ciues paucos interfici, is non metuit interire Rempub. Iungitur alia negatio, Non si quis metuit paucos ciues interfici: non metuit interire Rempub. Quæ duæ negationes vni affirmationi pares sunt quæ dicit, Si quis metuit hoc, metuit & illud. Cuius quidem assumptio est, At metuit hoc. Conclusio sequitur, Metuit igitur illud. quæ tantundem valet si negando interrogetur, ita, Hoc metuis: illud non metuis? Sed quia non totus, vt suprà posuimus, in his argumentationibus ponitur syllogismus, sed propositio, cuius assumptio & conclusio notæ sunt: idcirco enthymema dicitur, quasi breuis animi conceptio. Et in cæteris exemplis idem modus est. Sed hæc quidem Ciceronis similitudo non tam ex repugnantibus, quàm ex contrariis argumentum intelligitur continere. Metuere quippe & non metuere, contraria sunt: nisi hæc ipsa verborum prolatio à contrariis argumẽtum ad repugnantia retrahat. Nam quòd dicit hunc metuere, alterũ in metu non ponere: tale est, vt repugnantia videantur. Etenim metuere & non metuere, verè contraria sunt. In metu autem non ponere & metuere, prolatione ipsa tam contraria quàm repugnantia intelliguntur: licet eadem probetur esse sententia. His adiecit alia rursus exempla, Eam quam accusas, damnas. sed nihil accusas: non damnas igitur. Venit ergo hoc argumentum ex ea propositione connexa, quæ ex duabus componitur negatiuis, ita, Si nihil accusas, non damnas. Posteriori verò parti detracta negatio est, & insuper tota est propositio denegata, hoc modo, Non si nihil accusas, damnas, & ex ea factum est argumentum, quod positum in interrogatione efficit enthymema hoc, Quam nihil accusas, damnas? Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri? Huius quoq; enthymematis talis est collectio, Non & bene meritam esse autumas, & male mereri. atqui bene meritam esse autumas: non male igitur mereri. quod enthymema ex propositione connexa proficiscitur, quæ constat ex affirmatione & negatione, ita, Si bene meritam esse autumas, non male mereri. Cuius ex posteriore parte dempta negatione, totáque propositione denegata, fiet propositio, Non si bene meritam esse autumas, male mereri. quod interrogatione deductum, facit enthymema, Bene quam meritam esse autumas, male mereri? Item, Id quod scis prodest: nihil id quod nescis obest. hoc quoque enthymema tali nectitur syllogismo, Non si quod scis prodest, & id quod nescis non obest. Atqui id quod scis prodest: obest igitur id quod nescis. hoc argumentum ex ea propositione compositum est, quæ duabus affirmationibus iuncta accepit mediam negationem, & insuper denegata est. Quod interrogatũ fit enthymema, hoc modo, Id quod scis prodest: nihil id quod nescis obest? Omniũ verò positorũ superius exẽplorum ista sententia est, Nam quam quisquam nihil accusat, eam damnare rectè non potest. Et eam quam bene meritam esse autumat, male dicere mereri turpe est. Et si id quod scit quisque in causa, proderit: oberit, si est contrarium, id quod nescit. Hunc verò locum communem esse oratoribus ac philosophis dicit: Sed apud illos, tertium modum, apud rhetores enthymema nuncupari. Reliqui, inquit, modi plures sunt. nam cùm tres superius enumerasset modos, adiungens quatuor, plures dixit. Hi sunt in disiunctionibus constituti, hoc modo, Aut hoc aut illud. hoc autem: non igitur illud. Qui est quartus modus à nobis quoque suprà positus, ita, Aut dies est: aut nox est. dies autem est: non igitur nox est. Et semper, quod ait Cicero, HOC, ad præcedens spectat. quòd verò ait ILLVD, ad consequens siue in connexis propositionibus siue disiunctis. Item, aut hoc aut illud. non autem hoc: illud igitur. Hic quoque quintus modus est, velut in his exemplis, Aut dies aut nox est. non autem dies: nox igitur est. Quarum conclusionum necessitatem ex eo dicit euenire, quia quæ in disiunctione sunt posita, medium nõ videntur admittere, vt esse aliud præter eorum alterum possit. atque ideo vno sublato, alterum esse, vnóque posito alterum non esse concluditur. Quòd si sit medium quod præter alterutrum esse possit: nec vera est propositio, nec rata conclusio. velut in his, Aut album est, aut nigrum. id falsum est: esse enim præterea rubrum potest. Sed si ponamus esse album, vel auferamus: non necesse erit non esse vel esse nigrum: quia rubrum esse, quod est medium, potest. Deinde, inquit Tullius, addunt coniunctionum negantiam, in disiunctiuis scilicet propositionibus, hoc modo, Non & hoc & illud. hoc autem: non igitur illud. Id est, Non & nox & dies est. nox autem est: non igitur dies est. Hic igitur sextus modus esse prædictus est. Septimus autem ex eadem veniens propositione, hoc modo, Non & hoc & illud. non autem

hoc:illud igitur. Vel si dicamus, Non & nox & dies est. non autem nox est: dies igitur est. Quæ propositiones, nisi in disiunctiuis, medioq; carentibus, ratam cõclusionem habere non poterunt. Age enim ita dicamus, Non & albũ est, & nigrum. Ponamúsq; non esse album: non consequitur vt sit nigrum. potest enim esse quod medium est. Huiusmodi igitur per negationem coniunctionum, vt Tullius ait, propositio si ratas factura est cõclusiones, in disiunctis rebus medioq; carentibus accommodatur: aliâs non erit rata conclusio. Distat verò propositio tertij modi à propositione sexti & septimi: quòd tertij modi propositio ex coniunctis nascitur: hæc sexti & septimi, ex disiunctis terminis existit: vt in superioribus patet exemplis. Ex his igitur, inquit, modis conclusiones innumerabiles nascuntur: vnus enim quilibet horum modorum infinitis conclusionibus aptari potest, veluti primus ac secundus in omnibus quæ sibi connexa sunt, quorum nullus est numerus, si quis prosequi vellet. Itémque repugnantium infinita est multitudo: in quibus tertius modus est vtilis. Item plura disiuncta sunt, in quibus quartus, & quintus, & sextus, & septimus plurimum valent. Atque in his, inquit, omnis ferè est dialectica: sed ad topicos locos tres primi modi sunt necessarij, qui antecessionem, consecutionem & repugnantiam tenent. Reliqui verò complendæ disputationis magis gratia, quàm quòd ad hanc institutionem necessarij fuerint, videntur adiecti.

VISORIVS. Appellant autem, &c.) Hoc in loco de syllogismis, quos hypotheticos, id est conditionales apellant, agitur: quorum septem sunt formæ, tres primæ pronũciatis connexis fiunt, quarta & quinta disiunctis, sexta verò & septima copulatis. quare de connexis, disiunctis & copulatis proloquiis prius est dicendum quàm de syllogismis. Est autem connexum pronunciatum, quod pluribus simplicibus proloquis coniunctione Si deuinctis, coalescit. cuius ea natura est, vt significet partem priorem siue posteriorem veram esse non posse, id est, posteriorem ex priore necessario sequi: vt, si Lycurgus est Lacedæmonius, Lycurgus est Peloponnesius. Eiusmodi pronunciata Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt. Copulatũ dicitur, in quo plura simplicia proloquia cõiunctione Et colligantur: eiúsque natura est, vt si vnum est mendacium, etiam si cætera vera sunt, totum esse mendacium dicatur. vt Annibal Scipionem ad Ticinum fudit, & sauciauit: idem Sempronium ad Trebiam superauit, & ad Trasimenũ Flaminium occidit, & ad Cannas Paulum interfecit, Varronémque fugauit. Hoc proloquium verum est, quia partes omnes veræ sunt. quod si ei partem aliquam falsam addideris, totum pronuntiatum falsum reddes. vt si superioribus adieceris: & idem in Campania Quintum Fabium Maximum cunctando fregit: falsum dices. non enim Annibal Fabium, sed Fabius Annibalẽ cunctando vicit. vnde & cunctator dictus est, de quo sic Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Superius proloquium, quod nos copulatum vocabamus, Græci συμπεπλεγμένον appellãt. Disiunctum denique pronuntiatum est, quod pluribus constat simplicibus, coniunctione Aut inter se distinctis: vt, Aut malum est voluptas, aut bonum: aut neque bonum neque malum est. Omnia autem quæ disiunguntur, pugnantia inter sese esse oportet, eorúmque opposita ἀντικείμενα Græci dicunt: ea quoque inter sese aduersa esse. Eiusmodi disiunctum proloquium Græci διεζευγμένον ἀξίωμα vocant. Ex omnibus quæ disiunguntur, vnum esse verum debet, cætera falsa. quod si aut nihil omnium verum, aut omnia plura ve quàm vnũ vera erunt: aut quæ disiuncta sunt non pugnabunt, aut quæ opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt: tunc id disiunctum mendacium est, & appellatur παραδιεζευγμένον. sicuti hoc est, in quo quæ opposita non sunt contraria: aut currus, aut ambulas, aut stas. nam ipsa quidem inter sese aduersa sunt, sed opposita eorum non repugnant. non ambulare enim, & non stare, & non currere, cõtraria inter sese non sunt: quoniam contraria ea dicuntur, quæ simul vera esse nequeunt. Possis enim simul eodémque tempore, neque ambulare, neque stare, neq; currere. hæc Gellius cap. octauo, libri decimi sexti. Ad Ciceronem reuertamur. Prima forma syllogismi conditionalis est, si pronunciati connexi partem priorem assumas, vt posteriorem concludas: vt si Cicero est orator, est philosophus: atqui est orator, igitur philosophus. Hic modus est ab antecedẽtibus dictus, quòd ex parte antecedente, id est priore connexi proloquij, pars consequens, id est posterior colligatur. Forma secunda est, si partis posterioris cõtradicens in assumptione ponatur, ex quo prioris oppositum conficiatur: vt, Si Cicero est orator, est vir bonus: non est autem vir bonus, neque igitur orator. Hic modus à consequentibus est appellatus, quia ex contradicente partis consequentis, id est posterioris, confectum est partis antecedẽtis contradicens. Ter-

tia forma est, si duplicem negationem pronunciato connexo addideris, quarum vna toti proloquio præficiatur, altera posteriori parti præponatur: tum in assumptione partem priorem affirmes, vt in conclusione posteriorem perimas, hoc modo: Non si Cicero orator est, non est vir bonus: atqui est orator, bonus vir igitur. Hic modus à repugnãtibus vocatur. repugnat enim, vt Cicero sit orator, & nõ sit vir bonus. Sub quo genere enthymemata continentur, non quidem omnia, sed quæ ex contrariis vel repugnantibus conclusa sunt, quæ per excellentiam dicuntur enthymemata, non quòd sola, sed quòd omnium acutissima sint. Nam enthymema triplicem intellectum habet, vt ait Quintil. Vnum quo omnia mente concepta significamus: alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certam argumenti conclusionem, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus. Ex consequentibus, quod habet propositionem, coniunctámque rei protinus probationem. Cuius forma quadruplex est. aut enim propositio præcedit & ratio sequitur, vt, Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare velit, antè iniusta pœna luenda sit, quàm iusta repetenda. aut cõtrà rationem propositio sequitur: vt, Quòd si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? aut propositionem rationi postpositam sequitur alia ratio, vt si proximo exemplo hanc quoque rationem addas, cum viderit aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. aut denique ex propositione & ratione fit aliqua cõplexio: vt, Insidiatori verò & latroni, quæ potest afferri iniusta nex? propositio est deinde, Quid comitatus nostri? quid gladij valuerunt? ratio est, vnde fit illa complexio quæ sequitur: Quos habere certè non liceret, si illis vti nullo pacto liceret. Hactenus de enthymemate à consequentibus. Nunc pauca de eo quod à repugnantibus est dicamus. Eius apud Ciceronem pro Milone exemplum est: Eius mortis sedetis vltores, cuius vitam si putetis per vos restituti posse, nolitis. Deinde pro eodem latius: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela: quem iure, quem loco, quem tẽpore, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tẽpore, cum periculo capitis nõ dubitauit occidere. Deinde pro Ligario: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorũ ipsorum te ad crudelitatem acuet oratio? De hoc genere enthymematis, quod est à repugnantibus, Cicero verba facit, quod oratori cum dialectico comune esse dicit. vnde fit, vt locus qui est ab antecedentibus, cõsequentibus, & repugnantibus, non modò dialecticorum sit, sed & oratorum & iurisconsultorum: id quod Cicero planè docet cum dicit, vt iam admonuimus, Hoc disserẽdi genus attingit omnino vestras quoq; in respondendo disputationes, id est iurisconsultorum: sed philosophorũ magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. Et hæc de tribus primis syllogismorũ conditionalium formis, quæ pronunciatis connexis constant, dixisse sufficiat. Ad quartum & quintum modos veniamus, qui ex disiunctis proloquiis fiunt. Eorum quartus est, si proloquij disiuncti partem priorem assumas, vt in conclusione posteriorem euertas, hoc modo: Aut dies est, aut nox est: atqui dies est, non igitur nox. Quintus modus est, si pars prior disiuncti negetur in assumptione, vt in conclusione posterior affirmetur, ita: Vel dies est, vel nox: non autem dies, igitur nox. Sextus & septimus modus ex proloquijs copulatis componitur. & sextus est, si toti copulato negationem præfeceris, deinde copulati membrum prius assumpseris, vt posterius in conclusione perimas, hoc modo: Non & dies est & nox: est autem dies, non igitur nox. Septimus verò modus est, si negati copulati pars prior in assumptione perimatur, vt posterior in conclusione probetur, hoc modo: Non & dies est & nox: atqui dies non est, igitur est nox. Animaduertendum est autem, hos duos postremos modos, id est sextum & septimum, ex quarto & quinto fieri, coniunctione disiunctiua in copulatiuam mutata, & toti pronunciato præposita negatione.

LATOMVS. Coniuncta negaris.) Id est, addita negatione repugnantia effeceris, vt pecunia numerata & argentum coniuncta sunt, quoniam hoc ex illo sequitur, eique annexum est. Itaque si alteri negationem addideris, repugnantia efficies, hoc modo: Si numerata pecunia legata est, argentum legatum non est. Sin verò his rursus aliam negationem à fronte addideris, non veram modò, sed & necessariam sententiam conficies, de qua hic loquitur Cicero, vt ea proposita, ac priore eius parte sumpta, reliqua tollatur, hoc modo: Non si numerata pecunia legata est, argentum legatum non est: atqui legata est numerata pecunia, ergo legatum argentum est. Verùm hæc proponendi ratio in coniunctis duntaxat locum habet: in his autem quæ per se repugnant, duabus ne-

gationibus opus non est, sed vna sufficit. de quo datur à dialecticis talis regula, quæ etiam in coniunctis valet: vt sumpta propositione hypothetica negatiua ex repugnantibus, & priori eius parte posita, consequens tollatur, hoc modo, Non si dies est, nox non est: atqui dies est, nox igitur non est. quod cùm etiam, vt dixi, in coniunctis valeat, in his altera negatione addita, repugnantia facienda erunt, quemadmodum suprà demonstratum est. *Et ex his primum sumpseris.*) Sumere, est idipsum quod pro antecedente vel annexo positum fuit affirmare. Tollere, est contrarium eiusdem sumere vel inferre negatione addita, vel detracta, quemadmodum in exemplis videre licet. *Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis.*) Rhetorica enthymemata sunt ex hoc tertio modo conclusionũ, sed formam earum non retinent. Non enim concluduntur ad præscriptam rationem, sed breuiter ferè, & per interrogationem efferuntur, quò acrius veniãt. vt, Hunc metuere, alterum in metu non ponere. quod sic concluditur: Non si hunc metuis, alterum in metu non ponis: sed metuis hunc, ergo alterum in metu ponis. quod de Catilina & de Republica dici potest. Item: Quos plures vicimus, eos nunc pauciores timemus? Quam nihil accusas, damas? Quam bene meritam esse autumas, eam dicis malè mereri? Id quod scis prodest, nihil id quod nescis obest? quæ eodem modo explicanda sunt, & omnia sunt ex contrariis. *Efficit apud Græcos suum.*) Quod fit per ἀντονομασίαν, qua nomen pro nomine ponitur. Sed philosophorum magis.) Qui de rebus expetendis & fugiendis disserunt, & nos ad virtutem hortantur. Reliqui dialecticorum modi.) Quatuor sequentes modi, qui ex copulatiuis & disiunctiuis constant, ad priores tres, qui rationales sunt, referuntur. Sunt enim omnes vel ex antecedentibus, vel consequentibus, vel repugnantibus. Itaq; tres duntaxat sunt modi, si formam concludendi spectemus. sin propositionum diuersitatem, genere septem, vt tres rationales, duo disiunctiui, totidem copulatiui: specie autem innumerabiles, cùm ista porrò in alios modos abire possint propter enunciandi varietatem. Sed ea ad formam argumentandi, & ad iudicandi partem, non ad inuentionem pertinent.

HEGENDORPHINVS. Cùm autem aliqua.) Tertium modum concludendi vocat Cicero, cùm ea quæ coniuncta sunt, denegantur, & his alia negatio rursus adiungitur: vt quia animal homini coniunctum est, ita dicimus, Non & homo, & non animal est: atque ex iis vnum ponitur: vt, atqui homo est: vt quod relinquitur, auferatur, & ita concludatur, animal igitur est. Summa summarum, ex repugnantibus ita colligitur: Non & homo, & non animal est: atqui homo est, ergo animal est. Quæ ipsi enthymemata.) Id est, ratiocinationes constantes, aut ex proloquio maiori & conclusione: vt, Decet omnes ciuitates legibus constituere, ergo Lipsia est legibus sancienda: aut ex minori proloquio & conclusione: vt, Virtute nemo malè vti potest, ergo virtus est bona. Eius generis hæc sunt.) Hoc est, ex Enthymemate sic colligitur: Non potest fieri vt Lẽtulum metuas, & Cethegum non metuas: atqui Lentulum metuis, igitur Cethegum non metuere non potes. Quam nihil accusas.) Hoc est, Non rectè, si hanc nihil accusas, damnas: atqui hanc nihil accusas, ergo nõ rectè damnas. Bene quam meritam.) Hoc est, Nõ & bene meritam esse existimas, & malè mereri: sed bene meritã existimas, non malè igitur mereri. Id quod scis.) Hoc est, Non si id quod scis, prodest: id quod nescis, non obest: at id quod scis, prodest: obest igitur quod nescis. Obseruabis hic obiter exẽpla enthymematũ à Cicerone hic adducta, nasci ex hypothetico proloquio conditionali, in quo prior pars enunciat causam quare posterior vera sit: vt, Si Lentulum metuis, Cethegum metuis: at Lentulũ metuis, igitur & Cethegum metuis. Aut hoc, aut illud.) Exemplũ est: Aut homo, aut bos est: sed homo est, nõ igitur bos est. Itemq;, Aut hoc, aut illud.) Exẽplum est: Aut nox est, aut dies est: sed nox non est, igitur dies est. Non & hoc est, & illud.) Exẽplum est: Non & nox & dies est: nox autẽ est, igitur dies nõ est. Septimus autẽ, Non & hoc.) Exẽplũ est: Nõ & rationale, & irrationale est: sed nõ est rationale, igitur irrationale est.

COVEANVS. Cùm id quod annexum est negaris.) Cùm euerteris cõsequens, hoc est, cùm eius contrarium sumpseris. In hac siquidem argumentatione: Si non est legata numerata pecunia, non est legatum omne argentum: atqui legatum est omne argentum, legata igitur numerata pecunia: in hac inquam argumentatione euerti, nõ negaui id quod erat annexum. Cùm autem aliqua coniuncta negaris.) Et legatum est omne argentũ, & legata est numerata pecunia, coniunctæ duæ sunt enunciationes: quæ negãtur, si negationem eis proponas, hoc modo: Non & legatũ est omne argentum, & legata est numerata pecunia. Alia rursum addi secundæ enunciationi negatio potest, hoc modo, Non & legatum est omne argentum, & non est legata numerata pecunia.

Nunc si pono quod primum sumpsi, legatum scilicet esse omne argẽtum, tollo & euerto quod secundum erat, colligóque numeratam pecuniã mulieri legatam esse. Quid si enuntiationes coniungantur conditione SI? hoc modo, Non si Socrates homo est, & malus non est: posito primo, tollitúrne quod relinquitur? minimé. hoc ergo diligenter animaduertendum est, vt enunciationes cõiunctione ET coniungantur: aut si fortè conditione SI, ita tamen vt è conditionali fieri copulata possit, hoc est, vt partes sint pugnantes. Quæ ipsi Enthymemata appellant.) Alia enim sunt quæ Aristoteles Enthymemata appellat, imperfectas scilicet & truncas ratiocinationes. Hunc metuere, alterum in metu non ponere.) Non video quomodo sententia hæc ex pugnantibus constet, nisi pugnãtia is dicere intelligatur, qui virum fortem timere dicat. ignauum autem, & nullius animi in metu non ponat, hoc est, timere neget. Damnas? bene quam meritam autumas.) Damnare, accusare quoque est. Cicero pro Cluentio, Corruptisse dicitur A. Cluentius iudicium pecunia, quo inimicum suum innocentem Albium Statium condemnaret. Mereri autem pro facere, non semel dixit Terentius. In Hecyra sic Pamphilus, Quæ nunquam quidquam erga me commerita est pater Quod nollem, & sæpe, quod vellem, meritã scio. Autumare P. Nigidius dictum putabat quasi ab æstumo, hoc est, totum æstumo, vel abnumero. Est autem autumare, vt scribit Gellius, & dicere, & opinari, & censere. Id quod scis.) Cicero in Oratore ad M. Brutum, Quod sit item in contrariis referendis, vt illa sunt, quibus non modò numerosa oratio, sed etiam versus efficitur: Eam quam nihil accusas, damnas? Condemnas dixisset, qui versum effugere voluisset. Bene quam meritam esse autumas, dicis malè mereri? Id quod scis, prodest: nihil id quod nescis, obest? Versum efficit ipsa relatio cõtrariorum. Id esset in oratione numerosum, Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multũ obest. Semper hæc quæ Græci ἀντίθετα nominant, &c. Quibus ex verbis duo intelligimus, & senarium esse ex poëta aliquo, Id quod scis, prodest nihil: id quod nescis, obest: & quid habeat sententiæ, cùm videamus NIHIL illud, quod tenebras offundebat legentibus, à M. Tullio coniungi cum verbo prodest. Non & hoc, & illud.) Modus hic septimus ita valet, si partes propositionis pugnãtes sint. Malè enim sic concludam, Non & Socrates asinus est, & lignum est: non est autem lignũ, est igitur asinus. Ex his modis conclusiones innumerabiles.) Quas omnes Seuerinus Boëtius subtilissimè persecutus est: vnde qui volet, petere poterit. Illud sufficit admonere, ex vno modo varias oriri conclusiones. Exempli causa, primus modus harum conclusionum est, cùm posito eo quod antecessit, ponitur & annexum: id autem contingit, cùm vtrunque aut affirmatur, aut negatur. Affirmatur vtrunque hoc modo: Si hoc est, illud est. at hoc, illud igitur. Tollitur vtrunque sic: Si hoc non est, illud non est: at hoc non est, neque illud igitur. Contingit item vt alterum affirmetur, & alterum tollatur, hoc modo: Si hoc est, illud non est: at hoc est, illud igitur non est. Aut contrà sublato eo quod antecedit, vt quod annexum est, destruatur, hoc modo: Si hoc non est, illud est: sed hoc non, illud igitur. Itaque ex aliis modis sex variæ oriuntur conclusiones. In quo, hoc est, in rationibus conclusionum, tota ferè est Dialectica Stoicorum: qui, vt in principio scripsimus, in iudicij parte solùm elaborauerunt. Sed ne eæ quidem quas exposui, ad hanc institutionem sunt necessariæ: in qua non iudicandi regulas, sed inueniendi vias ostendere propositum nobis est.

COMMENTARIVS. Appellant autem.) Idcirco valet hæc ratio argumentandi, quoniam (vt aiunt dialectici) perpetua est illa argumentatio quæ fit ab oppositi consequentis ad oppositum antecedentis. Negaris.) Si propositio maior fuerit affirmatiua. alioqui si fuerit negatiua, assumetur annexum affirmatiuum. denique hoc perpetuum est vt semper sumatur cõtrarium.

Cùm autem.) Hoc præceptum non complectitur totam vim argumentationis à repugnantibus, sed duntaxat illius quæ manauit à propositione connexa: cui addendæ sunt duæ negationes, vt fiat propositio hyperapophatica, id est supernegatiua, id est quæ non habet vnam tantùm negationem, sed duas. Vt quod relinquitur.) Potest etiam inuerti argumentatio ex canone superiori, vt sumatur consequens negatiuum, & colligatur antecedens. Enthymemata appellant.) Enthymemata rhetorum quæ ex contrariis fiunt, explicatam non habent argumentationem, sed duntaxat inuolutam. Nam si quis euoluat, & in suas partes tribuat, reducetur ad hunc tertium modum. Sed vt Homerus.) Fabius tamen enthymema non solùm appellat, quod fit à repugnantibus, sed etiam quod fit à consequentibus: quia tamen acutiora sunt contraria quàm consequentia, idcirco ea donat enthymematis nomine per excellentiam Cicero. & hac de causa enthymema vertit contrariũ Corificius: & quia maximè illustrat, posuit in numero figurarum. Hunc metuere.) Versus est sena-

rius ex antiquo aliquo poëta sumptus, cuius etiam meminit in epistolis ad Atticum. Eam &c.) Duo sunt hemistichia, & versus integer senarius. Hæc autẽ (vt arbitror) sumpta sunt ex quodam Comico poëta. Duo autem sunt syllogismi enthymematici in hoc exemplo, quoniã duplicia sunt contraria. Hoc disserendi.) Iurisconsulti antiqui sui copiam omnibus faciebant, & de quibusdam controuersiis interrogati respondebant. Cùm autem interdum plures rogarẽtur, in ipsa consultatione nonnunquam inter eos disputatio exoriebatur. Reliqui.) Cùm diuiserit has argumentationes in antecesſionem, conseſquutionem, & repugnantiã, addit insuper has formulas, quæ tamen reduci possunt ad superiores argumentationes, si hoc modo sumas: Si dies est, nox non est: nõ si dies est, nox est. Aut hoc.) In his argumentationibus disiunctiuis esse debent propositiones quæ constent contrariis immediatis, vt altero posito alterum negetur, altero negato alterũ ponatur. Itémq;.) Possunt etiam esse duo alij modi, alter ab affirmatione, alter à negatione. Quæ conclusiones.) Est enim necessarium vt disiunctiuæ propositionis pars altera sit vera, altera sit falsa. A sophistis tamen finguntur propositiones disiunctiuæ, in quibus hoc non sit necessarium. sed illæ sunt repudiandæ, quia conducunt ad cauillationes, non ad disciplinas. Deinde addunt.) Syllogismum copulatiuum sic accipere solemus, vt contraria accipiamus immediata, eaq; copulemus & negemus. Vis certè argumentandi non valeret in disparatis & mediatis. Septimus autem.) Possunt addi duo alij modi, à conseſquenti, vel affirmatione, vel negatione. possent etiam syllogismi copulatiui fieri ex propositionibus affirmatiuis: vt, & homo est, & rationalis. Sed ne eæ quidem.) Boëtius quoq; in libro de syllogismis hypotheticis permultas addit cõclusiones alias, quas Cicero omisit, quia pertinent potius ad subtilitatem iudicij dialectici, quàm ad veram inuentionis rationem. Amori

Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, vt reliquorum locorum, paulò antè posui, & quidem ex iure ciuili, sed hæc patent latiùs. Causarum igitur genera duo sunt: Vnum, quod vi sua id quod sub ea subiectum est, certè efficit, vt ignis accendit: Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, sed sine quo effici non possit: vt si quis æs causam statuæ velit dicere, quòd sine eo non possit effici. Huius generis causarum sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo, vt locus, tempus, materiæ, ferramenta, & cætera generis eiusdem. Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per se adiuuantia, etsi non necessaria: vt amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium Fatum à Stoicis nectitur. Atque vt earum causarum sine quibus effici non potest, genera diuisi, sic etiam efficientium diuidi possunt. Sunt enim aliæ causæ quæ planè efficiant, nulla re adiuuante: aliæ quæ adiuuari velint, vt sapientia efficit sapientes sola per se: beatos efficiat néne sola per se, quæstio est. Quare cùm in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessariò, sine dubitatione licebit quod efficitur ab ea causa con-

Ab efficientibus seu causis.

Causarum genera duo.

Causarum non efficientiũ genera.

Causarum efficientium diuisio.

cludere. Cùm autem erit talis causa, vt in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non ferè solet: hoc autem sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Non enim si sine parentibus filij esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Hoc igitur sine quo non fit, ab eo in quo certè fit, diligenter est separandum. Illud enim est, tanquam, Vtinam ne in Nemore Pelio securibus Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes. nisi enim cecidissent abiegnæ ad terrã trabes, Argo illa facta non esset: nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At cum in Aiacis nauim crispisulcãs igneum fulmen iniectum est, inflammatur nauis necessario.

BOETIVS. Post eũ locũ qui in conditione est constitutus, cõsequens erat is qui considerabatur ex causis. Post hunc is enumeratus locus est, qui in effectis causarum positus argumenta præstabat. Quorum quidem superius M.T. exempla posuit, nunc rationem latius tractat. Cùm igitur Aristoteles quatuor posuerit causas, quibus vnũquodq; conficitur: Primam, quæ mouendi principium est. secundam, ex qua fit aliquid, quam materiam vocat. tertiam, rationem ac speciem, qua vnumquodq; formatur. quartam, finem propter quem quodlibet efficitur. At verò M. Tullius principalem causarum diuisionem facit in ea quæ efficiãt aliquid, & in ea sine quibus effici nequeat: vt id quod efficit, ad eam causam conferatur in qua motus principium constitutum est: Id verò sine quo non fit aliquid, tum ad intellectum materiæ transferatur, vel eorum quæ coniuncta materiæ, efficientis adiuuant facultatem, tum ad reliquas causas ducatur, vt paulò posterius apparebit. Eius igitur causæ quæ vi sua id, quod sub ea subiectum est efficit, tale ponit exemplũ: vt, ignis accendit. Nam accensionis ipsius causa ignis est, & id efficere potest: atq; illud quod accenditur, mouet atq; permutat. Eam verò causam sine qua id quod faciẽdum est, fieri nequit: ab vna eius parte designat. veluti cùm dicit, æs causam esse statuæ: quòd sine eo statua non possit existere. Hæc enim, vt per faciendam diuisionem clarescet, non ea ipsa est causa sine qua non efficitur, sed pars eius esse monstrabitur. Eam verò causam sine qua id quod faciendum est, effici non potest, diuidit hoc modo, Alia enim eius sunt quieta, nihil agentia, stolida quodãmodo, ac per se, nisi agendi extrà motus accesserit, immobilia. horum exempla, vt locus, tempus, materia, instrumentũ. Omne enim quod fit, locum necesse est habere subiectum, in quo nisi aliquid fiat, locus ipse immobilis est ad aliquid explicandum. Itemq; materia & instrumenta, nisi manu moueãtur artificiosa, ipsa naturaliter nihil egerint. Tempus quoq; operationi subiectum est: quæ si desit, nihil ipsum propriæ naturæ ratione perfecerit. Atq; hæc quidem sunt, quæ nihil per se agunt: tamen causæ sunt, si his efficiens operatio superuenerit. Alia verò quæ in motu posita præcursionem quandam ad efficiendum, ac præparationem videntur afferre: vt, amoris causa est congressio quæ præcessit, & amor flagitij. Ex his, inquit, causis Stoica disputatio fatum connectit. Fatum enim dicunt esse præcedentium causarum subsequentiúmque rerum perplexionem quandam, atque catenæ more continentiam, hoc modo, Ideò profectus peregrè, quoniam parentum iracundiam ferre non poterat: idcirco parentum succensionem non ferebat, quia amicæ amore detinebatur. idcirco amabat, quòd sæpe fuerat antè congressus. ideóque congressus est: quia aliquid vt congrederetur præcessit. Itaque ordine præcedentium, consequentiúmque rerum, Fatum, vt dicit, à Stoicis nectitur. Item diuidit eam causam quæ vi sua efficit aliquid, in eam quæ ad efficiendum sibi sufficiat, eámque, quæ extrinsecus adminiculationis indigeat. Sufficit igitur sibi ad efficiendum causa, vt, Sapientia efficere sapientes per se,

nullo penitus adiuta, solet. Sed hæc an sola beatos efficere possit, quæritur: an ei sint extrinsecus addenda quæ iuuent, vel fortunæ bona, vel corporis. Itaque ea causa quæ vi sua efficit aliquid, aut talis est vt ei sint extrinsecus adiumenta quærenda, veluti artifici instrumenta quædam, quibus id quod efficiendum est, explicet atque conformet. Horum verò omnium, quæ Tullius statuit in alterutra diuisione causarum, illa quidem quæ vi sua explicant ea, quorum causæ sunt, omnia tam per se ad efficiendum valentia, quàm quæsiti extrinsecus iuuaminis indigentia, in ea Aristotelicæ diuisionis causa locabuntur, quæ est principium motus. Quanquam de sapientia tali causæ non conueniat exemplum: sed potius ad rationem formámque contendat. Nanque sapiẽtia ratione quadam atque forma efficit sapientes. Eius verò causæ quam Tullius refert, sine qua non fit aliquid, materia quidem, tempus, & locus, id est ex quo fit vel in quo fit: quæ sunt efficientis subiecta naturæ: & vt vno intellectu comprehendantur, vel materia sunt, vel materiæ vice suppositа. Instrumenta verò eius causæ sunt, quæ ad finem spectant, sed non ad ipsa, finis. quia non finis instrumenta respicit: sed hæc finem. Instrumenta nanque propter aliquem finem parãtur. Sed nimirum videri potest cur congressionem, amoris causam, non inter ea numerauit quæ habent efficiendi vim, sed inter eas posuerit causas, sine quibus effici non potest: cũ tamẽ agat aliquid atque moueat. nã ipsa congressio aliquid videtur efficere: similisq; est ei causæ quæ ipsa quidem habet efficiẽdi vim, sed sine adminiculo non potest: veluti cũ quæritur de sapientia, an sola beatum possit efficere. Sed Merobaudes rhetor ita disseruit, earum causarum, quæ efficiendi vim haberent, eam esse facultatem, vt etiã si adiumentis extrinsecus indigeant, effectus tamen earũ ad id spectet quod efficiendum est. at in his quæ sunt præcursoriæ: etiã si eis antecedentibus aliquid existit: nõ tamẽ id quod existere intelligitur, præcursio principaliter operatur. Sed ista quidẽ veluti sub quadã occasione præcurrit, illa verò res quæ existere dicitur, aliis operantibus nascitur: velut in cõgressione solitũ est fieri. Fortasse enim nõ propter amorem quisque congreditur, sed præcedente congressione amor existit, quem non congressio principaliter appetebat. Itaque quoniam præter congressionem amor existere non potuit: rectè inter eas causas locata videtur, sine quibus non efficitur. Quoniam verò non efficit vi sua (quandoquidem non principaliter vt efficiat, spectat: sed tantum ea antecedente aliquid existit) rectè inter præcursorias, ac non inter efficientes causas est collocata. Prima quidem causarum diuisio, secundum Tullium, fuit in ea quæ efficerent aliquid, & ea sine quibus effici non posset. Atque illud quidem quod efficeret, in gemina item partitus est, scilicet in id quod ad efficiendũ aliquid necessariam vim posideret, neque vllius indigeret extrinsecus adiumenti: & in id, quod nisi aliis adiuuantibus, operari atque efficere non posset. Ac primum quidem de ea loquitur causa, quæ efficiendi vim tenet. Eius enim ea pars cui efficiendi necessitas adest, statim secum conclusionem comitem trahit. dicta enim causa, quæ necessariò aliquid efficit, effectus etiam necesse est consequatur. veluti si solem affuisse quis dixerit, lucem quoque affuisse monstrabit. aut cum alicui adesse sapientiam dixerimus, sapientem necesse est esse fateamur. At in his causis efficientibus, quæ extrà positis indigent adiumentis, nõ eadem ratio est. neque enim vt quæq; huiusmodi causa dicitur, ita necesse est effectũ sequi. Non enim huiusmodi causa necessariò efficit quod vult: nisi extrà positis auxiliis adiuuetur. Idem est etiã in ea causa, quæ ipsa quidẽ efficiendi vim non habet, sed sine ea non prouenit effectus. Nam vt Tullius quoque commemorat, nullam in efficiendis rebus adhibet necessitatẽ. atque ideo dicta causa, non statim sequitur effectus. Neque enim si congressus est, mox amauit: nec si fuit æs, statuã quoque fuisse necesse est. ex quo aliarũ causarũ partitio nascitur. Aliæ nãque causæ sunt necessariæ, aliæ minime. Nõ necessariarũ aliæ sunt efficiẽtes, aliæ sine quibus nõ efficitur. Necessariarũ verò causarũ conclusio nõ solet conturbare. vt enim hæc causa fuerit dicta, statim in conclusione sequuntur effectus. Non necessariarum verò, quæ sunt partim efficientes (quod nunc tacuit, sed paulò antè prædixit) nõ habent subsequentẽ effectæ rei cõclusionem. Neque enim si liberi sine parentibus nõ sunt, idcirco in parentibus efficiendi causa necessaria fuit, cum videamus in hominum esse potestate ne gignant. Ea verò causa, quæ ipsa quidem non efficit, sed sine ipsa effici non potest, huiusmodi est, quemadmodum Enniano versu declaratur. Nisi enim cecidissent abiegnæ trabes ad terram, Argo illa facta non esset. Ex trabibus nanque Argo facta est, sed nulla inerat trabibus necessitas, vt ex eis fieret nauis. At verò ea causa, quæ est efficiens, & quæ in se suam continet necessitatem, talis est, quale cum in Aiacis nauim igneum crispisulcans fulmen iectum est. statim enim accendi necesse est nauim: quia ignis accendendi necessaria causa est.

sensus quidem est huiusmodi. ordo autem paulò confusior est: ait enim hoc modo, Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non ferè solet: hoc autem sine quo non efficitur, sæpe conturbat. quod cum dixisset, cúmq; vel vtriusque, vel alterius exemplum ponere debuisset: neutri conuenientem exemplo similitudinem dedit. Nanque cum vel necessariam causam efficientem, vel eam sine qua non efficitur, proposuisset: eius causæ posuit exemplũ quæ efficiat quidem aliquid, sed non sine extrà positis adiumentis, hoc modo, Non enim si sine parentibus filij esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Parentes enim & maxime masculi sexus, efficiens causa est: sed non sine fœmina, id est non sine materia quadam & causa sine qua fieri non possit: cùm ipsa vim efficiendi non habeat. Itaque nec causæ necessariæ & efficientis posuit exemplum: nec eius sine qua fieri nihil possit: sed efficientis quidem, non tamen necessariæ. sed videtur tacuisse in propositione id cuius posuit exemplum. Ita enim apertius dici potuisset, Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorẽ afferre non ferè solet: hoc autem quod non habet efficiendi vim necessariam: vel hoc sine quo non efficitur, sæpe cõturbat. Itaque sic intelligendum est, quasi ita sit dictũ. nã de necessaria causa nullum posuit exemplũ. Quod verò subiecit, vtrisque causis conuenit posterius enumeratis, tam efficiẽti non necessariæ quàm ei sine qua nihil efficitur. Parentes nanque tam masculini sexus, quàm fœminini esse dicuntur: quorum quidem masculini sexus ea causa est quæ efficiat, sed non necessaria: Fœminini verò ea, quæ non efficiat, sed sine qua esse non possit. Quæ cum ita sint, discernẽdæ sunt causæ, & prævidenda necessitas: nec omnis causa præmittẽda vt subsequatur effectus, sed ea tantũ in qua est efficiendi necessitas, etiam si extrinsecus adiumenta defuerint.

VISORIVS. Proximus est locus rerum efficientiũ quæ causæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, vt reliquorum locorum, paulò antè posui.) Causa res est, cuius vi aliquid euenit. Eius genera quatuor antè fecimus: materiam, ex qua res fit: formam, per quam res est: efficientem, à qua res fit: finem, propter quem res est. Illas priores Rodolphus non causas appellat, sed sub partibus cõplectitur. nec immerito. nã materia & forma rei naturalis partes sunt, vt hominis corpus, animus. Has verò posteriores solas causas facit: efficientẽ dico & finem. nec iniuria. Nã causa est, cuius virtute aliquid, vt iã diximus, euenit: vt autẽ aliquid euenìat, necesse est id esse, quod vĩ efficiẽdi habeat, cuius efficientia formari res possit: deinde id si nõ aliquo ad agendum stimulo moueatur, iners segnéque manebit. quo fit vt alicuius rei gratia quod agit operetur. Id ergo cuius virtute res fit, efficiẽs est: cuius verò causa, finis. Hæc autem genera quatuor, ad duo capita Cicero redegit, qui dixit: Causarum duo genera sunt, vnum quod vi sua id quod sub ea subiectum est, certè efficit: alterum quod naturam efficiẽdi non habet, sed sine quo effici non possit. quam diuisionẽ idẽ quoq; in Partitionibus oratoriis facit, dicẽs, Causarum sunt aliæ quæ ipsæ conficiũt, aliæ quæ vim aliquã ad conficiendum adferunt. Itaq; illæ superiores, conficientes vocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, vt sine his confici aliquid nõ possit. Ergo causarum omniũ capita generalia duo sunt, efficiens, & sine qua nihil effici potest: ad quæ rediguntur, vt diximus, quatuor illa causarum genera, quæ philosophi faciunt. Efficiens causa dicitur, quæ suã operam rei faciẽdæ præbet: vt architectus ædium causa est efficiens. Sub efficiente formã & finem cum Cicerone cõprehendimus. id quod & in Partitionibus ipse testatur, vbi dicit, Sunt autem aliæ causæ quæ aut propter principium, aut propter exitũ conficientes vocantur. per exitum finem intelligit, per principium verò formã. Est enim forma, sicuti physici definiunt, principiũ effectiuum motus & quietis. neque placet vt per principiũ materiã intelligas, sicuti Georgius Valla homo minimè malus diuinat. Nam Cicero materiã nõ sub efficientibus, sed sub iis sine quibus nihil efficitur, reponit. Itaq; iam constat, tres causas in idem genus cadere, efficientem, formam, & finem. Nam idem efficiens & finis esse potest. vt is qui sibi domum ædificat, quatenus ædificat efficiens est: vt verò sibi habitandam domum efficit, est finis. Sic forma efficiens est, tametsi Rodolphus neget. quod autem forma sit efficiẽs, ex superiori definitione liquet, quæ est hæc: Forma est principium effectiuum motus & quietis. Hactenus de iis quæ ad causas efficientes rediguntur: nunc de reliquis dicendum, sine quibus non efficitur. Materia sub eo genere reponitur, sine quo nihil effici potest: vt æs, statuæ æreæ materia est, sine qua statua ærea fieri nequit. Vnde colligimus, ad hæc duo capita, id est, ad efficientes causas & sine quibus non efficitur, omnes causarum modos à Cicerone reuocari. Quare mihi reprehendendus Agricola videtur, qui Ciceronem taxat, quòd omnia causarum genera ad

solas efficientes causas redegerit, qui tamen non redegit. id quod ei sole clarius euadet, qui Ciceronis diuisionẽ legerit. Nã cũ Cicero causas ita distribuisset, vt aliæ conficiẽtes essent, aliæ non conficiẽtes, sub his quæ non conficiunt, materiam collocauit: reliquas verò ad efficientes reuocauit. quare non omnes causas efficientes esse voluit. Huius generis causarum sine quo non efficitur.) Causas eas quæ non sunt efficientes quidem, sed sine quibus nihil efficitur, Cicero distribuit sic, vt earum * *aliæ sint quietæ, stolidæ quodammodo, & nihil agentes: aliæ quidem sint in motu, & nonnihil agant. Causæ quietæ sunt, & quæ per se nihil agunt, vt locus, tempus, materia, instrumentum. nam sine loco, tempore, materia & instrumẽto nihil efficitur. locus tamen, tempus, materia, & instrumentum non efficiunt. Verùm Rodolphus instrumenta ad efficientes causas reuocat, nec certè iniuria. Nam eorum quæ efficiunt, alia sunt κύρια, id est præcipua & imperantia: alia verò obsequuntur & ministrant. quorũ alia agunt, alia agendi sunt instrumenta: vt in domo facienda architectus imperat, qui quo modo fieri quidque debeat iubet: is qui lapidem sculpit, qui parietem extruit, qui cædit aptátque materiam, ministrat & obsequitur. Instrumenta sunt, securis, terebra, mallei, & quæcunque sunt alia quibus artifex opus suum explicat. Illæ autem causæ dicuntur esse in motu, & nonnihil agunt: quæ tametsi conficientes non sint, & suum effectum directo non prospectent, quãdam tamen præcursionem & præparationem ad efficiendum adhibent, & per se adiumenta quædam (licet non necessaria) præbent. Hoc modo congressio causa est nonnunquæm amoris, & amor aliquando flagitij, non tamen ita vt congressio in eum finem facta sit, vt amor inde sequeretur: sed quia contigit, vt qui sæpius cũ aliquo congressus est, eũ amari ab eo cum quo cõgressus est. Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium, fatum à Stoicis nectitur.) Cicero fatum collocat in eo genere causarum, quæ præcurrentes appellãtur. Fatum verò Cellius cap. 2. lib. 6. sic definit. Fatum est (inquit Chrysippus Stoicus) sempiterna quædam & indeclinabilis series rerũ, & catena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines: ex quibus apta connexáque est. Qui huic definitioni obstrepunt, sic fatum euertere conantur: Si omnia fato reguntur, neque fati volumina declinari transcendíve possunt, peccata non sunt hominibus inducenda, neque eorum voluntatibus, sed illi necessitati ineuitabili, quæ rerum omnium domina est & arbitra, per quam necesse sit fieri quicquid futurum est. Verùm Chrysippus hanc obiectionem sic diluit. Sicut lapidem cylindrum per spatia terræ prona si iacias, aut pellas, causam ei quidem & initium præcipitãtiæ feceris: mox tamen ille præceps voluitur, non quia tu iam id facis, sed quia modus eius & formæ volubilitas sese sic habet. sic ordo & ratio & necessitas fati, genera ipsa & principia causarũ mouet: impetus verò consiliorum mentiumq; nostrarũ, actionésq; ipsas voluntas cuiusq; propria & animorum ingenia moderantur. Insuper Seneca in libro de Diuina prouidentia naturã fati ita describit: Fata nos ducunt, & quantũcunque temporis restet, prima nascẽtium hora disposuit: causa pẽdet ex causa, priuata ac publica, lõgus rerum ordo trahit: ideo fortiter omne faciẽdum est, quia non vt putamus incidunt cuncta, sed eueniunt. Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas: & quãuis magna videatur varietate singulorũ vita distingui, summa in vnum venit.*

Atque vt earum causarũ.) Quemadmodum causæ sine quibus nihil efficitur, distributæ sunt: sic efficientes diuidi possunt: vt earum alia absoluta & perfecta sit, quæ sola per se suum opus efficit, nulla re adiuuãte: alia verò nõ sola, sed quæ adiuuari velit, ipsamet quidẽ etiã adiuuans & efficiendi socia quædam. vt sola virtus bonos eos efficit, in quibus est: sed an sola beatos efficiat, an verò sit adiuuanda, quæritur. Si Stoicis credimus, sola virtus beatos efficit: si Peripateticis, non sola, sed bonis corporeis & fortuitis adiuuãda est. Quòd autẽ Cicero dicat, sapientiã solam per se sapiẽtes efficere, docet nos, aliquãdo efficientem causam & formam eãdem esse. nã sapientia sapiẽtis forma est, vt vult Boëtius. eadem verò, sicut Cicero dicit, sapientis efficiens causa est. Quare non est quòd Rodolphus neget, formã & efficiẽtem interim eandem esse. Quare cum in disputationem inciderit causa efficiens.) A causa ad effectũ nonnunquã argumentatio necessaria est, aliquando nõ est necessaria. Necessaria est cõclusio, si ab efficiente causa argumenteris. nam causa efficiẽs dicitur, quæ vi sua id quod sub ea subiectũ est, certè efficit. Certè Cicero signanter dixit, quasi necessariò, vel haud dubiè dicere vellet: quòd si causa efficiens suũ opus ex necessitate sortiatur, ab ea sanè ad effectũ rata erit & explorata collectio. vt, si sol adest, ergo lux adsit oportet. Non est autẽ certa neq; necessaria argumentatio, ab ea causa, sine qua non efficitur, ad id quod ex ea fit. non enim protinus sequitur, si sit æs, æream statuã esse: quãuis ærea statua sine ære fieri nõ possit: æs tamen esse

potest, vt ærea statua non sit. Itaq; genus illud causæ quod efficiendi vim habet, ab eo diligẽter separandũ est, sine quo res non efficitur. nam illud in argumentando nõ fallit, nec errorem in colligẽdo solet adferre: quippe quod indubitatæ & exploratæ fidei sit. hoc verò genus sine quo non efficitur, sæpe fallit: neque enim necessariã efficiendi per se vim habet. quo fit, vt eius effectus non ex necessitate colligatur. *Illud enim est, tanquã, Vtinã ne in nemore Pelio securibus cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes.*) Trabes illæ quæ in nemore Pelio cæsæ sunt, causæ fuerunt Argo nauis fabricandæ, nõ quidem conficientes, sed sine quibus Argo nauis fabricata non est. nam illi fabricandæ materiam præbuerunt. Rectè nos admonet Quintilianus capite decimo libri quinti, ne causas ab vltimo repetamus. vt ancilla Medeæ coniugis Iasonis, suæ heræ miseriæ causam esse dicebat trabes abiegnas in nemore Pelio cæsas. nam nisi cæsæ fuissent, neque ad terram cecidissent, Argo nauis fabricata non fuisset: vnde miseria Medeæ orta est, quæ patrem suum Aeetam regem Colchorum, patriamq; suam Colchida reliquit, vt Iasonem post vellus aureum conquisitum, in Græciã sequeretur: à quo tandem repudiata fuit, tametsi eam postea reuocauerit, vt Iustinus lib. 2. & 4. narrat. Huius rei Cicero meminit, cum alibi, tũ secundo Rhetor. ad Herennĩũ, vbi de vitiosa expositione loquitur. sic enim ait: Ne Ennium & cæteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est, Vtinã ne in nemore Pelio securibus Cæsa cecidisset abiegna ad terrã trabes, Néve inde nauis inchoandæ exordiũ Cepisset, quæ nunc nominatur nomine Argo: in qua vecti Argiui delecti viri Petebãt pellem illã inauratã arietis Colchis, imperio regis Peliæ per dolum. Nã nunquã hera errãs mea domo efferret pedẽ Medea, animo ægra, & amore saucia. Nam hic satis erat dicere, si id modò quod satis erat, spectasset poëta: Vtinam ne hera mea pedẽ efferret domo, Medea animo ægra & amore saucia. Ergo hac quoq; ab vltimo repetitione, in expositione magnopere superfedendũ est. non enim reprehensione, sicut aliæ complures, sed sua sponte vitiosa est. Similis causa est, si quis dicat Publium Cornelium Scipionem causam multarum in vrbe Roma seditionum. nam nisi Corneliam filiam Sempronio ducendam collocasset, & Sempronius ex ea Tiberium & Caium Gracchos suscepisset, qui multas in vrbe seditiones excitarunt, seditiones illæ suscitatæ non fuissent. *In nemore Pelio.*) Ouidius libro quinto Fastorum de nemore Pelio sic ait,

Pelion Aemoniæ mons est obuersus in austros,
Summa virent pinu, cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit, saxo stant antra vetusto,
Quæ iustum memorant incoluisse senem.

Hic est Pelion, qui (quemadmodum dictum est) Argo nauis fabricandæ materiam tribuit, vt Flaccus libro primo testatur, & Catullus in Pelei nuptiis,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas,
Phasidos ad fluctus. Cicero lib. 1. Tusculanarum, Argo nauis meminit, vbi dicit: Etenim si nunc aliquid assequi sese putant, qui ostium Ponti viderunt, & eas angustias, per quas penetrauit ea quæ nominata est Argo, quia Argiui in ea delecti viri vecti petebãt pellem inauratã arietis, cùm Colchos adiissent. sed de Argo naui satis dictum, De Pelio monte rursus præter superiora, pauca dicamus. Mons Pelion adeò altus est, vt Dicæarchus mathematicus, regum cura mõtes permensus, omnium eum altissimum prodiderit. hinc illud est Ouidij libro Fastorum primo,

Sic petitur cælum, non vt ferat Ossan Olympus,
Summáque Peliacus sidera tangat apex.

At cum in Aiacis nauim.) Sicut exemplũ causæ Tullius antè dedit, sine qua res nõ efficitur, quæ nos in colligendo sæpe fallit, quòd ex ea non necessariò sequatur effectus: vt si trabes in Pelio nemore fuerunt, nõ protinus tamen Argo nauis fabricata est, neque continuò Medea misera fuit: Sic nũc Cicero dat exemplum causæ, quæ sua vi, quod sub ea subiectum est, certè efficit: vt ignis causa est efficiens incendij, neq; non vrere potest, si ei apponatur quod vri possit, vt igneum fulmen crispisulcans iectũ in Aiacis nauem, nõ accendere non potuit. nauis enim necessariò inflammata est. Ab eiusmodi causa efficiente ad effectũ rata est & inexpugnabilis argumẽtatio: vt, fulmen iectũ est in nauem Aiacis, igitur inflãmata nauis est. Duo fuerunt Aiaces, vnus Oileus, & alter Telamonius. ambo furuerunt: Oileus quidem amore & ira: Telamonius, amore diro. nam Aiax Oilei per impatientiam amoris Cassandram filiam Priami, & vatem, in tẽplo Palladis oppressit. quam

nimirum Pallas vlta est. vnde Virgilius primo AEneidos sic ait sub persona Iunonis:

-Pallásne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilëi?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecítque rates, auertítque æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto.

Alter verò, nempe Telamonius Aiax, in furorẽ ira versus est. de quo poetæ sic loquuuntur. Achille sagitta Paridis interempto, magna inter Aiacem & Vlyssem contentio orta est, vter ipsorum illius armis dignior esset. Agamemnon autem ne in alterius odium incideret, illis contẽtionis iudicium ad principes Græcorum reiecit, vt pro virtute & meritis vtriusque, arma alteri adiudicarent. Iusso igitur vtroque in concessu principum causam suam agere, Vlysses non virtute, non meritis, sed eloquentia, qua plurimum valebat, effecit vt sibi arma adiudicarentur. Illam autem repulsam Aiax adeò ægrè tulit, vt primùm furiosus sit effectus: deinde cum resipuisset, gladio incumbens sese interfecerit. Aiacem autem Talamonium Ouidius libro decimotertio Metamorphoseos sic loquentem inducit,

-Agimus proh Iuppiter, inquit,
Ante rates causam, & mecum confertur Vlysses?
At non Hectoreis dubitauit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac à classe fugaui.
Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quàm pugnare manu. sed nec mihi dicere promptum,
Nec facere est isti. nam quantum ego Marte feroci,
Inq; acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta Pelasgi
Esse reor, vidistis enim. sua narret Vlysses
Quæ sine teste gerit, quorum nox conscia sola est. & cætera, quæ ab Ouidio repetes.

Nunc verò de Aiace Oileo, non autem de Telamonio Cicero loquitur. duo Aiaces

LATOMVS. Causarum igitur genera duo sunt.) Diuidit causam in efficientem necessariò, & non necessariò efficientem. Et rursus vtrunque genus duplex facit. Certè efficit.) Certè, id est, necessariò. Est enim vis eius eiusmodi, vt cessare, & in id quod ei subiectum est, non explicari non possit, vt ignis accendens, & omnia quæ sine appetitione & delectu agunt. Sed sine quo effici non possit.) Hoc est, sine quo vel omnino non possit, vel facilè non possit, vt sine materia, loco, tempore, instrumentis, quibusdam in rebus omnino non potest effici: sine adiumentis autem & præcursionibus quibusdam aliis in rebus non facilè efficitur, in aliis facilius. Nihil autem est in omni rerum natura, quod sine careat, propter quem agit: quare & hic ad efficiendum est necessarius. Præcursionem quandam.) Id est, adiumentum & procliuitatem, qualis tum in occasionibus temporum, tum in ipsa sæpe rerum natura esse solet, vt in stuppa accendenda, & iracundo inflammando: item cùm amantibus locus & tempus suffragatur, vt AEneæ & Didoni spelunca in sylua & solitudine. Causarum ex æternitate pendentium Fatum à Stoicis nectitur.) Fatum à Chrysippo sic definitur, vt refert Gellius, esse sempiternam quandam & indeclinabilem rerum seriem & catenam voluentem ipsamet sese, & implicantem per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexáque sit. Constat enim ex causis prouehentibus magis quàm efficientibus: sicut idem Chrysippus exemplo cylindri ostendebat: Non enim mouetur cylindrus per se, nisi impellatur, & tamẽ forma sua volubilis est: vt si vel leuiter impulsus fuerit, vltro deinceps ac sponte sua feratur. Atque hoc est quod dicitur à sapientibus, astra non afferre necessitatem consiliis hominum, sed procliuitatem. Atque vt earum causarum.) Ex præcedenti diuisione sequẽs nascitur. Nam si sunt quædam sine quibus effici non potest, non omnia efficientia etiãsi necessariò efficiant, per se sola efficiunt, sed alia efficiunt sola per se, alia adiumentis egent. Beatos efficiat, néne.) Quia videntur etiam externa bona ad fœlicitatem necessaria esse, de quo est inter Stoicos & Academicos magna dissensio. Hoc igitur sine quo nõ fit.) Vel omnino nõ fit, vel nõ facile fit,

quemadmodum suprà interpretati sumus. Vtinam ne in nemore Pelio.) Senarij sunt ex Medeæ Ennij, quibus ancilla queritur Medeam inter Argonautas Iasonem secutam esse, quæ nunc ab illo relicta sit.

HEGENDORPH. Stolida quodammodo.) Id est, immobilia prorsus, nisi agendi extrà modus accesserit. Fatum à Stoicis nectitur.) Fatum enim, authore Chrysippo, est sempiterna quædam & indeclinabilis rerum seris, & catena voluens ipsamet sese, & implicãs per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexáque est. Vide Gel. lib. 6. cap. 2. vt, Abiit filius peregrè, quia patris obiurgationem ferre non poterat: ideo patris obiurgationem ferre non poterat, quia puellam quãdam deperibat. Ideo puellam deperibat, quòd sæpe antea cum ea congressus erat. Id circo verò congressus erat, quia aliquid, vt cum ea colloqueretur, præcesit. Et ita illa infinita causarum consequentia à Stoicis fatum dicitur. Aliquid necessarió.) Vt, Ignis est, ergo accendit. Sol adest, ergo lux adsit oportet. Sapientia præditus est, ergo sapiens sit necessum est. Cùm autem erit talis causa.) Vt non sequitur, Congressus est, ergo amauit. Aes est, igitur statua est. Farina est, ergo panis est. Non enim si sine paren.) Exemplum causæ est, quæ efficit quidem aliquid, sed non necessarió. At cùm in Aiacis.) Exemplum causæ efficientis, quæ in se vim efficiendi habet.

COVEANVS. Quod sub ea subiectum est, certè efficit.) Id cuius causa dicitur, cuiúsque efficientiam in se cohibet, semper efficit, modò non impediatur, neque desit in quod agere possit. Sed sine quo effici non potest.) Vnde efficientes causæ dici & eæ quoque possunt. In quibus sine dubio numerandus finis est, sine quo nihil fit, nulláque actio suscipitur: quanquã finis M. Tullius mentionem nullam faciat, cùm tamen & materiam & instrumentum appellet. Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum.) Diuisio hæc causarum ex Chrysippi sententia à Cicerone inducitur. Sic enim in libro de Fato scribit, Causarũ enim, inquit Chrysippus, aliæ sunt perfectæ & principales, aliæ adiuuantes & proximæ. Quamobrem cùm dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis & principalibus, sed causis adiuuantibus, antecedentibus & proximis. Eodémq; rursus libro, Sed interest inter causas fortuitò antegressas, & inter causas cohibentes in se efficiẽtiam naturalem. Itaq; illi rationi quam paulò antè concluſi, sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, vt omnia causis fiãt antepositis, verùm non principalibus & perfectis, sed adiuuãtibus & proximis. Causæ igitur præcurrentes, causæ sunt proximæ & adiuuantes per se: eóque à materia & instrumento differunt, quòd hæc nullum per se afferunt ad efficiendum adiumentum: ex quibus causis suum fatum nectunt Stoici, ita vt in rebus necessitatem non ponant. Vt sapientia efficit sapientes.) Sapiẽtia est ars perfecta omnium virtutum, quemadmodum scribit Cicero 3. de Finibus bonorum & malorum, quæ quin sapientes efficiat, hoc est perfectos, dubium non est. Beatos sola per se, sine fortunæ, sine naturæ vllis adminiculis, quod Stoici putant, id verò sic negant Peripatetici, vt dicant fieri quidem virtute beatos, sed non beatissimos: gradus enim quosdam beatitudinis ponunt, Stoici nullos. Cicero in quæstionibus Academicis, Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in vna virtute esse positam beatã vitam: nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur & corporis, & cætera quæ suprà dicta sunt, ad virtutis vsum idonea. Errorem afferre non ferè solet.) Nunquam enim errorem adfert, nisi cùm aut impeditur, aut non adest in quod vim suam explicet. Conturbare porrò verbum est rationum. Terent. in Eunucho, Ita conturbasti mihi rationes omnes. Cicero pro Cn. Plancio, Verũ fac me multis debere, & in iis Plancio. Vtrum igitur me cõturbare oportet, an cæteris, cùm cuiusq; dies venerit, hoc nomen quod vrget, nunc cùm petitur, dissoluere? Quo ex loco apertè intelligimus, Conturbare esse, omissis ueteribus creditoribus, nouis satisfacere. Illud enim est tanquam, Vtinam ne in nemore.) Cicero in libro de Fato, Itaque non sic causa intelligi debet, vt quod cuique antecedat, id & causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat: nec quod in campum descenderim, id fuisse causam cur pila luderem, nec Hecubam causam fuisse interitus Troianis, quòd Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quòd Clytemnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa foret, cur à grassatore spoliaretur. Ex hoc genere illud est Ennij,

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Licuit vel altius, Vtinam ne in Pelio nata vlla vnquam arbor esset: etiam suprà, Vtinam ne esset mons vllus Pelius: similitérque superiora repetentem regredi in infinitum licet.

Néve inde nauis inchoandæ exordium cepisset.
Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,
Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore sæuo saucia.
Non vt eæ res causam afferrent amoris.

COMMENTARIVS. Proximus est.) Aristoteles specialiter vocat causas efficientes, per quas efficitur. Cicero eo nomine causas omnes generaliter complectitur, vt videatur malè reprehensus à Rodolpho, quasi angustius causas incluserit, eásque redegerit duntaxat ad efficiētes. *Causarum igitur.)* Ad hoc genus referri debent causæ formales, efficientes, & finales. Sunt tamen nonnullæ efficientes, quæ sub hoc loco non comprehenduntur, vt instrumenta. Porrò si causæ efficientes necessariæ sunt, ab illis argumentamur ad effectum, & negatione effectus ad negationem causæ. *Genera duo.)* Aristoteles quoq; ponit αἴτια & συναίτια, id est causas & concausas, appellátq; causas, efficientem & finem: cōcausas, materiam & formam. *Alterum.)* Ad hoc genus referri oportet materiam, qua sublata tollitur effectus. Referuntur præterea causæ quædam accidentales, quæ facultatem adferunt rei agendæ, vt locus, tempus, &c. à quibus trahitur aliquando probabile argumentum. *Ferramenta.)* Alij tamen instrumenta referunt ad causas efficientes. sed hoc Cicero spectauit, quòd instrumentum nihil per se agit, nisi ab alio moueatur. qui igitur mouet instrumentum, id non posset absq; instrumento. *Alia autem præcursionem.)* Hæ causæ differunt à superioribus, quòd superiores stolidæ sunt & immobiles, hæ quendam habent motū antecedentem, quo efficiunt procliuitatem agendi. *Adiumenta.)* In aliquo vetusto codice legitur, adiuuantia: quæ lectio etiam valet. *Ex hoc genere.)* Chrysippus in libro de prouidentia Fatum ait fieri ex serie causarum inter se catenatarum, ita vt causa causam excipiat. Interpretatur Cicero causas eas præcurrentes, quæ procliuitatem & propensionem adferunt, vt liberum scilicet seruet arbitriū. Numenius tamen in capite de prouidentia ait, à Stoicis ex fati definitione tolli liberum arbitriū propter necessitatē causarum. *Sunt enim aliæ causæ.)* Hæ sunt causæ necessariæ, quæ nisi impediantur, necessariò agere solent: vt ignis solet vrere. *Vt sapientia.)* Hoc argumentum, si spectes inflexionem, est à coniugatis: sin autem vim agendi, est ab efficientibus. atq; (opinor) hic locus Fabium mouit vt coniugata libro quinto subiiceret causis. Etenim coniugatum causa est sui concreti.

Beatos.) Beati sunt, finitore Cicerone, qui in multis sunt bonis addito nullo malo. atq; secundum Stoicos, qui bona fortunæ & corporis in bonis non numerant, sapientia sola beatos efficit. Peripatetici præter sapientiam aiunt opus esse bonis corporis & fortunæ. *Quare cùm.)* A causa necessaria argumentamur ad effectum. Interdum quoq; à negatione causæ, qui locus est communis. In omnibus sæpenumero argumentamur à negatione effectus ad negationem causæ. Interdum est reciprocatio argumenti à causa ad effectum, & ab effectu ad causam. *Cùm autem.)* Itaq; argumentamur in his à negatione causæ ad negationem effectus. In hunc modum redigi debent tria genera causarum non necessariarum, de quibus egit paulò anté. *Hoc autem.)* Rhetores tamē ab hac causa sæpenumero probabiliter argumentantur in causis coniecturalibus, cùm persequuntur impulsiones & ratiocinationes. sed argumenta tamen solui facile possunt, quia non sunt necessaria. *Non enim.)* Duplex est causa efficiens. quædam enim agit necessitate, vt ignis necessariò vrit: quædam causa agit delectu, vt in quibus causis est libertas ad agendū vel non agendum. Sic pater agit delectu, videtúrque potius esse causa efficiens, quàm causa sine qua non. *Hoc igitur.)* Non potest ex litera elici sensus idoneus, quocirca legendum est vt in veteri, Ab eo à quo certè fit: vt ita significetur causa necessaria, quæ distinguenda est à causa non necessaria, ne conturbemur in argumentando. *Vtinam.)* Exemplum est causæ non necessariæ, ductum ex Medea Ennij. Hi autē versus translati sunt ex Medea Euripidis. Legit Crinitus, cecidisset abiegna terram trabes. Trabes enim in singulari dixerunt antiqui. Reprehēditur à Cornificio hic locus. *In Aiacis nauim.)* Versus est iambicus cum hemistichio, sumptus ex aliqua tragœdia in qua describitur naufragium Græcorum in patriam ad excidio Troiano reuertentium. Pallas enim fulmen iniecit in nauim Aiacis Oilei.

Atque etiam est causarum dissimilitudo, quòd aliæ sunt vt sine vlla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione suum *Causarum alia dimisio.*

quasi opus efficiant, velut, Omne intereat, quod ortum est. Aliæ autem aut voluntate efficiũtur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, vt tu cùm hunc libellum legis. Perturbatione, vt siquis euentum horum temporum timeat. Habitu, vt facilè & citò irascatur. Natura, vt vitium in dies crescat. Arte, vt bene pingat. Casu, vt prosperè nauiget. Nihil horum sine causa, nec quicquam omnino, sed huiusmodi causæ non necessariæ.

BOETIVS. Facit aliam rursus causarum diuisionem, ita, Causarum enim aliæ sunt quæ sua quadam vi sine appetitione, sine voluntate, sine opinione, vnum atque eundem efficiendis rebus ordinem tenent: vt est, Interire omnia quæ orta sunt. Nam quia ortum est, idcirco etiam necesse est interire: nec tamen ipse ortus vt cætera intereant, vel appetitu aliquo, vel voluntate, vel opinione efficit: sed ita est ab æterno rerum statu, vt quicquid ortum est, quia cœpit esse, aliquando etiam esse desistat. Item aliæ sunt causæ, quæ aut in voluntate, aut in perturbatione animi, aut in habitu, aut in natura, aut in arte, casúve consistunt. Voluntate, vt si quærat aliquis, cur Trebatius librum legat, respondebitur: quia legendi voluntas est. Perturbatione animi, vt si quis timore pallescat, aut vrbẽ fugiat bellis ciuilibus conturbatus. Habitu, vt si idcirco Trebatius facile de iuris ratione responderit, quoniam multo vsu constantem ciuilis scientiæ habitum tenet: vel si quis idcirco irascatur facilè, quia eius animus per iracundiæ habitum efferatus est. Natura, vt si quis idcirco dicatur irasci, quia naturaliter iracundus est, idque ei in dies vitium crescat. Arte, vt si idcirco bene quisq; pingat, quia eius artis peritus esse proponatur. Casu, vt quæ in nostra potestate nullo modo sunt, fiunt tamen, velut incerto præsertim tempore prosperitas nauigandi: atq; horum omnium nihil causa vacuum est: nec quicquam est in rebus, quod aliqua causa non perficiat. Omnia enim quæ fiunt, habent aliquam rationem cur facta sint. quam siquis reddere posśit, causam quoq; reddiderit. Id enim est causa, propter quam vnumquodq; fit. Omnes verò causæ, quæ vel ex voluntate, vel perturbatione animi intelliguntur, ad eam causam pertinent quæ est mouendi principium, vt in Aristotelica diximus diuisione. Hæc enim vt aliquid efficiatur, mouẽdi principium sunt. at in arte, vel habitu, vel natura, illa causa est, quæ in ratione consistit. Species enim ac ratio vniuscuiusque efficiendæ rei, in arte & habitu & natura posita est. Casus verò exterior causa, nec inter principales annumeratur secundum Aristotelem. Secundum verò M. Tullium casus est latens effectæ rei causa. quod quale sit, paulò posterius designabitur.

VISORIVS. Atq; etiam est causarum dissimilitudo.) Cicero causas alia distributione partitur, vt earum aliæ sint necessitatis, aliæ voluntatis, aliæ perturbationis, aliæ habitus, aliæ naturæ, aliæ artis, aliæ casus & fortunæ. Causæ necessitatis sunt in iis rebus, quæ rationis & consilij expertes sunt. Nam eiusmodi res omnes, vt ait Rodolphus, necessitatem in agendo sequuntur: vt ignis appositó sibi quod vri possit, non vrere non potest. Causæ voluntatis sunt in iis rebus, quas homines consilio, ratione & iudicio administrant. In iis enim agendis delectum sequi videntur, quas si volunt, agunt: si nolunt, non agunt, sed ab eis abstinent. Est enim voluntas, vt philosophi definiunt, rationalis appetitus, vt cùm hunc libellum legis, voluntas tua causa est quare legas. nã quia legere voluisti, propterea legis. Causa perturbationis in iis est, qui ob ebrietatẽ ad manus & ad ferrum veniunt, & in omnibus illis qui impetu mentis impulsi quicquam agunt: vt si quis euentũ horum temporum timeat, id est si quis vrbem relinquat, Antonij tyrannidem timens, causa migrationis timor habetur, qui perturbationis est species. Nam timor est appropinquantis mali metus. Metus verò, futuri mali opinio. At perturbatio aut est præsentis, aut futuri boni vel mali opinio. præsentis boni, vt lætitia: mali præsentis, vt ægritudo: futuri mali, vt metus: boni futuri, vt libido. Has quatuor species perturbatio comprehẽdit. Est autem perturbatio, vt inquit Cicero lib. 4. quæstionum Tusculanarum, auersa à recta ratione cõtra naturam animi incitatio. Habitus causa est,

in eo quì ad aliquid agendum assuetus est. est enim habitus qualitas quædam vsu & meditatione cõparata, qua ad aliquid faciẽdum procliues & prompti sumus. Vt qui virtutis habitum sibi comparauit, ad bene agendum paratissimus est. Natura nonnunquã causa esse dicitur, vt aliquid fiat. Sed memineris naturam hoc in loco pro facilitate quadam & naturali promptitudine capi, vt adolescentes suapte natura ad libidinem prompti sunt. Ars est rectè faciendi consuetudo. sicut Aristoteles 6. Ethic. definit. Quo fit, vt sit artis bene pingere. Casus denique causa est accidentaria, vtpote rerum earum quæ temerè & insperatò nobis contingunt: vt Adrastus filium Crœsi casu occidit. nam cùm telum misit vt feram configeret, Crœsi filium præter expectationem occidit. Hæ autem omnes causæ præter primum modum, non necessariæ sunt, vt voluntas, perturbatio, habitus, natura, ars & casus Velut, omne intereat quod ortum est.) Quintilianus cap. de Argumentis, vbi de rebus mutuam confirmationem præstantibus loquitur, scribit ita: Illa quoq; quæ ex rebus mutuam confirmationem præstãtibus ducuntur, quæ proprij generis quidam videri volunt, & vocãt σὺ τῶν πρὸς ἄλλα, Cicero ex rebus sub eandem rationem venientibus, sorte consequentibus iunxerim: Si portorium Rhodijs locare honestum est, & Hermocreonti conducere: & quod discere honestum, & docere. Vnde illa, non hac ratione dicta, sed efficiens idem, Domitij Afri sententia est pulchra, Ego accusaui, vos damnastis. Est inuicem consequens, & quod ex diuersis ostendit: vt qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum & deficere significat, quia deficit omne quod nascitur.

LATOMVS. Atque etiam est causarum dissimilitudo.) Hæc diuisio est causarum, non secundum vim qua efficiunt, sed secundum modum efficiendi: Aristotelici eas appellant ex proposito, & sine proposito agentes, hoc est cum delectu & sine delectu. Velut, Omne intereat.) Huius causa, ipsa rerum natura est, qua ita comparatum est, vt quicquid ortum sit, intereat. Sed affert hanc conditionem rebus materia, vt tradunt Physici, quoniam ea aliarum & aliarum formarum sit capax. Nec tamen fit vt sit causa efficiens materia. quæ per se stolida & inefficax est: sed ea cùm subiectum sit efficientis, fit vt aliam atque aliam formam accipiendo, interitum rerum admittat, eóque causa interitus earum esse dicatur. Aut natura.) Hic naturam accipe, non in vniuersum, sicut de ea modò locuti sumus, sed pro ingenio cuiusq;, quod cum delectu agit: vt in iracundo & libidinoso, qui natura tales sunt, in quibus cùm valet vitium, natura id fieri dicitur. Casus ad fortunam pertinet, quæ & ipsa multorum euentorum causa est, sed latens.

HECENDORPHINVS. Velut omne intereat.) Ita enim ab æterno rerũ statu comparatum est, vt quicquid ortum sit, intereat: & ortus nec appetit, nec vult, nec opinione efficit interitũ. Aut habitu.) Habitus in præsentia, est qualitas vel animi, vel corporis, agendi consuetudine parta, qua facilius & certius aliquid agimus. Voluntate.) Sensus est, Voluntatem legendi hunc libellum habes: igitur libellum hunc legis. Habitu.) Hoc est, habitum quendam irascendi habes, id est, & cito & facilè irasceris: ergo te iratum fuisse credibile est. Perturbatione.) Hoc vult dicere, quia bella ciuilia instant, quia dubius horum temporũ euentus est, vel quia timeo euentum horum temporum: ergo ex vrbe fugio. Natura.) Hoc vult dicere, Natura iracundus es, ergo te iratum fuisse credibile est. Item, Sol oritur, ergo dies est: quia sol est naturalis causa efficiens diei. Arte.) Id est, Artem pingendi callet: ergo bene pingit. Casu.) Hoc est, Aura pacata in mari fuit: ergo prosperè nauigauit. Porrò aura pacata casu accidit. Sed huiusmodi.) Exceptis tamen causis naturalibus, & causis quæ arte agunt: nam illæ necessariæ sunt.

COVEANVS. Vt sine vlla appetitione animi, sine voluntate.) Cicero 3. de Finib. bonorum & malorũ, Hæc appetitio animi, quæ ὁρμὴ Græcè vocatur, nõ ad quoduis genus vitæ, sed ad quandam formã viuendi videtur data. Et 4. rursus, Naturalem enim appetitionẽ, quã vocant ὁρμὴν, &c. Et 5. rursus, Et tale vt ipsum per se inuitaret & alliceret appetitũ animi, quem ὁρμὴν Græci vocant. Idem 2. de Officiis, Appetitionésq; quas illi ὁρμὰς vocant, obedientes efficere rationi. Primo autem libro quid appetitio sive appetitus sit, his verbis explicat, Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maximè versatur: appetitus impellit ad agendum. Curandum igitur est, vt cogitatione ad res optimas vtamur, appetitum rationi obedientẽ præbeamus. Huius autem appetitus sive appetitionis species est voluntas. Cicero quarto disputationum Tusculanarum, Quamobrem simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id cùm constãter prudẽtérque fit, eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem: eam illi putant

habitus quid

in solo esse sapiente, quam sic definiunt. Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem aduersa ratione incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus stultis inuenitur. De opinione autẽ sic scribit Cicero in Quæstionibus Academicis, Quod autem erat sensu comprehensum, idipsum sensum appellabat: & si ita erat comprehensum, vt conuelli ratione non posset, scientiam: sin aliter, inscientiam nominabat, ex qua existeret etiam opinio, quæ esset imbecilla, & cum falso incognitóque communis. Idem 4. disputationum Tusculanarum, Opinationem autem, quam in omnes superiores definitiones inclusimus, volunt esse imbecillam assensionem. Quædam igitur causæ, naturales scilicet, suum opus efficiunt nobis aut volentibus, aut nihil tale cogitantibus. sic omnia orta intereunt, actáque senescunt: neque quidquam eodem semper statu permanet. Aliæ autem aut voluntate efficiunt, de qua iam scripsimus: vt cum Ciceronis libellum Trebatius legebat: aut perturbatione, quæ omnis ex opinione aut boni aut mali nascitur: vt cũ Cicero timebat quò furor M. Antonij euaderet. aut habitu, qui aliud nihil est, quàm perfecta quædam, vti Cicero in Academicis scribit, consuetudo, quæ efficit ut facilè quid & cito faciamus: vt qui iracundus est, leui de causa commouetur: aut natura, hoc est, naturæ & ingenij nostri propensione ad rem quampiam, ad libidinem scilicet, & ad vitium: aut arte, vt bene pingat: quæ quanquam habitus sit, hoc tamen in loco Cicero habitum in vitiis tantum & virtutibus moralibus ponit: aut casu & fortuna, vt cùm quis secũda nauigatione vtitur: quæ quidem causæ, etsi causæ sunt, non cohibent in se vim efficiendi necessariam. Omnium autem causarum aliæ constantes sunt, eodémque modo semper agunt. Hæ autem sunt, Natura, & naturæ imitatrix ars: in cæteris nulla inest constantia. Sed tamen earum causarum quæ constantes non sunt, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Quæ consilio fiunt, perspicuam habent causam, voluntatem videlicet. Rerum fortuitarum ignotæ causæ sunt: quanuis res ipsæ fortuitæ partim ignoratæ sint, partim voluntariæ. Si quis enim coniecto telo feriat quem minimè volebat, huius effectus pars perspicua est & voluntaria: iacere enim telum, voluntatis est: ferire quem nolueris, hoc verò ignoratum est, & fortunæ. Quanquam igitur fortunæ causæ sint latentes: in iis tamẽ quæ fortuna fiunt, partem sibi voluntas vendicat, (fortuna enim interuenit in iis quæ à voluntate & consilio profecta sunt, quemadmodum scribit Aristoteles 2. de Physico auditu) partẽ fortuna. quare ex parte ignorãtur, ex parte voluntaria sunt. Planè ignorãtur, quæ necessitate, hoc est, quæ naturaliter fiũt: hæc enim nulla ex parte in nostra posita sunt voluntate. Voluntaria planè & perspicua, quæ consilio fiunt. Hanc mihi videtur locus habere sententiam, quæ postulat, vt verba illa, Etiam, vt ea quæ fiunt, partim sint ignorata, sic legantur, tollatúrque illud etiam. Porrò autem quòd dicimus rerum fortuitarum partem aliquam voluntatis esse, hoc ita intelligendum est, si à fortuna τὸ αὐτόματον quod vocat Aristoteles, separamus: monstra enim naturæ τοῦ αὐτομάτου sunt, quæ nulla ex parte in nostra posita sunt voluntate.

COMMENTARIVS. Atq; etiam.) Hæc diuisio potius spectat ad proprietatem quandam causarum, quàm ad naturam. Est autem huiuscemodi diuisio, causas quasdam esse cum delectu, quasdam sine delectu: quæ eadem est diuisio efficientium apud Rodolphum. Sine vlla appetitione.) Appetitio vis est animi quæ impellit ad aliquid sequendum vel fugiendũ: voluntas verò cupiditas est recti, vt inquit Plato, secundum rationem & naturam, cui obtemperat appetitio. Opinio autẽ dubius est assensus & formidolosus, vt aiũt. Est autem hæc definitio per absentiam contrarij. Omne intereat.) Fabius lib. 5. hoc exemplum refert ad ea quæ sunt mutuo consequentia. nam alterum ex altero probatur, vt videantur inuicem esse causæ. Est autem hoc axioma physicum: tamen Plato in Timæo ortum esse dixit mundum, nunquam tamen interiturum, contra hoc axioma. Aut habitu.) Hîc habitus est, vt exemplum indicat, naturalis propẽsio & inclinatio ad aliquam rem: vocatúrq; naturalis habitus. Alius est habitus apud Aristotelem, scilicet qualitas ingenerata ex continuatione operationum. Aut casu.) Idcirco casum subiecit illis causis quæ agunt ex delectu, propterea quòd eius initium pendet à voluntate nostra, sed euentus tamen præter voluntatem est, cum præsertim sit accidentarius. Perturbatione, vt siquis &c.) Id ait propterea quòd tum oriebantur bella ciuilia inter Antonium, Brutum, & Octauium. Vt vitium in dies crescat.) Si quis Aristotelicè loqueretur, inuertenda essent exempla, vt prius esset naturæ, posterius habitus. Sed enim habitum Cicero ponit in facilitate, naturam in cuiusq; naturali ingenio, quod vitium semel insitum potest augere. Nihil horum.) Quidam philosophi dixerunt omnia fieri sta-

tis causis, atq; adeò ipsum etiam casum rectam habere causam, sed quæ mortales lateat, ad quam forte alludit opinionem, nisi existimet casum causam esse accidentariam, vt putat Aristoteles.

Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura & in arte constantia est, in cæteris nulla. Sed tamen earum causarum quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Perspicuæ sunt, quæ appetitionem animi iudiciumque tangunt. Latent, quæ subiectæ sunt fortunæ. Cùm enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est fortunæ, euentus obscura causa, quæ latenter efficit. Etiam ea quæ fiunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt: voluntaria, quę consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam iacere telum, voluntatis est: ferire quem volueris, fortunæ. Ex quo aries ille subiicitur in vestris actionibus, Si telum manu fugit, magis quàm iecit. Cadunt enim in ignorationem atque imprudentiam perturbationes animi: quæ quanquam sint voluntariæ (obiurgatione enim & admonitione deiiciuntur) tamen habent tantos motus, vt ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certè ignorata videantur.

BOETIVS. Rursúsque causarum diuisionem aliam claram ac perspicuam prodit. Causarum nanque aliæ sunt constantes, aliæ verò inconstantes. Constantes sunt, quarum non ferè variatur effectus. Inconstantes verò quæ huc atque illuc facilioribus mutationibus transferuntur. Omnia igitur quæ ex natura atque arte descendunt, constantia sunt. Natura quippe atque ars suum semper opus efficiunt, nisi subiectæ materiæ obstet incertum. Nam quòd vnus idémque artifex ex eadem sæpe materia non admodum similes statuas formet, non est hæc in arte varietas: sed tum in artificis manu, quæ integritatem artis assequi non potest: tum in ipsa materia, quæ efficientiæ atque formæ non æqualiter cedit. Idem est in natura: seruat nanque constantiam suam, cum hominem format ex homine. Itaque similia in cæteris ex similibus gignit. At cùm monstrosum aliquid efficitur: nõ naturæ vitio, sed materiæ potius applicatur, ex qua id quod efficere contendebat, nõ ita potuit natura explicare. Sed inter constantes causas habitus quoque debuit adiungi. Nam quod ex habitu cuiusque fit, id constans, nec mutabile esse solet. Quãdoquidem idcirco habitus dicitur, quia diuturnitate habendi, in naturæ similitudinem vertitur. Sed forsitan illud Tullius vidit, quòd natura atque ars non tam in effectibus constantes, quàm in propria ratione esse intelliguntur: in tantum vt quod ars & natura delinquit, materiæ sæpius imputetur. habitus verò ipse consuetudine quadam collectus est, qui non ratione aliquid & propria constantia, sed vsu facit. atque idcirco forsitan habitum, qui inter cætera præter artem vel naturam videbatur esse constantior, à causis constantibus segregauit. Ea verò quæ non sunt constantia, in ea diuidit quæ sunt perspicua, & in ea quæ latent. Perspicua sunt, quæ ab animi quolibet motu vel appetitione, vel iudicij ratione profecta sunt. Latent verò quæ fortunæ subiacent. Nam quia non ignorat animus in quam partem declinet, qui tametsi boni aliquando iudicium, nunquam tamen eius rei quam efficit, notionem relinquit: præter eos qui funditus mente capiuntur, & in quibus iam nulla voluntas est, necesse est nota esse, quæ ex voluntate vel animi iudicio fiunt. Fortuna verò atque casus, semper ignotus est: cuius quidem natura æquè incerta est, atque ea quæ ipsis casibus fiunt. Sed M. Tullius definit esse casum, euentum causis latentibus effectum. quæ non videtur integra definitio. Quid enim si adhuc

lateret quibus causis solaris defectus & lunaris cõtingeret? num idcirco casu ac fortuna fierent, quæ constantibus cæli motibus administrantur? An casus quidem putaretur ab iis, qui defectus rationem reperire nõ possent: per se autem cõsideratus nullo quidem modo esset casus? Sed Marcus Tullius non qui videretur esse casus iis qui eius naturã minime perspexissent: sed quid omnino fortunæ euentus esset, definitionis ratione monstrabat. Euentũ verò latentibus causis Cicero casum esse ita concludit, Cum omnia certis de causis fiant: quorum ratio cognoscitur, eorum euentus casu fieri non posse mõstratur. Sed putatur aliquid fieri casu eorũ, quorum causa nulla ratione cognoscitur. Ex quo euenit, vt fortunæ sit euentus, qui latentibus causis efficitur. Hic igitur in rebus quidem ipsis cõstãtiam ponit: casum verò non re, sed opinione metitur. Quo fit vt si alter effectæ rei nouerit causam: id quod accidit, non sit fortunæ euentus: idem tamen fortunæ euentus sit, si rationẽ alter ignoret. Quod verò omnium rerũ causas esse dicit, nõ determinat quales. atque ideo nec de fortuna ipsa quorum euentuum causa sit, mõstrat. Nec me læuæ hominum mentes arrogantiæ notent, quòd velut affectata authoritate Tullianis sententiis pugnem: cum aduersus eas si quid videbitur, non nostra, sed ab antiquissimis tractata cõpensem. quòd si nostra quoque diceremus: oporteret tamen eos, non personarũ vetustatem, sed eorum quæ proponuntur, considerare rationem: nec odisse potius quæ aduersus magni nominis viros dicuntur, quàm cõtraria, si possint, argumentatione reuincere. Nam si eis Marcus Tullius in definitione rerum nimiũ placet: quænam est inuidia, nos quoq; Aristotelicã rationem probare? Quòd si intemperanter molestissimi esse pergunt, audiant M. Tullium secundo Tusculanarũ disputationum libro adhortantem potius, atq; ad certamen vocantem hoc modo, Sed tamen tantũ abest vt scribi contra nos nolimus, vt id etiam maxime optemus. Ipsa enim Græciæ philosophia tantum in honore nunquã fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissensionibúsque creuisset. Quãobrem hortor omnes, qui facere id possunt, vt eius quoq; generis laudem iam languẽti Græciæ eripiant, & transferant in hanc Vrbem: sicut reliquas omnes, quæ quidem erant expetendæ, studio atque industria sua maiores nostri trãstulêre. Et rursus nos, qui sequimur probabilia, nec vltrà quàm quod uerisimile occurrit, progredi possumus, & refelli sine pertinacia, & refellere sine iracundia parati sumus. Quocirca quæ mala ratio est, ipsius M. Tullij voluntatem iudiciúmque cõuellere, cũ eiusdem contra nos sententiis, atq; authoritate nitantur? Sed si cui cõmentarios nostros inspicere vacuum fuerit: sciat hæc nos ex Aristotelis secundo physicorum volumine vertisse. quæ tametsi altioris philosophiæ disputationes tangunt: non est tamen studiis inuidendum, si rhetoricis quoque ac dialecticis disputationibus admisceamus quæ sunt profundiora naturæ, neque pigrescere ac delassari animos æquum est, quos intentiores ac vegetos ipsa rerum ambiguitas & variarum cognitio speculationum deberet efficere: cum præsertim ea librorum natura sit, vt ad legendum studiosos teneat, nullum cogat ignauum. Dicamus igitur quid euentus sit fortunæ: vel quarum rerũ fors causa esse dicatur. Omnia igitur fiunt vel immutabiliter, ac semper, vt quòd sol oritur: vel sæpius, vt quòd equus quadrupes nascitur: vel rarò, vt si equus cum quinq; vel tribus pedibus procreetur: vel æquè, vt in quibus faciendarum rerũ nihil interest, quò potius voluntate vergamus. Atque illud quidem quod semper fit, nihil habet oppositiũ, quod vllo modo aliter fiat. Id verò quod sæpe cõtingit, habet aduersum id, quod rarius euenit: neq; enim sæpius fieret, ac nõ semper, nisi diuersum rarò quidẽ, sed aliquando tamen contingeret. Quod igitur ex fortuna fit, in sempiternis non est. Quis enim casu solem dicat oriri? Ne in his quidẽ quæ frequentius fiunt: nullus enim casu equum dixerit esse quadrupedem. Nec verò in iis, quæ fieri æqualiter solent. Nam quæ voluntaria sunt, non videtur esse fortuita. Restat igitur vt in his fortunæ euentus sit, quæ rarius fiunt. Eorum verò quæ fiunt, partim finem aliquem spectant, partim minime. Quis enim finis esse potest, si manum extendam, si genua cõplicem, atq; aliquid iacens humi tollam, quod nullis vsibus applicem? At verò ea quæ aliquem finẽ spectant, partim voluntatis sunt, partim naturæ. Voluntatis, vt siquis idcirco domo egrediatur vt videat amicum. Naturæ, vt quod in animalibus omnia quæ ab ea fiunt, certam animalis respiciunt vtilitatem, atq; ad huius salutem, conseruationémq;, omniũ mẽbrorum momenta sunt constituta. Casum igitur ac fortuitos euentus in his esse ponimus, quæ cum rarius fiant, in iis tamen per accidens eueniant, quæ propter aliud fiunt. Veluti quis egressus domo vt amicum videret, præteriens cadente desuper lapide ictus est. Id igitur quod euenit, in rariore causa ponẽdum: accessit tamen ei causa ex voluntate, quæ certũ respiciebat finem. ea verò fuit domo egrediendi causa, vt amicum videret. Rursus quoniã lapis naturaliter grauis est, grauitas verò terrã petit: casus

quidem lapidis propter aliquid naturaliter factus est. ad id enim lapidis natura tẽdebat, vt in suum locum pondus veniens conquiesceret. Sed huic naturali intẽtioni accidit id, quod rarius euenit, scilicet vt percuteret. quo fit vt sit fortuna, vel casus, causa per accidens rarius euenientium in his rebus, quæ propter aliquid fiũt. Q uæ cum ita sint, cumq; definitio Aristotelica à Tulliana plurimum discrepet: illud tamen in vtrisq; constat, id quod fortunæ subiectum est, incertis casibus semper esse suppositũ. Nã licet in his rebus sæpe fortuna suos experiatur actus, quæ voluntariæ sunt, & ad aliquem finem referuntur: extrà tamen accidit quod fortunæ est, nec ab eo fine venit, quem sibi animus antè præstruxerat. Sed cum Cicero diuisisset causas, in eas quæ perspicuæ sunt, & in eas quæ latent: cumq; eas, quæ perspicuæ sunt, diceret esse quæ appetitionem animi, iudiciumq; tãgerent: manifestum est eũ, vel artem, vel voluntatem, vel perturbationem, vel habitum, in his causis ponere, quæ perspicuæ sunt. Voluntas quippe, atque animi perturbatio in appetitione ponitur. Sæpe enim perturbatione aliquid appetimus: artem verò vel habitum in iudicio. arte nanque iudicamus. habitus verò ad vtrunq; pertinet. nam & voluntates cõsuetas ministrat: & multo vsu, peritiáque fit quædam constãtia iudicandi. Casum in non perspicuis posuit. De natura, incertũ est vtrum inter perspicuas, an inter latentes, ipsam naturam collocet. Nam si inter latentes, ipsam naturam casum videretur putare. Cuius opinionis nulla ratio est. Q uòd si inter perspicuas: quænam appetitio animi, vel iudicium in natura est? Neque enim aliquid appetendo vel iudicando facit natura: nisi fortè quoniam ex ipsa sæpe habilitas quædam mentis & corporis existit, quæ habilitas ad vnamquanque rem adiuuat voluntates (id enim maxime volumus, ad quod habiles sumus) natura inter perspicuas causas ponitur. Q uo modo, iudicio quoque coniuncta est: vt si naturaliter sano quisque iudicio compositus est. appetitioni etiam: si naturaliter aliquid animus petat. His adiungit aliã causarum diuisionem. Ait enim alias causas esse voluntarias, alias ignoratas. Voluntarias eas, quæcunque ex iudicio veniunt animi. Ignoratas, in quibus necessitas domina est, id est in quibus aut omnino non volumus: aut ne si velimus quidem, aliter facere possumus: vt in natura atq; casu. Necessitate enim quadam naturæ grauia deorsum feruntur: necessitate item factum dicimus, vt aliquis ignorans, iacto trans parietem lapide, prætereuntem hominem peremerit. Q uæ necessitas talis est: non quòd aliter fieri non potuisset, nisi vt lapide iacto percuteret: sed quia voluntas defuit: & non idcirco quæ voluit fecit. Prior verò necessitas talis est, in qua vel nulla voluntas est: vel ea est, quæ ne id quod cupit efficiat, validiore necessitate constringitur. Nam cum lapis deorsum propria grauitate deponitur: nulla voluntas est, sed tantum naturæ necessitas. At si homo deorsum cadat, est quidem non cadendi voluntas, sed ferri quò non vult, validior naturæ causa cõpellit. Voluntatem verò à fortuitis euentibus, vno eodémq; aptissimo secreuit exemplo: veluti si telum manu iaciat, nolénsq; feriat prætereuntem. Nam iecisse, ex voluntatis principio nascitur: idcirco enim iecit, quia voluit. Si autem non ignorasset, non percutere potuisset. Vnde etiam machinamentum quoddã atq; defensio in iurisperitorũ responsionibus inuenitur, hoc modo, Si telum manu fugit magis q̃ iecit. Nã si quis cædis accusetur: optima solet esse defensio, si alia nõ suppetit, fugisse manu telum: & magis, q̃ voluisset, iecisse: vt nõ voluntati, quæ condemnatur in culpis, sed ignorãtiæ factum tribuatur. De perturbationibus animorũ paulò confusius iudicium est. Dubitari enim potest ex voluntate, an necessitate, an ex ignoratione venerit quod perturbatione peccatur. videntur enim esse voluntaria peccata, quoniam qui perturbatus est, appetit aliquid, aut fugit. sed in hoc perturbatio eius apparet, quòd non fugienda vitat, & non appetenda nimium exoptat. Porrò autem, quoniam in perturbationibus sunt confusa iudicia (neque enim aliter id quod fugiendum est sæpe appetunt perturbati, nisi obcæcato, obscuratóque iudicio. quod verò fit animi confusione, sæpe tale est vt nollet admisisse qui fecit) euenit vt non inter voluntarias, sed inter ignoratas vel necessarias causas animorum perturbatio sit. In tantum verò qui perturbatus est, à vera discretione discedit, vt in eam vix possit sæpe recta bene consulentiũ admonitione reduci. Q uo fit vt animorũ perturbatio iure à causis voluntariis segregetur, & aut in ignorãtia, aut in necessitate ponatur. Nã quod ait, Tamen habent tãtos motus, vt ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur, ita intelligendum est: quoniam omnis animi passio iudicium turbat. Confundit verò rectam discretionem, si acrior fuerit quàm vt rationis retinaculis temperetur: fit quædam ex perturbationibus veluti violenta necessitas, vt dubium sit vtrum is qui aliquid perturbatus animo facit, ignorans faciat, veluti cùm casu ignorans delinquit, cum futurum nõ prouidet casum: an scies

faciat, sed necessitate ducatur. Quod igitur dixit, aut necessaria esse, aut ignorata, & diuisit à necessariis ignorata: non pugnat contra id quod superius dixit, ea quæ ignorata sunt esse necessaria. Nam id quod est ignoratum, ita quodammodo diuidit, Ignoratorum alia quadã necessitate fiunt: dum aut nulla voluntas est, aut ea quæ est, necessitati nequit obsistere. Alia casu, cum in iis faciendis quæ ignorantur, nulla voluntas est. Quòd igitur dixit perturbationes animi aut in necessariis causis poni, aut in ignoratis: id sine dubio sensisse intelligitur, perturbationes animi aut in iis esse ignoratis, in quibus ea necessitas est vt voluntas obstare non possit: aut in iis in quibus nulla voluntas est, sed sit delictum cæcitate iudicij: velut in iis qui immoderatius amoris cupiditati deseruiũt. aut enim confuso iudicio ab honestate discedunt: & dum quasi bonum appetunt, in malum decidunt ignorantes, atque ita in casu quodam atque errore ponitur amor immodicus. aut nouit quidem, quod appetit, esse vitandum: sed maiori actu cupiditatis impellitur, atque inter ea necessaria ponitur, quæ aut non habent voluntatem, aut eam ita infirmam ac debilem vt nullo modo validioribus passionibus obnitatur.

ANITII MANLII SEVERINI BOËTIJ IN TOPICA M. T. CICERONIS COMMENTARIORUM LIBER VI.

HOre quosdam Patrici Rhetorum peritissime non dubitauerim, qui hũc in Topicis altiorem ex philosophia tractatum varia obtrectatione reprehendant: quia inter logicam disputationem, physicam interposuerit. Ii verò sunt, vel quibus hoc totum philosophari displiceat: vel qui in argumentorum locis naturales admiscere causas oportuisse non existimãt. Sed contra priores quidem & à M. T. & ab ipsa quodammodo humana ratione, quæ in motu posita aliquid semper inquirit, atq; amore scientiæ neque decipi patitur, neq; vllo modo à veritatis ratione traduci: sæpe multúmq; responsum est. Iis verò qui sequestrandas ab oratoria facultate philosophiæ disciplinas putant, respondendũ breuiter existimo. Ratione quidem reperiri quid potest: sed melius atq; facilius artifex faciet, si in opere, construendi artis facilitatem atq; elegantiã comparet. In argumentis quoq; idem esse manifestum est. vt nanq; naturalis ingenij argumenta promuntur. Sed ars facultatem imitata, naturæ viam quandam rationémq; reperit, qua id effici facilius ac melius possit. In qua re illorum necesse est reprehendatur error, qui rhetoricam facultatem, naturalem esse dixerunt. quoniam quilibet totius artis alienus, & intendere in alterũ crimen, & sese purgare solet, & argumento aliquid probare contendere. Reprehendendiq; sunt qui eandem facultatem in sola arte positam esse dixerunt. Oportuit enim eos animaduertere, Omnẽ quidem artem sui materiam effectus ex natura suscipere: sed in ea tamen ratione propria facilitatem elegantiámq; experiri. Hæc itaq; quæ artium ratio perficit, ab imperitis etiam fieri, vtcunque contigerit, possunt: Bene autem ac facilè nemo efficit, nisi artis ratione fuerit instructus. Cùm igitur totius operis hæc sit intentio, vt argumenta quæ confusa & veluti clausa natura suppeditat, artificialiter vestigentur, quid sit per quod efficere id quod promittit, ars valeat, sub exempli ratione demonstrat. vt enim facilius argumenta reperiantur, illa res efficiet, si demonstrentur loci in quibus argumẽta sunt collocata. Etenim vt siquis aliquid quærat, facilius id inuestigare possit atq; inuenire, si locus ei monstretur, vbi sit positũ id quod inquirit: ita etiã cùm quis argumentũ inuenire conatur, si ei locus vbi argumentũ sit positũ declaretur, facilius argumẽtũ q̃d quærit, valeat inuenire. Ita enĩ Aristot. & ita Tullius appellat eas sedes in quib⁹ argumẽta sunt collocata, id est locos, qui ab Aristotele Topica vocati sunt. Sed quoniã de sedibus argumentorũ loquimur, id cuiusmodi sit, paulò altius expediam⁹. locus enĩ nõ vno modo intelligitur. In quibus exponendis posterius quid sit quod dicimus, clarius apparebit. Nunc communiter de tota locorum ratione, deq; argumẽtatione, ac de quæstionibus & propositionibus, earúmq; terminis videtur esse tra

ctandum. Ac primùm, quoniam locus qui tractatur in Topicis, non cuiuslibet rei, sed tantùm locus est argumenti: exposito prius argumenti intellectu, deinceps de loci ratione tractabimus. Definit igitur Tullius argumentum hoc modo, Argumentum est ratio quæ rei dubiæ faciat fidem. Sūpsit igitur rationem vt genus. Omnes enim iniurioſi ſunt, qui orationis virtutem à ſapientiæ ratione ſeiungunt, aliámque eſſe dicendi artem volunt, aliam intelligendi. Nam ſi nihil oratione aliud agimus, niſi interius cogitata vulgamus: quæ malùm ratio eſt, orationis elegantiã à ſententiarum grauitate ſeponere? Quæ porrò ſententiarum grauitas eſſe poteſt, ſine earum rerum, de quibus dicendum eſt, comprehenſione? Quæ verò alia diſciplina naturas proprietatémq; rerum omnium docet, quæ omnino eorum quæ intelligi poſſunt, ſcientiam profitetur: niſi hæc tantùm, ex qua nos pauca præſumpſimus, philoſophia? Quæ longè aliter de his ipſis in proprio ſapientium tractatu diſputare ſolet, neq; ita curſim vt nos: quæ ſi vt in illorum libris ſolet, prolixius diſſerenda ſumpſiſſem, quis ferret inſolentium hominum temeritatem, profectus ſuos culpare volentium, ſi ſtudioſi potius, quàm queruli eſſe mallent? Sed his contentionibus neque antiqua caruit ætas, neq; nos ita delicati ſumus, vt quibus patientia doctiſſimorum hominum ſæpius obſtitit, ferre nolimus, dum & pluribus prodeſſe poſſimus, & ſapientium iudicia conſequamur: ad quem finem hic noſter labor, & totius operis ſumma contendit. Sed hoc hactenus. Nunc ſuſceptæ expoſitionis ordinem perſequamur.

VISORIVS. Omnium autem cauſarum, &c.) Cauſarum omnium aliæ ſunt conſtantes, aliæ inconſtantes. Conſtantes ſunt, quæ ſuum ſemper effectum, niſi fuerint impeditæ, ſortiuntur. Sunt enim inconſtantes illæ quæ variant, & mobiles ſunt. Ars & natura ſub genere priori reponuntur: ſunt enim conſtãtes, vt natura ſuum effectum ſemper niſi aliunde impediatur habet. Dixi, niſi impediatur. nam impedita ſuum euentũ non nanciſcitur: puta cum monſtra parit, materia impeditur. neque enim naturæ finis eſt, vt monſtra pariat, ſed id materiæ vitio contingit. De arte pari modo iudicandum eſt. nam ars naturam imitatur. Ars autem finem ſuum ſemper proſpectat, & ad eum tendit. quòd ſi eo nonnunquam fruſtretur, non arti, ſed materiæ, quæ arte excolitur, tribuendum eſt. Sub genere poſteriore collocantur, voluntas, perturbatio, caſus. nam ſunt omnes mobiles, neque conſtantes, ſed variæ & mutabiles. Boëtius habitum cauſis inconſtantibus ſubiecit, & eam eſſe Ciceronis ſententiam comprobauit: ſed meo ſanè iudicio falſus eſt. Nam Cicero ſub conſtantibus cauſis habitum repoſuit. ſiquidem ars habitus eſt, vt Ariſt. 6. Ethic. definit. Quòd ſi ars habitus ſit, & ſubiiciatur ars conſtantibus cauſis, eiſdem ſubiicietur habitus. At Boëtius forſan dicet, Cicero diuiſione ſuperiori habitũ & artẽ ſeparauit, diuerſáſq; cauſas fecit: nõ igitur per artẽ debet habit⁹ intelligi. Aut cõtrà, ſi intelligatur, ſatis erat eorũ alterũ dixiſſe. Sed ſoluitur: Omnis ars eſt habitus, nõ autẽ omnis habitus eſt ars. Habitus genus eſt artis, ars verò ſpecies. Eſt enĩ ars, rerũ faciendarum habitus & conſuetudo. Cæterum multi ſunt habitus, quos artes vocare non poſſumus: cuiuſmodi ſunt virtutes omnes morales. ergo qui artẽ dixit, eundem dixiſſe habitum neceſſe eſt: atqui Cicero dixit artem cauſam eſſe conſtantem, igitur habitum cauſam eſſe conſtantem voluit, id quod & ratio ſuadet. Eſt enim habitus conſtans affectio, vel ſi mauis, qualitas longa meditatione firmata. Quare non eſt habitus inter eas cauſas collocandus, quæ ſunt inconſtantes Sed tamen earum, &c.) Cauſarum inconſtantium aliæ ſunt perſpicuæ, aliæ latent. Perſpicuæ ſunt, quarum cognitus eſt euentus: latent, quarum exitus eſt obſcurus. Cauſas perſpicuas Cicero definit, quæ à ratione vel iudicio oriuntur. Nam ratio & iudicium nunquam cognitionem relinquit eius rei quam efficere conatur. Latentes cauſas idem deſcribit, quæ fortuitæ ſunt & accidentariæ, quæque præter ſpem & expectationem noſtram eueniũt. i. quæ ſunt cauſæ eorum quæ inſperatò contingunt. Sub cauſis perſpicuis voluntatem comprehendit & perturbationem. Nã perſpicuæ cauſæ ſunt quæ appetitionem animi iudiciúmque tangunt: atqui voluntas & perturbatio ſunt eiuſmodi, ergo cauſæ perſpicuæ ſunt. Nam licet perturbatio iudicium non tangat, appetitionem tamen animi tangit. Eſt enim perturbatio quidã appetitus animi. i. animi cupiditas, vt ira, libido, & cætera id genus. Porrò voluntas cũ ſit rationalis, iudicij particeps eſt. Eadẽ præterea appetitio quædam animi dicitur, quippe quæ definiatur appetitus rationalis. Cæterum quod Boetius ait, procul à ſententia Tulliana abeſt, cum dicat naturam & artem ſub cauſis perſpicuis à Cicerone comprehendi. Nam quòd hoc à veritate funditus alienum ſit, id quod Cicero antè dixit, clarè docet. Inquit enim Cicero, naturam & artem cauſas eſſe conſtantes. Quòd ſi conſtantes ſunt, ſanè non erunt eæ cauſæ, quas Cicero perſpicuas appellat. Perſpicuas enim non eſſe conſtantes affirmat, cum ſic diſtribuit: Sed ea-

rum tamen causarum quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Sunt autem ars & natura constantes causæ, sicut Cicero testatur: eas igitur sub perspicuis non collocat, qui perspicuas sub inconstantibus reponit. Idē de habitu Boetius affirmat: sed illud iam refutauimus. Etiam vt ea quæ fiunt.) Causarum aliæ sunt volūtariæ, aliæ ignoratæ. Voluntariæ sunt causæ rerum earum quas homines consilio & prudentia dirigunt. Sunt ignoratæ causæ, rerum earum quæ necessitate efficiuntur. necessitate quidem, non quòd non fieri non possint, sed quia siue velimus siue nolimus fiant. i. rerum earum quæ non sunt in manu & potestate nostra, vt ignis necessitate accendit, terra necessitate deprimitur: in quibus voluntas nulla est, neque consilium dominatur, sed quia sic à natura sunt effecta, ideo fiunt. Cæterum cum Cicero casum partim ignoratum, partim voluntarium appellat, seipsum paulò pòst interpretatur, cum dicit: Iacere verò, voluntatis est: ferire quem nolueris, fortunæ, id est rei fortuitæ: principium, voluntariū est: exitus verò, ignoratus. vt cum Adrastus telum misit, liberum erat illi mittere vel nō mittere: sed cùm misso telo filium Crœsi interfecit, hoc non proposuerat, sed ignorabat. nam alterius rei causa, non huius, telum miserat, scilicet vt feram transfigeret. Præterea sub causas ignoratas, animi perturbationes cadunt. Nam tametsi sunt voluntariæ aliquando, quippe quæ admonitione & obiurgatione placentur: interim tamen vsque adeò turbulentæ sunt, & tam vehementes & cōcitatos motus habent, vt totum hominem occupēt, & sui iuris efficiant, ita inquam, vt homo neque liberè neque voluntariè operari, sed necessitate agere dicatur, eiusmodi perturbationibus victus. Quo fit vt ignoratæ causæ perturbationes sint. i. nō voluntariæ. Ex quo aries.) Arietem autem pro defensione μεταφορικῶς capit. defenditur autem reus, si quod factum ignorantiæ tribuatur, non voluntati. Non enim tam exitus rerum, quàm consilia hominum legibus vindicari debent, vt pro Milone Cicero testatur. Aries est machina bellica, feriens more arietis: ferrata fronte, & in cornua distincta. vel (vt Vegetius definit) cuius caput ferro vestitur. quæ propterea dicitur aries, quòd durissimam frontē habet, vt quæ subruat muros: aut quia more arietis retrocedit, & cum impetu vehementius ferit, vt apud Virgilium,

Instat vi patria Pyrrhus, nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi, rumpunt aditus, primósque trucidant
Immissi Danai, & latè loca milite complent.

LATOMVS. Omnium autem causarum.) Et hæc diuisio non ad vim, sed ad modum efficiendi pertinet. Nam in his causis inest constantia, quæ semper eodem modo quasi opus suum efficiunt: inconstantia autem, quæ variè. Quæ non sunt constantes.) Vt quæ efficiunt voluntate, perturbatione animi, habitu, casu. Aliæ sunt perspicuæ.) Nempe iis qui agunt, & à quorum sensu proficiscuntur, cæteris ignorari possunt. Etiam ea quæ fiunt.) Diuidit etiam effecta causarum, sed in duo duntaxat genera, vt sint vel ignorata, vel voluntaria. Ignorata, id est, non prouisa, nec destinata à nobis, ac proinde nec voluntaria, vt ea quæ consilij nostri non sunt, sed necessariò eueniunt. Sed ab hac diuisione excipiuntur fortuita, quæ vtriusque generis sunt, & modò voluntaria, modò ignorata: vt quæ in cæteris simplicia sunt, in his duplicia reperiantur. Nam iacere telum, voluntatis est.) Iactus teli voluntarius est, quia ex causa voluntaria & perspicua, sed ictus est fortuitus, hoc est, tum imprudens, tum voluntarius. Nam si percusseris quem volueris, voluntarius est: sin aliter, ignoratus. Ex quo aries ille subiicitur.) Aries ille, id est, fortissima defensio ad oppugnandum iudicem, & liberandum reum: nimirum cum in confessione facti ad imprudentiam & fortunam confugitur. Sumpta est metaphora ab ariete bellico, quo in oppugnandis vrbibus portæ & muri percutiuntur. Sed hodie non est in vsu, cùm in eius locum bombarda successerit. Si telum manu fugit.) Hoc est, elapsum est. Sunt verba iuris. Cadunt in ignorationem.) Soluit dubitationem de perturbationibus animi, quæ quanuis voluntariæ sint, tamen non immeritò ad necessitatem, vel certè ad imprudentiam referuntur, propter impotentiam earum, quæ aut vincunt animum, nisi valde constantes fuerimus: aut impetu quodam consilium eius anteuertunt. Itaque & hæ defensiones in iudiciis proferuntur, Adolescens fecit, Lapsus est, Amaui, Timuit, Iratus fecit: quæ potissimum in deprecādo valere solent. Quòd autem voluntati subiectæ sint, id signi est, quòd obiurgatione & admonitione deiiciuntur, hoc est, comprimuntur.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.







HECENDORPH. Sunt perspicuæ.) id est, Quæ à motu animi vel iudicio proficiscuntur: vt est perturbatio, voluntas, ars, habitus. Hoc ipsum est fortunæ.) Finitio est casus. Est enim casus, euentus causis latentibus effectus. Si telũ manu.) Hoc est, si quis cædis accusatur, optima defensio est dicere, telum quo aliquis occisus sit, magis è manu nostra fugisse, q̃ iactum esse, id est, fortuitò factam à nobis cædem, non ex animo. Vide in §. Iniuria. Institut. de lege Aquilia. At ne is quidem hac lege tenetur, qui casu occidit, si modò culpa eius nulla inueniatur.

COVEANVS. Ex quo aries ille subiicitur in vestris actionibus, Si telum.) Verbis his, Si telum manu fugit, significatur imprudentia emissi teli, quemadmodum scribit Cicero tertio de Oratore: quæ imprudentia, in iudicio de damno iniuria dato, ex lege Aquilia infirmissima, imò verò nulla est defensio. Non video itaque quamobrem aries dicatur. Nam quod dici potest in iudicio publico de sicariis defensionem sanè valere plurimum, id verò mihi non placet: publica enim iudicia actionibus in quibus arietem hunc subiici scribit Cicero, non constituuntur, quemadmodum scribit imperator Tit. de Publicis iudiciis. Cicero quidem secundo de Oratore ea iure defendi scribit, quæ & imprudentia & casu facta dicantur.

COMMENTARIVS. In aliis inest constantia.) Constantes sunt causæ, quæ nisi impediantur suum assequuntur effectum: à quibus sanè certior ducitur argumentatio. at sunt inconstantes, quæ minimè certos habent exitus, vt fortuna. In natura.) Naturã vniuersaliter accipere debemus pro causa omnium rerũ efficiẽte in hoc mũdo. Huic subiicere debemus naturam, de qua prius diximus: deinde habitum naturæ, qui est inclinatio. Perspicuæ.) Perspicuas appellat causas, quæ voluntati aut opinioni nostræ subiiciuntur: quæ autem non subiiciũtur voluntati, eas appellant latentes & occultas. Igitur natura causa est latens, vt & fortuna: sed non est inconstans. Quæ latenter efficitur.) Si EFFICITVR legatur, scribendum est, qui. Nam euentus efficitur, non causa. In quodam scribitur, euentus obscura causa & latente effectus. Cæterùm vt syncera sit definitio Ciceronis, intelligere oportet quod positum est in diuisione, scilicet causam esse inconstãtem.

Etiam ea.) Quemadmodum diuiduntur causæ, ita etiam diuidi possunt euenta. Vt igitur perspicuæ sunt causæ, & latentes: ita etiam perspicua sunt euenta, & latentia, quæ Cicero vocat ignorata, & voluntaria. *Quæ autem fortuna.)* Atqui hoc verum videtur, cùm fortuna cadit in ea quæ propositũ habent, quæ propriè ab Aristotele fortuna vocatur: sed cùm cadit in ea quæ propositio carent, non est verus qui proprie dicitur casus. *Si telum.)* Exceptio est iuris ab imprudentia ducta, cuius meminerunt Iurisconsulti in lege Aquilia. Aiunt enim, siquis imprudens nocuerit, eum legi Aquiliæ non esse obnoxium. *Cadunt in &c.)* Venit in dubium, cui causarum generi perturbationes subiici debeant, cùm tamen ita interdum animum cogant, vt eum ad turpes actiones vel inuitum impellant. Subiiciendæ videntur ignorationi. *Quæ quanquam.)* Non quòd sint in voluntate, quæ perturbationibus caret: sed quòd sint in appetitu, qui voluntati obtemperat.

Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum vel philosophorum magna argumentorum suppetit copia: in vestris autem si non vberior, at fortasse subtilior. Priuata enim iudicia maximarum quidem rerum, in iurisconsultorum mihi videtur esse prudentia. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus, EX FIDE BONA, est additum, plurimus earum vsus est. Vbi verò etiam, VT INTER BONOS BENE AGI OPORTET, in primísque in arbitrio rei vxoriæ, in quo est QVID AEQVIVS MELIVS, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam: illi æquum bonum, illi quid socium socio, quid eum qui negotia aliena curasset, ei cuius ea negotia fuissent, quid eum qui mandasset, cúmve cui mandatum esset, alterum alteri præstare oporteret, quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur diligenter cognitis argumentorum locis, non modò oratoribus & philosophis, sed iuris etiam peritis copiosè de consultationibus suis disputare.

BOETIVS. Diuiso causarum loco atq; ordine suis partibus distributo, de loci eiusdem facultate, quibúsq; vberius, quibus angustius accommodetur, vti sæpe Ciceroni mos est, disserit. Primùm enim, inquit, oratoribus ac philosophis, quorum in disputationibus larga materia est, multa ex causarum loco argumentorum suppetit cœpia. Communis quippe oratoribus ac philosophis hic locus esse perspicitur, qui est à causis: his naturas rerum, quod est philosophiæ proprium: illis, quod oratoriæ facultatis est, facta probantibus. Nam & cùm res quælibet quæritur, eius causæ à philosophis vestigari solent. Quibus præmissis, vt superius dictum est, comitatur statim quod concludendum est: & oratores ad suspicionẽ mouendam detergendámve, factorũ causas requirũt. Hoc quippe stabile in hominum mentibus manet, quòd neq; factum neq; res vlla, præter illam omniũ principem naturam, sinè propriis causis possit existere, quo fit vt vberrimus causarũ vsus sit in rhetorũ orationibus, philosophorúmq; tractatu. Sed vt hunc libellum M. Tullius scribens pleraq; omnia Trebatio dedisse videatur, hunc locum iuris quoq; consultis attributum esse demonstrat, dicens, Etsi nõ tam

vberes opportunitates habeat hic locus in iurisperitorum responsionibus, subtiliuscertè atq; acutius pro ipsius artis natura tractari potest: scilicet vbertatem quæ deerat, subtilitate quæ poterat inesse, compensans. Habent enim etiam ipsi proprium campum in quo eorum virtus possit enitêre. Est enim iurisconsultorum prouincia, priuatarum quæstio causarum: maximeq; in illis negotiis hic causarum locus examinabitur, in quibus bonæ fidei iudicia nectuntur. In his enim qui fuerit animus contrahentium quæri solet: qui deprehendi vix poterit, nisi præcedentibus causis intelligatur. In his igitur iudiciis in quibus additur, vt ex bona fide iudicent: id est, vbi ita iudices dantur, vt non strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quærant: plurimus causarũ vsus est. Additur, vt inter bonos bene agier oportet. considerantur mores, inquiruntur consilia: statuitur quibus quidq; de causis administratum sit. In primisq;, in iudicio vxoriæ rei vberrimus causarum tractatus est. Est autem iudicium vxoriæ rei, quoties post diuortium de dote contentio est. Dos enim licet matrimonio constante in bonis viris sit, est tamen in vxoris iure, & post diuortium velut res vxoria peti potest. Quæ quidem dos interdum his conditionibus dari solebat, Vt si inter virum vxorémq; diuortium contigisset, quod melius æquius esset, apud virum remaneret: reliquum dotis restitueretur vxori. id est, vt quod ex dote iudicatũ fuisset, melius æquius esse, vt apud virum maneret, id vir sibi retineret. quod verò nõ esset melius æquius apud virum manere, id vxor post diuortium reciperet. In quo iudicio nõ tantùm boni natura spectari solet, verùm etiam comparatio bonorũ fit: vt non tam quod bonum, sed quod melius æquiúsq; est, id sequendum sit: quæ omnia ex præcedentibus causis inuestigari solent. Nam si viri culpa diuortium factum est, æquius melius est nihil apud virum manere. Si mulieris est culpa: æquius melius est sextas retineri. In hisq; omnibus peritißimi iurisconsulti esse debent. Quo fit vt Trebatium quoq; hortetur ad studium. Multa enim esse dicit quæ eorũ operam expectant. Illi enim, inquit, dolum malum, illi bonam fidem, illi æquum bonum, illi etiam quid socius socio præstare debeat, quid is qui alienum in se gerendum sponte negotium suscepisset, ei cuius id negotium fuerit: quid is qui mandauerit, ei cui mandauerit suorum negotiorum actiones: quid vir vxori, quid vxor viro, tradiderũt. Quæ omnia ad posteriora causæ sunt, atq; exinde iudicia sumuntur. Idcirco enim, verbi gratia, quodlibet illud iudex pronunciare debet in vxoris ac viri causa, quòd virum hoc præstare decet vxori. idcirco etiam mandator ei, cui mandauerit, obligatus esse iudicandus est, quia inter mandatorem susceptorémque negotij illud est obseruandum. omnia quoque quæ quisque alteri præstare debet, ea in tractandis iudicandísque negotiis causæ sunt. Quocirca rectè concluſit, dicens, Cognitis argumentorum locis, & oratoribus, & philosophis, & iurisconsultis argumentorum copiam non defuturam.

VISORIVS. Toto igitur loco causarum explicato.) Locus à causis, oratoribus & philosophis familiarißimus est. Philosophis quidem, qui duplices sunt, theoretici, & practici: quorum illi naturas & qualitates omnium quæ terra, mari, cælóque fiunt, scrutantur: hi verò de rebus bonis & malis earúmque causis & rationibus disserunt. Oratoribus verò, qui ad suspicionem facti mouendam causas adferunt, quibus facti coniectura colligatur: deinde qui per easdem nonnunquam definiunt: denique qui in iudiciali statu causas & rationes tractant, quibus reum defendant vel opprimant. Ex earum differentia.) Suprà dictum est, multas esse causarum differentias, necessitatem, volũtatem, naturam, perturbationem, habitum, artem & casum. De quibus omnibus tum oratores, tum philosophi disputant. De necessitate quidẽ vtrique: sed philosophi eo in sensu quo necessitatem superius accepimus: vt Necessitas sit causa, quæ sine vlla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione suum quasi opus efficiat, à qua causa omnes propè rerum naturalium motus oriuntur. At oratores eam necessitatẽ sæpius in causam adferunt, quæ sub purgatione continetur. Purgationẽ autẽ voco, cũ reus consultò se feciſſe negat. ea diuiditur in fortunam, imprudẽtiam, & necessitatem. Fortunã, vt Scipio apud Tribunũ plebis de amissione exercitus. Imprudẽtiam, vt ille qui de eo seruo qui dominum occiderat, supplicium sumpsit, cui frater esset antequam tabulas testamenti aperuit, cũ is seruus testamẽto manumissus esset. Necessitatẽ denique, vt ille qui ad diẽ conuocatus non venit, quòd eum aquæ intercluſiſſent. Sic vtrique de voluntate quærunt, & oratores, & philosophi: oratores quidem, qui id de quo quæritur, ab eo factum continuò colligunt, qui reus est: si voluisse facere & potuisse probatum sit. Nam in iis controuersiis in quibus factum necne sit aliquid quæritur, colligi solet, voluerit, deinde potuerítne quis facere id quod arguitur feciſſe. quæ si probata fuerint, facillima est eius quod tertiũ sumi solet, id est, quòd fecerit, probãdi via. Phi

losophi quoque de voluntate disputãt, præcipuè morales, qui virtutum & vitiorum causam voluntati & cõsilio humano tribuunt: nec iniuria. sunt enim virtutes & vitia in manu hominũ posita. Insuper de arte vtrique, & habitu Philosophi quidem, qui artem virtutis intellectualis speciem faciunt: quæ est recta faciendarũ ratio, quiq; virtutes omnes & vitia sub habitu collocant. Sic oratores quoq; de habitu in causis præcipuè coniecturalibus. Nã in quo est habitus alicuius rei, ille ad eãdem procliuis est & propẽsus. Item & oratores & philosophi de perturbatione disputãt. Illi enim causam facti nõ voluntati, sed perturbationi tribuunt. proinde rem sic defendunt, quòd nõ consultò, sed perturbatione aliqua motus fecerit. Hi verò perturbationes virtutũ & vitiorum materiam faciunt. Virtutum quidem, si rationi pareant: cõtrà vitiorum, si rationi dominentur & imperẽt. Denique de casu sæpius vtrique quærunt. Philosophi quidem, vt qui casum inter causas accidentarias reponant. Oratores verò casum purgationis loco adferũt, vt paulò antè dicebamus. In vestris autem.) Apud iurisconsultos causæ materiã & copiam argumentorũ, si nõ vberrimam, at certè subtilissimã suggerunt. Nam cũ sit in iurisconsultorum prudentia positum, de iure & æquo respondere, æquitatem & ius perspicere nõ poterunt, nisi causas rerum earũ, de quibus consuluntur, præviderint. Priuata enim iudicia.) Iudicia apud Romanos, alia priuata erant, alia publica. Priuata causarum erant ciuiliũ, quas Cẽtumuiri iudicabãt: vt de possessionibus, hæreditatibus, testamentis ruptis vel ratis, vsucapione, telis, agnatione, gentilitate, & aliis id genus, quæ inter ciues litem faciunt. Publica verò iudicia, ad decurias iudicum pertinebant, qui proprio & peculiari nomine iudices vocabantur. Sunt autẽ publica iudicia de causis capitalibus, quas vulgo criminales appellant: vt de cæde, veneficio, adulterio, parricidio, furto, sacrilegio. Vide Ciceronem libro primo de Oratore, & Budæum in prioribus Annotat. in Pandectas. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio.) Iurisconsulti olim dicebantur, ad quorum prudentiam & consilium, qui de iure rogabant, confugiebant, illíque omnibus ad se adeuntibus sui copiam in dando consilio faciebant: sicut Cicero libro tertio de Oratore scribit, vbi sub persona Crassi loquens ait, Equidem sæpe audiui de patre, & de socero meo, nostros quoque homines qui excellere sapientiæ gloria vellẽt, omnia quidem quæ tum hæc ciuitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant enim Sextum Ælium, Marcum verò Manlium nos etiam vidimus, transuerso fòro ambulantem: quod erat insigne, eum quid id faceret, facere ciuibus omnibus consilij sui copiam. Ad quos olim & ita ambulantes, & in solio sedentes domi sic adibatur, vt non solùm de iure ciuili ad eos, verumetiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut negotio aut officio referretur. Hæc fuit Publij Crassi illius veteris, hæc Titi Coruncani, hæc Scipionis sapientissimi hominis prudentia, vt ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur, itémque & in senatu, & apud populum, & in causa amicorum, & domi, & militiæ, consilium suum fidémque præstabant. Quemadmodum autem apud antiquos sacerdotes sui singulis diis consecrati erãt, qui de futuris atque agendis consulentibus responsa dabant: sic venerandi illi iurisconsulti omni genere literarum instructissimi, gratuitam, non quæstuariam iuris scientiam habentes, in publicum quotidie prodeuntes, vnicuique ciui consulendos se antiquo instituto præbebant, & tanquam oracula iustitiæ promebant, hoc est responsa boni & æqui plena. Vnde Seruius Sulpitius iuris antistes appellatus est, authore Quintiliano, vt sacrorum antistites antistitæq; dicebantur. De iurisconsultis Iustinianus habet, cum de responsis prudentum loqueretur. Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere. Nam antiquitus constitutum erat, vt essent qui iura publicè interpretarentur, quibus à Cæsare ius respondendi datum est, qui iurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam authoritatem tenebant, vt iudici recedere à responsis eorum non liceret, vt est constitutum. Et patronis diligentibus.) Asconius Pedianus, vt antè dictum est, in Diuinatione Ciceronis ait: Qui alterum in iudicio defendit, aut patronus est, si est orator: aut aduocatus, si ius suggerit, & præsentiam suam commodat amico: aut procurator, si negotium suscipit: aut denique cognitor, si causam præsentis nouit & tuetur vt suam. De patronis nunc agitur, id est, de oratoribus, qui alterum in iudicio defendunt, quibus illis ad prudentiam iurisconsultorum confugientibus, & ab eisdem consilium petentibus defensionum hastæ suppeditantur. Hastas Cicero vocat argumenta defensionis, qua in significatione idem Cicero in Partitionibus hastam vsurpat, cum dicit, Accusator ordinem rerum prosequitur, & singula argumenta quasi hasta in manu collocata vehementer propo-

nit, quòd ita argumenta conuertat, eíſque compungat reum orator, vt in militia hoſtem miles haſta petit. Itaque Cicero bene dixit, iuriſconſultos haſtas patronis miniſtrare: id eſt, ius ſuggerere quo patronus ſeipſum tanquam miles haſta defendat. EX FIDE BONA.) Fides bona pro æquo bono, vel æquitate ſumitur. Eſt autem æquitas, quæ ex iure ſummo multum remittit: vel ſi mauis, æquitas eſt iuris legitimi emendatio, quæ quod in iure durum eſt & intolerabile, mitigat, lenit, caſtigat. Et Cicero libro tertio Officiorum de iudiciis bonæ fidei ſic loquitur, Ita nec vt emat melius nec vt vendat, quicquam ſimulabit aut diſſimulabit vir bonus. Atque iſte dolus malus, etiam legibus erat vindicatus, vt tutela duodecim tabulis, & circunſcriptio adoleſcentum lege latoria, & ſine lege, iudiciis, in quibus ex fide bona agitur. Reliquorum autem iudiciorum hæc verba maximè excellunt: in arbitrio rei vxoriæ Melius æquius: in fiducia, vt inter bonos bene agier. Quid ergo? aut in eo quod melius æquius eſt, poteſt vlla pars ineſſe fraudis? aut cum dicitur, inter bonos bene agier, quicquam agi doloſe aut malitioſe poteſt? VT INTER BONOS &c.) Id eſt, non ſummo iure agendum, neque ad extrema & inimiciſſima iura recurrendum. Nam ſummum ius ſumma iniuria eſt, & ſummum ius ſumma crux, ſummũ ius ſumma malitia. Sed ex æquo bono ſtatuendum eſt, & æqui bonique conſulendum. Hanc ipſam eandem locutionem Cicero 2. epiſt. ad Trebatium vſurpat dicens, Vbi illa formula fiduciarum, inter bonos bene agier oportet? Fiducia inter contractus bonæ fidei reponitur. In arbitrio rei vxoriæ.) Arbitrium rei vxoriæ erat, quoties poſt diuortium de dote contendebatur. ſi culpa viri diuortium factum fuiſſet, æquius melius erat nihil apud virum manere: ſi verò culpa mulieris, ipſa dotem perdebat. Aequum bonum, &c.) Cum æquum bonum dicimus, abſolutam bonitatem æquitatémque, & iuris medullam, germanámque iuſtitiam ſignificamus. inde illa locutio, æqui boni facio, vt apud Ciceronem lib. 7. epiſtolarum ad Atticum: Tranquilliſſimus animus meus, qui totum illud æqui boni facit. Item apud Terentium: Cæterum equidem iſtuc Chreme æqui bonique facio. Inſuper apud Liuium, Cæterum ſi vos nec cura ciuitatis, nec exẽplum, nec periculum mouet, nos æqui bonique facimus: id eſt, non indignamur, æquo animo ferimus, & bene interpretamur. Præterea ab æquo bono hæc formula naſcitur, æquum bonum impetrare, pro eo quod vernacula lingua dicimus, habere rationem ab aliquo: id eſt, ius ſuum obtinere, rem ſuam recipere, vt apud Ciceronem Philippica ſecunda, Igitur à quo viuo nec præſens nec abſens quicquam æqui boni impetrauit, apud mortuum factus eſt gratus. Illi enim dolum malum, &c.) Illi iuriſconſulti, ad quorum prudentiam in petendo conſilio patroni confugiunt. Dolum malum.) qui ſimulatione & diſſimulatione continetur. Fidem bonã.) id eſt ius non acerbum. æquum bonũ.) id eſt, ſummi iuris interpretationem. tradiderunt.) id eſt, miniſtrarũt & ſuggeſſerunt. Inſuper quid ſocius ſocio, quid procurator ei cuius negotia curaret, quid item is cui aliquid mandatum eſſet, ei qui mandaſſet, quid viro fœmina aut contrà præſtare deberet, illi, inquam, ſacroſancti iuris interpretes ſuppeditarunt: in quibus omnibus hoc egregium præceptum ad omnem vitam pertinens eſt, hæc vox plena humanitatis obſeruari debet, vt inter bonos bene agatur, id eſt bonos ex fide debere præſtare, etiam quæ non aperte lingua nuncupata ſint. Eſt enim, vt ait Cicero primo Officiorum, Fides fundamentum iuſtitiæ, quæ eſt dictorum conuentorúmque conſtantia & veritas: quam Stoici ſic appellatam ideo putant, quòd fiat quod dictum eſt.

LATOMVS. Vel oratorum, vel philoſophorum.) Oratorum, vt in coniecturis: philoſophorum, vt in officiorum quæſtionibus, & vitæ præceptis explicandis. Priuata enim iudicia.) Hæc erant priuatarum cauſarum apud centumuiros, quæ ſæpe in nullam certam legem cadebant. Itaq; authoritate & prudentia iuriſperitorum explicabantur, qui conſulebantur à patronis cauſarum, & à iudicibus perſæpe in conſilio adhibebantur. Publica autẽ iudicia ad cauſas publicas pertinebant: vt ambitus, repetundarum, maieſtatis, &c. & primùm agebantur apud Prætorem: deinde vltima actione ad populum deferebantur. Sed in his cùm ferè ſemper lex certa eſſet, quæ pœnã ſtatuebat crimini, minus iuriſperitorum prudentia deſiderabatur. In omnibus igitur iis iudiciis.) Subiungit exempla eorum quæ dicta ſunt. Sanè priuata iudicia varia erant, & formulæ eorum concipiebantur à Prætore pro cauſarum diuerſitate. Erant enim ex his alia bonæ fidei, alia ſtricti iuris: de quibus vide Inſtitut. de Actionibus. In bonæ fidei igitur iudiciis à Prætore addebatur, modò ex fide bona agendũ eſſe, modò inter bonos bene agi oportere, modò (vt in arbitrio rei vxoriæ, vbi de dote poſt diuortium reſtituenda agebatur) quod æquius melius eſſet ſpectandum eſſe.

In quibus omnibus iurisperiti consulebantur, multámque illi disputationum suarum materiam ex loco causarum ducebant. Illi enim dolum malum.) Iurisperiti hæc omnia explicant, quoniam scientia eorũ tradita & constituta sunt. Dolus malus est, cùm aliud agitur, aliud simulatur, fraudandi causa. Fides bona, quæ in omni contractu præstanda est, æquitatis causa, etiam si non sis obligatus. Æquum & bonum intelligitur, quod quanuis lege & more comprehensum non sit, tamen communis vtilitatis causa seruandum est, & id rectum esse iudicatur. Sed his omnibus definiendis, inquit Cicero, iurisperiti præsunt, qui explicant, quatenus ista, quoties in controuersiam veniunt, præstanda sint.

HECENDORPHINVS. Priuata enim iudicia.) Docet quomodo iurisconsulti loco à causis vtantur. Priuata autem iudicia dicũtur, iudicia rerum priuatarum, & quæ aguntur ab hominibus priuatis, ad discrimen publicorum iudiciorum, quorum executio cuiuis ex populo plerunque datur. §. 1. Instit. de iudiciis publicis. Nam & adsunt.) Hoc est, in factis à iurisconsultis sæpe causæ perquiruntur. nimirum an aliquis quid vel consilio, vel fortuitò fecerit. In quibus EX BONA.) Id est, in iudiciis bonæ fidei maximus est causarũ vsus. Porrò iudicia bonæ fidei dicuntur actiones, in quibus maior æquitatis quàm stricti iuris ratio habetur. Nam bona fides in actionibus aliquando pro æquitate vsurpatur, vt indicat glo. vnica, in Rubri. iuris canonici, de Trinit. & fide catho. Porrò actiones bonæ fidei sunt, actio ex empto & vendito, ex locato & conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, & aliæ actiones, quas vide §. Actionum autem. Instit. de Actionibus In primisq; in arbitrio.) Arbitrium rei vxoriæ est, quãdo post diuortiũ de dote cõtrouersia oritur. Cod. de Rei vxoriæ actione. Et dos quanuis matrimonio durãte in bonis viri sit. l. 1. ff. de Iure dotium: est tamen in mulieris iure, & ita à diuortio veluti res vxoria peti potest. l. 1. Cod. Quemadmodum dos pet. sol. mat. Et olim dos ea lege dari solebat, vt si inter virum & vxorem diuortium intercederet, quod melius æquiúsque esset, vt hic inquit Cicero, viro relinqueretur, & quod reliquum dotis esset, vxori redderetur. quæ omnia ex causæ antecedentibus perpendi solent. Siquidem si culpa viri diuortium contingit, æquius melius est apud virum nihil dotis relinqui. l. Consensu. Cod. de Repudiis. Quòd si culpa mulieris diuortium fit, æquius melius est sextantẽ apud mulierem remanere, vel, vt ius Codicis sancit, mulier dotem perdet. l. Consensu. C. vt suprà. Quid eum qui mandasset.) Sensus omnium istorum est, veluti in actione rei vxoriæ spectantur causæ: ita quoque in aliis actionibus bonæ fidei, vt in actione pro socio, actione negotiorum gestorum, actione mandati.

COVEANVS. Priuata enim iudicia.) Priuata iudicia de re priuata sunt & familiari: ad quæ is accedit, cuius interest: quæ interdum rerũ sunt maximarum: qualia sunt iudicia centumuiralia, quæ in iure semper posita sunt, quæ non tam oratorem, quàm iurisconsultum desiderãt: itaque & sæpe causas agunt priuatas, & à iudice rei priuatæ in consilio adhibentur, & patronos diligenter instruunt. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus ex fide bona.) Actionum quædã bonæ fidei sunt, quædam stricti iuris. Bonæ fidei sunt hæ, ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitiæ familiæ herciscũdæ, communi diuidundo, rei vxoriæ, quæ postea ex stipulatu facta est, fiduciæ. In quibus omnibus iudiciis libera potestas permitti videtur iudici, ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. In quo & illud continetur, vt si quid inuicem præstare actorem oporteat, eo compensato, in reliquum is cum quo actum est, debeat condemnari: quemadmodum in contractibus bonæ fidei, ex quibus actiones bonæ fidei oriuntur, alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex æquo & bono præstare oportet, non de eo solùm quod cautum est. Quanquã igitur omnia ea iudicia quæ enumerauimus, bonæ fidei sint, in omnibúsque illud, EX BONA FIDE, addatur: duo tamen excellunt, fiduciæ, & rei vxoriæ: in illo enim illud etiam additur, VT INTER BONOS BENE AGI: in arbitrio rei vxoriæ, quod est de repetitione dotis soluto matrimonio, illud, QVID AEQVIVS MELIVS. Illi quid socium socio.) Vlpianus ff. de Reg. iuris sic scribit, Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. Dolum tantum, depositum, & precarium. Dolum & culpam: mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia gesta: in his quidem & diligentia. Sed & societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. Sed hoc ita, nisi quid nominatim conuenit, vel plus vel minus in singulis cõtractibus: nam hoc seruabitur,

quod ab initio conuenit (legem enim contractui dedit) excepto eo, quod Celsus putat non valere, si conuenerit ne dolus præstetur. hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est: & ita vtimur. Is igitur cum quo aut bonorum vniuersorum, aut partis societatem iniui, & dolum & culpam præstat. Is qui aliena negotia iniussu domini curauit (qui negotiorum gestor, non procurator dicitur) & fidem, & summam præstat diligentiam ei cuius ea negotia fuissent. Is item qui sua causa mandauit, & is qui mandatum recepit, alter alteri & dolum & culpam præstat. Vir item & vxor alter alteri illud idem præstat: ita tamen, vt de dolo agere alter in alterum non possint, quòd ea actio infamis sit, neque conueniat charitati coniugali: possint tamen excipere.

COMMENTARIVS. Toto igitur.) Quoniam à philosophis tum naturalibus tum moralibus, præterea ab oratoribus in coniecturis maximè tractantur causæ, suspicari potuit Trebatius hunc locum non esse iurisconsultorum: Igitur Cicero exempla suppeditat, quibus in causis vtuntur iurisconsulti. *Priuata enim.)* Iudicia priuata de rebus sunt priuatis inter ciues, de quibus sæpenumero consulebantur iurisconsulti: eorumque tanta erat authoritas, vt valeret in iudicio sententia. In iudicijs publicis rarò locum habent iurisconsulti, semper oratores, quia cum fiant secundum leges publicas, magna ex parte coniecturam habent, quam non tractat iurisconsultus. *Nam & adsunt.)* Iurisconsulti interdum causas defendere solent, interdum in consilio iudicum solent sedere, persæpe subministrant ius patronis & oratoribus, vt apud Græcos oratoribus ius suggerebant pragmatici. author Fabius. *Fide bona.)* Iudicia bonæ fidei sunt, quæ non instituuntur secundum austeritatem iuris, sed clementiam & æquitatem, quam colligere sæpenumero solemus à causis. sunt etiã contractus bonæ fidei, quos enumerat Cicero lib. 3. Officiorum. *Inter bonos &c.)* Formula hæc est fiduciæ, qua significamus amouendum esse dolum & fraudem. Cicero in epistola quadam ad Trebatium: Vbi porrò erit formula illa fiduciæ, vt inter bonos bene agier oportet? quod interpretatur tertio Officiorum, sine fraudatione. *Fidem bonam.)* Fides bona est sinceritas quædam & æquitas in contractibus, quam præstare debemus interdum, atque ea non obligamur ciuiliter. *Socium socio.)* Socius est, qui cum alio communem negotiationem vel omnium rerum vel alicuius rei instituit. Hinc apud iurisconsultos titulus est, pro socio. *Qui negotia &c.)* Sic describitur procurator à iurisconsultis libro tertio Digestorum, qui aliena negotia mandato domini administrat. *Qui mandasset.)* Est apud iurisconsultos actio quoque mandati, cum scilicet rogauit te vt negotium aliquod meum curares, idq; recepisti te facturum. *De consultationibus.)* Id est, de his rebus de quibus consuluntur, quæ sunt vt proposita apud philosophos: Ideóque Cicero thesin vertit consultationem, vsus verbo iurisconsultorum. Sunt autem cõsultationes iurisconsultorum vniuersales, vt docet Cicero, in statu negotiali.

Coniunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur ex causis. Vt enim causa quid sit effectum indicat: sic & quod effectum est, quæ fuerit causa demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus & poëtis, sæpe etiam philosophis, sed iis qui ornatè & copiosè loqui possunt, mirabilem copiam dicendi: cum denunciant quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio, cognitionem euentorum facit.

BOETIVS. Omnia quæ ad se referuntur, rectè dicuntur esse coniuncta: ipsa enim relatio rerum efficit coniunctionem. Quòd si causa, alicuius causa est, non alterius, nisi sui effectus est causa. Itémque si est aliquis effectus, ex causarum principiis venit. Iure igitur ab effectis locus, causarum loco debet esse coniunctus. Quoniam verò semper, quæ ad se referuntur, æquantur: necesse est quæ vbertas sit causarum, eadem quoque sit effectorum. Quoniam enim causa præter effectũ esse non potest, cum sit causa semper effectuum: necesse est vt ex euentibus quoque atq; effectibus plurima argumenta suppetant. siquidem ex causis etiam plurima contrahuntur. nam sicut cuiuslibet

effectus potest causa tractari, sic ex qualibet causa potest qui sit euentus ostendi. Rectéque ait, Causarũ cognitio, euentorum cognitionẽ facit. Vt enim in prædicamentis ostenditur, sciri relatiuum aliquod non potest præter reliqui scientiam relatiui.

VISORIVS. Coniunctus.) De causis dictum est, nunc de euentis dicendum est. Sunt autem euenta, quæ vi & impulsu causarum eueniunt. Rodolphus ea duplicia facit, destinata & effecta. vt sint effecta, quæ ab efficientibus causis eueniunt: destinata verò, quæ ad certum finem referuntur. vt domus est effectus ædificantis, & calceus pariter effectus calcearij sutoris, sed calceus & domus destinata quoque dici possunt. nã sicut domus habitationis causa fit, ita calceus ad tutandos pedes à frigore vel æstu immodico destinatur. Verùm Cicero destinatorum non meminit inter euenta, quemadmodum neque finium inter causas. Sed sicut finem ad efficientem causam, sic destinata ad effecta redegit: nec iniuria. sicut enim idem efficiens & finis esse potest, sic destinatum & effectus in idem competere possunt: vt exemplo superiore constat, quo domum & calceum destinata simul & effecta probauimus esse. Coniunctus est autem cum causis euẽtorum locus. Vnde fit, vt causas & euenta Rodolphus vno nomine cognata vocet, quòd altera alteris nascendi proueniendique origine cõiuncta sint, aut (vt ait Cicero) quia quemadmodum causa quid effectum sit indicat, sic quod effectum est, causam demonstrat. Quia ergo vterque locus cum altero cõiunctus est, idem argumentum ab vtroque depromi potest: vt si auaritiam tollere vultis, mater eius tollenda est luxuries. Hic locus suppeditare solet.) Cum de causis loqueremur, ostendimus locum causarum oratoribus & philosophis familiarissimũ esse. Nunc addit Tullius effecta philosophis & oratoribus & poetis imprimis conuenire: necnon mirabilẽ dicendi copiam eisdem suppeditare. Neque immeritò dixit. Si enim oratorum est & philosophorum de causis disputare, eorundem quoque erit de effectis disserere. nam causarum cognitio euẽtorum cognitionem facit. Et sicut ex causis effecta, sic ex effectis causas colligere possunt. Sed iis qui ornatè & copiosè loqui possunt.) Signanter dixit, qui ornatè loqui possunt, de philosophis intelligens. Nam pauci vel potius nulli ab Vrbe cõdita ad seculum vsque Ciceronis, Latini philosophi ornatè locuti sunt, vt lib. 1. Quæst. Tuscu. testatur, vbi inquit, quemadmodum iam antè citauimus: Philosophia latuit vsque ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen literarum latinarũ, quæ excitanda & illustranda nobis est, vt si occupati profuimus aliquid ciuibus nostris, prosimus etiam, si possimus, otiosi. in quo eò magis est elaborandum nobis, quòd multi iam esse Latini libri dicuntur scripti inconsideratè, ab optimis illis quidem viris. sed non satis eruditis. Fieri autem potest, vt rectè quis sentiat, & id quod sentit politè eloqui non possit. Sed mandare quenquam literis suas cogitationes, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutẽtis & otio, & literis. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit præter eos qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriæ laudi nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus, è quibus etiam illa manabant. Sed non solùm ad ætatem Ciceronis vsque, latina philosophia latuit, verùm etiam hodie latet. nec latinorum philosophorũ quenquam habemus præter Ciceronem, qui dignus sit vt legatur: nisi Senecã, Apuleium, & Boetium, latinos esse philosophos dicimus. sed totam Senecæ dictionẽ Quintilianus & Cellius notant: Apuleiũ nimia affectatio vitiosum facit. Deniq; Boetius, si Laurentio credendum est, de lingua Latina malè meritus censetur: cuius proprietatem nõ animaduertens, ad græcissandum nos inducit. Cæterum eorũ qui hodie philosophiam tractant, quotus quisque latinus est? Sanè quemadmodũ Philoxenus Eryxidis filius, & Cnato Siculus, gulæ proceres, imò verò extremi perditiq; gulones, conuiuiis adhibiti, emungere se in pultariis solebant, vt abstinẽtibus cæteris, soli epulis ampliter fruerentur: ita hodierni philosophi vocabulis sordidis, & ex infima plebei sermonis fæce acceptis, fœdãt & contaminant omnia, vt bonis mentibus & præclaris ingeniis inde auersis, soli ipsi rerum potiantur, ac citra æmulum regnent.

LATOMVS. Oratoribus & poetis.) Vt Cic. pro Milone denũciat, quò furor Clodij euasurus fuerit, si homo seditiosus ad præturam & consulatum peruenisset. Et Æneas apud Vergiliũ quantas clades illaturus Latinis & Turno sit, postquam arma Vulcania à matre acceperit. quæ denunciationes euentorum ex causis fiunt.

HEGENDORPH. Quid ex quaque re futurum.) Vt si orator dicat quid vel ex pace, vel ex bello efficiatur.

COVEANVS. Vt enim causa.) Causa quid effectum sit indicat, si modò necessaria est: nec id quod est effectum, causam indicat nisi necessariam.

COMMENTARIVS. Coniunctus.) Breuiter tractat effectum, propterea quòd eodem modo diuidi potest, vt diuisa est causa: & cognita causarum ratione, satis intelligitur ratio euentorum. Sed iis qui &c.) Id ait propter Stoicos, Epicureósque, qui negligebant ornamenta dicendi & copiam. At verò Peripatetici & Academici omnium erant copiosissimi.

Reliquus est comparationis locus, cuius genus & exemplum suprà positum est, vt cæterorum: nunc explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res reliquas affectio. Numero sic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur: pauciora mala, malis pluribus: diuturniora bona, breuioribus: longè & latè peruagata, angustis, ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur & faciant. Specie autem comparantur, vt anteponantur quæ propter se expetenda sunt, iis quæ propter aliud: & vt innata atque insita, assumptis & aduentitiis: integra, contaminatis: iucunda, minus iucundis: honesta, ipsis etiam vtilibus: procliuia, laborioſis: necessaria, non necessariis: sua, alienis: rara, vulgaribus: desiderabilia, iis quibus facilè carere possis: perfecta, inchoatis: tota, partibus: ratione vtentia, rationis expertibus: voluntaria, necessariis: animata inanimatis: naturalia non naturalibus: artificiosa, non artificiosis. Vis autem in comparatione sic cernitur. Efficiens causa grauior, quàm non efficiens: quæ seipsis contenta sunt, meliora, quàm quæ egent aliis: quæ in nostra, quàm quæ in aliorum potestate sunt: stabilia, incertis: quæ eripi non possunt, iis quæ possunt. Affectio autem ad res aliquas est huiusmodi: Principum commoda maiora, quàm reliquorum: itémque quæ iucundiora, quę pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque vt hæc in comparatione meliora, sic deteriora quæ iis sunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec submissionem: est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparantur, quæ ita ferè concluduntur: Si consilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum est, pari gloria debent esse ij qui consulunt, & ij qui defendunt. at quod primum, est: quod sequitur igitur.

Loci cõparationis, & tractatio maioris & minoris.

A numero.

A specie.

A vi.

Ab affectione.

Parium comparatio.

BOETIVS. Omnis comparatio duplex est. aut enim æqualia sibimet comparantur, aut inæqualia. Sed in his quæ sunt æqualia, semper eadẽ esse notatur æqualitas. Inæqualia autem, in gemina veluti membra diuiduntur, minoris scilicet atque maioris. Nam quod minus est, non per se minus est, sed comparatione maioris. Itémque quod maius est, minoris comparatione dicitur maius. Quæ cùm ita sint, diuidit atque ante oculos ponit omnium comparationum modos. & quod rarò in superioribus locis fecit, ipsas maximas propositiones ponit in comparationibus constitutas. Vt si quando loco sit nobis comparationis vtendum, habeamus quoddam velut inuentionis exemplar, ad quod quærentem animum possimus aduertere. Omnis igitur comparatio aut in numero constat, aut in specie, aut in vi, aut in aliqua locata extrinsecus affectione. Nam quodcunque conferre contendimus, aut numero comparamus, & secundũ id, aliud maius, aliud minus esse decernimus. aut speciem ipsam intuentes, eámque alij comparantes, de excellentia iudicium damus. aut illud consideramus, quid res quæque possit efficere, & in quantum eius possit progredi natura: aut ex aliorũ quodammodo continentia, & ex circunstantium affectione rem quam alij conferimus, intuemur. Numero igitur quæ comparantur, si ex eodem sint genere, plura paucioribus anteponũtur: velut si bona omnia sint æqualia, iure quisquam plura bona paucioribus anteponit. Et hæc est maxima propositio, Plura bona paucioribus anteponũtur. & in cæteris quoq; eadem ratio perspicitur maximarum propositionum. At si omnia in contrario sint genere, pluralitati paucitas præferẽda est, vt pauca mala pluribus malis: mala verò ipsa bonis nullo modo cõferuntur. Quæ enim vllo modo compensantur, in eodem esse genere debent, nõ in contrario. Nam cùm aduersus se cõtraria, & è regione locata sint, conferri cõparariq; nõ possunt: quia sibi esse intelligũtur inimica. Est etiam secundũ numerum comparatio in temporis quoq; ratione. Nã cùm tempus certis quibusdam spatiis diuidatur, velut horæ, diei, mensis, atq; anni: ex æqualibus bonis ea magis eligẽda sunt quæ diuturnius perseuerant. quod in numero positum esse, nullus ignorat. Ipsa enim diuturnitas, plurimos esse vel dies, vel menses, vel annos fatetur, quibus duret id quod eligitur. Longè enim peruagata bona angustis, & in vnum minimũ locum coarctatis numeri cõparatione præcedũt. Nam quæ longè lateq; peruagata sunt, ea in plurimas gentes regionésq; diffusa sunt: pluralitas verò, cuiuslibet rei numerum spectat. Iam verò ex quibus plura propagantur bona, quis nõ iudicet esse meliora his quorum est inops bonorum contractiórque fœcunditas? Quis etiam bonum, quod plures imitentur, & faciant, cæteris, quæ ita non sint, excellere non arbitretur? quod in numero constare quis nesciat, quando in numero pluralitas constat? Specie verò comparãtur, quæ per se ipsa considerata, suæ quodammodo pulchritudinis merito cæteris anteferuntur. Meliora enim sunt quæ per se, quàm quæ propter aliud expetuntur. veluti salus, quæ per se expetitur: medicina, propter salutẽ. quocirca melior est salus, quàm medicina. atque hæc non ad aliquem numerum, non postremò ad aliquam quãtitatem, sed ad ipsam speciem salutis ac medicinæ considerationem referentes, iudicium promimus. Illa quoque quæ innata atque insita sunt, assumptis & aduentitiis meliora iudicantur. Vnde innata moribus grauitas, longè plus excellit ea quæ per imitationem affectatur. Integra etiam potius, quàm contaminata melioris iudicium ferunt. Nam quæ integra sunt, suam speciem seruant: quæ contaminata sunt, atque ex aliqua parte vitiata, si qua etiam inerat, speciei pulchritudinem perdiderunt. Iucunda minus iucundis meliora communis omnium animalium natura diiudicat. honesta vtilibus sapientes anteponunt, procliuia laboriosis anteferri illa res monstrat, quòd nemo ad eundem finem per laboriosam atque asperam viam tendere cupiat, ad quem possit procliui, facilique itinere peruenire: Labor quippe omnis iucundus est, iucunda est facilitas. Necessaria etiam non necessariis partim præferri, partim etiam postponi debent. Quod M. Tullius tacuit. Necessaria quippe præferuntur iis non necessariis quæ non boni ratione, sed voluptatis appetitione sunt constituta. veluti luxu regio parata conuiuia nullus sapiens iudicet esse meliora his quæ naturæ expleant indigentiam. Quædã verò sunt quæ ipsa specie boni, cũ non necessaria sint, meliora sunt necessariis. Nam viuere necessarium est, & sine eo subsistere animal nequit: philosophari verò non est necessarium: melius tamen longéq; excellentius est philosophum viuere, quàm tantùm viuere: illud enim rarò paucísque meliora esse dicuntur: veluti hominibus ratio potius, quàm voluptatis appetitio. illud enim proprium est hominis, illud alienum. Rara quoque vulgaribus meliora sunt. atque hic locus approbat id, quod superius dictum est, philosophantem vitam ipsa vita esse meliorem. Nam quæ rara sunt,

facile id quod vulgare est antecedunt. Desiderabilia etiam iis quibus facile carere possis, illa res approbat esse meliora, quòd maximè desiderantur, & sine his anxia vita est. veluti si quis capillis visum conferat: ægrius enim toleramus carere visu, quàm capillis. Itaq; ex hoc meliorem esse visum capillis iudicamus, quòd his facilè, illo æquo animo carere non possumus. Perfecta etiam imperfectis naturaliter excellunt: illa enim suam formam adepta sunt, illa minimé. Tota etiam partibus eodem modo excellentiora esse arbitramur. Nam quod totum est, habet natura propriam formam. quod verò pars est, & ad totius nititur perfectionem, nondum suæ pulchritudinis speciem cepit, nisi ad totius integritatem referatur. Iam verò ratione vtëtia rationis expertibus nullus dubitat esse meliora. Voluntaria quoque necessariis iure anteponuntur. Nam quæ voluntaria sunt, libera sunt: quæ necessaria, quodam nos veluti dominio necessitatis astringunt, atque ideo meliora esse voluntaria necessariis existimamus. Quanquam in hoc etiam illud intelligi possit, quod à nobis superius dictum est, non necessaria sæpe necessariis anteponi. quandoquidem ea quæ voluntaria sunt, non sunt necessaria. voluntaria verò meliora sunt necessariis. non necessaria igitur sæpe necessariis excellunt. Animata quoque inanimatis, ipsius animi vegetatione considerata, anteponenda esse ratio persuadet. Naturalia etiam nõ naturalibus, & artificiosa inartificiosis. Optimúsq; hic gradus est, vt naturam arti, artem præferas inertiæ. ars quippe imitatur naturam. Quo fit, vt id, quod in se retinet pulchri, ex natura veniat, cuius imitari speciem cupit. longè verò postrema sunt, quæ cùm artificio careant, non à specie solùm naturæ, verum etiam ab imitatione discedunt. Atque hæc quidem de specie in comparationibus considerantur. Vis autem in eo consistit, in quo consideratur, quid vnaquæque res possit efficere. nam quod quæque res potest, ea vis eius rectissimè dicitur. Efficiens igitur causa grauiorem vim habet, q̃ ea quæ nihil efficit: velut artifex melior est quàm materia, illa quippe stolida est atque immota, nec aliquid efficiens, nisi formam ab artifice, id est ab efficiente causa susceperit. Item quæ seipsis contenta sunt, meliora esse iis videntur quæ egent aliis, veluti omnium Deus optimus est, quia nullo indiget, & ipso cuncta sunt indiga. Item quæ in nostra sunt potestate, magis eligenda sunt, quàm quæ in aliena manu posita facilè labuntur: quo fit vt sit virtus melior quàm diuitiæ. nam virtus est in nostra potestate: diuitiarum fortuna domina est. Iam verò stabilia incertis: quæ eripi non possunt, iis quæ possunt, si tamẽ bona sunt, quis non intelligat esse meliora? Quorum tamen locorum pars contraria contrarium tenet: inspectis quippe his quæ meliora sunt, si horum aduersa videamus, deteriora sunt. Restat in affectione posita Comparatio, quæ ita tractatur vt non per semetipsam res quælibet alij conferatur, sed ex alterius cuiuslibet consideratione pensetur: velut in tribus quibusdam rebus, si duæ ad se inuicem comparentur, eò quòd ad tertiam plus minúsve iungantur. Sint enim duo quædam humanis rebus accommodata: quarum vna principibus atque etiam ipsi Reipublicæ accommodatior est. Hic igitur iudicabimus eam rem esse meliorem quæ melioribus prodest, id est aut Reipublicæ vel principibus, non considerantes vt sese res habeat: sed quantum Reipublicæ vel principibus adiuncta sit. Hæc igitur res ex affectione est comparata, melióque iudicatur id quod principibus commodum est, quàm id quod aliquibus priuatis: quoniam principes reliquorum etiam continent statum. Eodem modo quæ sequuntur: vt quæ iucũdiora pluribus, quæ clariora inter multos, quæ pluribus cõprobata sunt, meliora ducantur. Nam etiam si minus ipsa huius naturæ sint, affectione tamen, vt dictum est, eorum quibus vel iucundiora, vel inter quos clariora sunt, aut à quibus probantur, meliora existimanda sunt. Sed quanquam id quod à pluribus bonum ducitur, superius in ea comparationis parte posuerit, in qua fiebat secundum numerum comparatio: nihil tamen impedit eundem locum secundum aliam & aliam considerationem diuersis generibus subdi. velut ala auis cùm substantia sit, eadem tamen ad aliquid esse intelligitur, si ad alatum consideretur. Illa quoq; ex affectione videntur esse meliora, quæ ab eo laudata sunt, contra quem dialectica ratione vel rhetorica facultate disseritur. Nam vt reuincere aduersarium possis, sat est si eum tibi consensisse monstraueris: atque id aliquando velut optimum prædicasse, quod tu melius re proposita monstrare contendas. Dictis igitur omnibus meliorum locis, his oppositi quæ deteriora sunt continebunt. Parium verò nulla discretio est: Neque enim quod par est, aut intentionem sumere, aut remissionem potest. Quibus autem inter se maiora minoraq; penduntur, iisdem inter se paria conferuntur. Nam quæ vel numero, vel specie, vel vi, vel affectione fuerint æqua, paria esse dicuntur. Commune autem cunctorum exemplum est quod Cicero in æqualitate constituit: quæ æqualitas in cunctis paribus æqua est: sed vel nu

mero, vel ſpecie, vel vi, vel affectione paria ſunt. Nam in eorum comparatione quæ maiora vel minora ſunt, vna quædam qualitas eſt: ſed horum acceſſione variantur. Nam quibus in eadē qualitate eſt maior numerus, pulchrior ſpecies, efficaciórque vis, ad precioſiora cōiunctior affectio: ea meliora eſſe exiſtimabūtur. Quæ ſi æqua fuerint, in eadem qualitate paria ſunt. Exēplum verò quod poſuit, ad eblandiendum Trebatij animum valet, cum propriam, id eſt oratoriam facultatem, cum iuriſperitorum laude coniungit, hoc modo, Si conſilio iuuare ciues, quod iuriſperitorum eſt: & auxilio, quod oratorum eſt, æqua in laude ponendum eſt: pari gloria debent eſſe hi qui conſulunt, id eſt periti iuris: & hi qui defendunt, id eſt oratores. At quod primum, eſt: id eſt, conſilio autem iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt. Quod ſequitur igitur, id eſt infertur. Ea verò cōcluſio eſt per quam dicimus, Hi igitur qui conſulunt, & hi qui defendunt, pari gloria eſſe debent. Hoc autem breuiter dialecticorū more protulit, qui ſic enunciant, Si dies eſt, lucet. At quod primum, eſt: id autem tantundem eſt, ac ſi dicatur, Atqui dies eſt. In propoſitione enim quæ eſt, Si dies eſt, lux eſt: prior eſt propoſitio, dies eſt. Concludunt, quod ſequitur igitur, id eſt eſſe lucem. Id enim in prima parte propoſitionis, quæ erat, Si dies eſt, ſequebatur. Igitur hic quoque Cicero ſic protulit, At quod primum, eſt: id eſt conſilio & auxilio iuuare ciues æqua in laude eſſe ponendum. id enim erat primum in ea propoſitione quæ dicebat, Si conſilio & auxilio ciues iuuare, æqua in laude poneretur: pari gloria eſſe oratores iuriſque conſultos. Quod ſequitur igitur, id eſt, pari gloria debent eſſe qui conſulunt ac defendunt. id enim erat conſequens in ea propoſitione quæ ſtatuebat, Si conſilio & auxilio ciues iuuare par eſſet, pares eſſe qui conſulunt ac defendunt.

VISORIVS. Reliquus eſt comparationis locus.) Ex locis affectis ſolus ille ſupereſt explicandus, qui à cōparatione vocatur: de quo Cicero ſuprà in genere, quemadmodum de cæteris, locutus eſt, eiúſque exemplum ſicut aliorum è iure ciuili deſumptum poſuit. Nunc verò comparationis vſum & tractationem explicat. Eſt autem cōparatio maiorum cum minoribus, minorum cum maioribus, parium cum paribus collatio. Vel (vt Quintilianus ait) Comparata ſunt, quæ maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Minus ex maiore hoc modo probatur: Fas eſt adulterum occidere, loris igitur cædere licet. Contrà, maius ex minore ſic: Si furem nocturnum licet occidere, quid latronem? Ex pari denique: Hoſtius qui patrem occidit, in culeo cum gallo gallinaceo, ſerpente, & ſimia, in profluētem aquæ proiectus eſt: igitur Nero qui matrem occidit, pari pœna debuit affici. Nam pœna quæ aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus interfectorem matris iuſta eſt, cum ſit vterque parens: & qui vtrumlibet occidit, parricida vocetur. Itaque Nero quòd parricida fuerit, parricidæ ſupplicio dignus fuit. Iuuenalis octaua Satyra ſcribit,

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, nec ſerpens vnus, nec culeus vnus.
Par Agamemnonidæ crimen, ſed cauſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille deis authoribus vltor
Patris erat cæſi media inter pocula, ſed nec
Electræ iugulo ſe polluit, aut Spartani
Sanguine coniugij, nullis aconita propinquis
Miſcuit, in ſcena nunquam cantauit Oreſtes,
Troica non ſcripſit. quid enim Virginius armis
Debuit vlciſci magis, aut cum vindice Galba?
Quid Nero tam ſæua crudáque tyrannide fecit?
Hæc opera atque hæ ſunt generoſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Graiéq; apium meruiſſe coronæ.

Rodolphus Agricola comparationem aliter atque à nobis definita eſt deſcripſit, iis verbis. Comparatio eſt duorū in vno tertio collatio: vt Pallas potuit ſuos inimicos vlciſci: ergo Iuno ſuos vlciſci poterit. Et licuit Didoni externa regna petere, igitur Æneæ licebit. Deinde Naſica facinoroſum ciuē iure occidit: ergo Cicero ciuem facinoroſum iure occidet. In his omnibus probationibus duæ

conferuntur in vno tertio, quod vtrisque conuenit. Sed illæso nomine Rodolphi dixerim, comparatio non semper est duorum, neque in vno tertio semper fit. Quòd autem duorum non semper sit, ex Cicerone satis apparet, qui plura vni, vnum pluribus, plura pluribus, vnum vni comparat. Quòd si vnum vni non semper conferatur, aliquando duorum non est comparatio. Deinde non in vno tertio semper fieri sic ostenditur, vel ex ipsius Rodolphi exemplis, qui cap. de Comparatione hanc esse comparationem dicit, Inquit Crassus orator Philippo consuli, Ego te meum consulem putabo, qui me tuum Senatorem non putas? Hæc est inquam, authore Rodolpho, comparatio: in qua duo conferuntur, Philippus & Crassus: sed an in vno tertio, viderit Rodolphus. Sanè nemo nescit, consulem & senatorem res esse diuersas, quare non semper in vno tertio cõparatio fit. Idem Agrico. cõparationem à similitudine hoc discrimine separat, q̃ illa in vno tertio fiat, hæc in duobus: vt sit similitudo, duorũ in duobus collatio. Sed quemadmodũ ostendimus comparationem non semper in vno tertio fieri: sic ostendendum est, non in duobus semper similitudinem fieri, sed aliquando in vno, quod exemplo Rodolphi probari potest. Similitudo est hæc, vt ait: Sicut in fistula nihil præter collum laudandum est, ita in Demosthene præter collum nihil laudandũ esse dicebat Æschines. Quia si fistulæ collum demas, reliquum est inutile: eodem modo, Demosthenes omnem fiduciam in oratione reponebat. At in hac similitudine duo non in duobus, sed in vno conferũtur: vt Demosthenes & tibia duo sunt, quæ conferuntur in vno, nempe in laude colli. Verbi gratia: similitudo est, Quemadmodũ vasa inania tinniunt, plena nullum vel exiguum sonum emittunt: ita imperitissimi sunt loquaces, sapientes verò pauca loquuntur. vel sic,

Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iámque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectísque auribus astant:
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Aspiciens genitor, cælóque inuectus aperto,
Flectit equos, currúque volans dat lora secundo.

Insuper hæc est similitudo apud Lucanum: lib. 5.

Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
Damnum posse fugæ? veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago subducere fontes,
Non magis ablatis vnquam decreuerit æquor,
Quàm nunc crescit aquis.

In qua similitudine duo in vno, non in duobus conferuntur: puta mare & Cæsar, in eo quod est crescere, vel decrescere. Sed fortasse dicet Rodolphus, eadẽ verba, scilicet crescere & decrescere, mari & Cæsari conueniunt: sed eorum verborum longè diuersa vis est in Cæsare & mari. Eodem modo in superiori similitudine, Demosthenes & tibia in laude colli conferebantur. sed colli in vtroque, puta Demosthene & tibia, non eadẽ ratio est. Quo fit vt non in vno fiat similitudo, si rem potius quàm verbum spectes. Verùm rursus obiicitur, Similitudo est rerum diuersarũ eadem qualitas, ergo duorum est in vno, nẽpe in eadem qualitate, collatio: vt, sicut terra, sic animus noster cultu melior euadit. Sed ita diluet Rodolphus, Eiusmodi similitudines sub comparatione complector: aliud autem similitudinis genus facio, quam analogiam Græci, nos proportionem vocamus: neque de omni etiam analogia, sed de ea tãtùm quæ est interrupta, non quæ continua est, loquor. In quibus spectantur hæc.) In maiorum, minorũ, & parium cõparatione quatuor inspici possunt, numerus, species, vis, & ad res aliquas affectio quædam: quod perinde est ac si Cicero dicat, quæcunque comparantur, aut numero, aut specie, aut vi, aut affectione inter se conferuntur. Numero: vt plura bona paucioribus præferuntur. Specie, id est pulchritudine, vt integra contaminatis, imperfectis perfecta, tota partibus. qua in comparatione species pro pulchritudine (sicuti dictum est) sumitur. sic enim vulgo interpretantur. Potest tamen & pro dialectica forma sumi, vt ex Ciceronis exemplo liquet, qui secundum speciem bona propter se expetenda, bonis aliis propter aliud vtilibus præfert & anteponit. at bona propter se & propter aliud expetenda, diuersæ sunt bonorum species, quorum

alia honesta, alia vtilia, alia iucũda sunt. Præterea vi, id est efficacia, vel, si mauis, virtute materiæ suæ præfertur artifex, tanquam efficiens rei stolidæ quietæ, nihil agenti: sic effectrix causa non effectrice grauior est, & maius põdus habet: vt qui ædificat, lignis & lapidibus secundũ vim præfertur. Affectione denique res comparari dicuntur, quando earum vna vni rei, altera alteri affecta est: quæ meliori rei affecta est, præstantior esse dicitur ea quæ peiori afficitur: vt quod Reipublicæ prodest, melius dicitur eo quod priuatæ conducit, quia res publica melior est quàm priuata. Sed potest aliter hic locus intelligi, hoc modo: Quæ suapta natura vel secũdum se nullam comparationem subeunt, secundum iudicia hominum & affectus & cupiditates comparari possunt, vt cùm ea quæ à popularibus veniunt, possunt æquè præstare & excellere, atque ea quæ à principibus oriuntur: tamen quæ à principibus veniunt, meliora iudicantur, quàm quæ à quolibet homine proficiscuntur. & hæc comparatio non ex rerum natura, sed ex hominum iudicio & affectu fieri solet. Atque vt hæc in comparationem.) Quemadmodum secundum numerum, speciem, vim, & affectionẽ maiora cum minoribus comparantur: sic secundum hæc quatuor minora cũ maioribus conferri queãt, vt si superiora exempla conuertas hoc modo: pauciora bona pluribus postponuntur, imperfectiora perfectioribus minoris habentur, incerta stabilibus postponi debent: quæ à paucioribus probantur, postlabenda sunt iis quæ à pluribus commendantur. Parium autem comparatio.) Neq; elationem, id est, maius, nec summissionem, id est, minus recipit. est enim æqualis. cuius exemplum hoc est: Qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, idem ob testimonium falsum dicendum pecuniam accipiet.

LATOMVS. Numerus, species, vis.) Numerus ad quantitatẽ, species ad substantiam, vis ad qualitatem, affectio ad relationem pertinet. Plura bona paucioribus.) Vt diuitem & sapientem esse melius est, q̃ sapientem tãtum esse. Pauciora mala.) Vt bona perdere satius, quàm bona & corpus. Diuturniora bona.) Vt fama posteritatis melior, quàm præsens nobilitas. Longè & latè peruagata.) Vt totam prouinciã seruasse melius, quàm vnam vrbem: & legem salubrem tulisse melius quàm puniuisse vnius delicti flagitium. Specie.) Quæ in generis differentia cernitur, & ad rei substantiã pertinet. Propter se expetẽda.) Vt quæ honesta & cum virtute coniuncta sunt. Innata) Vt ingenium, forma, vires, meliora, quàm diuitiæ & nobilitas. Integra cõtaminatis.) Vt virginitas melior connubio. Necessaria.) Sine quibus viui non potest, vt aqua vino melior est necessitate, fruges condimentis. Sua alienis.) Vnde prouerbiũ, Tunica pallio propior. Voluntaria necessariis.) Quia libertas melior quàm necessitas. Naturalia non naturalibus.) Vt rosa natiua melior, quàm quæ summo artificio picta est. Artificiosa nõ artificiosis.) Vt opera Apellis & Protogenis meliora, quàm rudis vetustatis. Vis autem in cõparatione.) Sicut species rei ad substantiam, ita vis ad qualitatem pertinet, & in facultate spectatur. Quæ seipsis contenta sunt.) Vt virtus, quæ sola per se viget, neque vllius extra se indigens, sola beatos efficit. Affectio.) Id est, relatio ad aliud, vt cùm principem ad populũ referimus, iucũdiora ad minus iucunda, plures ad paucos, optimum quenque ad bonos & mediocres. Nam relatio omnis in comparatione est, cætera absolutè spectantur.

HEGENDORPHINVS. Vis quædam.) Id est, quid res quælibet possit efficere, & quantum natura rei se propaget: vt quid efficiat fides in hominibus, quid virtus. Etiã ad res aliquas.) Id est, an aliquid seipso contẽtum sit, an aliis egeat. Si consilio iuuare.) Exemplum hoc in gratiam Trebatij factum est, vt qui æquet oratoriam facultatem, & iurisprudentiam.

COVEANVS. Numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio.) In rebus comparandis aut numerus spectatur, hoc est, quantitas: vt cùm pauciora mala pluribus præfero: aut species, cùm ipsæ res per se considerantur: aut vis quædam, pondus, momentum, & vt Græca voce vtar, ἐνδύναμις: aut animi propensio ad res aliquas, quæ ex opinione nascitur: vt si quis commoda principum præferat commodis multitudinis infimæ, eò quòd omnes nostra sponte nobilitati fauemus. Quòd autem dicimus numerũ in comparatione spectari, id sic intelligi debet: vt cùm tempus, aut quantitas denique aliqua spectatur, numerum spectari dicamus: vt cũ diuturniora bona breuioribus præferuntur: neque id omnino absurdè, cum quantum omne numero metiri possimus, vsque in omni quãto quædam numeri insit. Integra cõtaminatis.) Contaminata propria quadam significatione sunt, quæ integra non sunt: nam & verbum contaminare, interdum est conscindere, quod Galli dicunt (entamer) à Græco puto Aoristo τάμειν. Terent. in Andriæ prologo,

Quæ conuenêre, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque vsum pro suis.
Isti id vituperant factum. & in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas. *Idem in prologo Heautont.*
Nam quòd rumores distulerunt maleuoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit *Latinas paucas, &c.*

Quibus in locis contaminare fabulas, aliud esse non potest, quàm concidere fabulas, & ex illa locum aliquem sumere, & ex illa alium detrahere. Quibus facilè carere possis.) Cicero in disp. Tusculanis: *Triste est nomen ipsum carendi, quia subiicitur hæc vis: habuit, non habet: desiderat, requirit, indiget. Hæc incõmoda sunt carentis: caret oculis, odiosa cæcitas: liberis, orbitas. valet hoc in viuis. Si consilio iuuare ciues.)* Consilio iuuant iureconsulti: auxilio defensionis oratores.

COMMENTARIVS. *Reliquus.)* Hic locus pertinet ad probationem & exornationem, vt similitudo. huc referuntur multa exempla à pari, à maiori, à minori, vt docet Fabius libro quinto. Referuntur præterea inductiones quædam rhetoricæ & Socraticæ, quæ à multarum rerum comparatione proficiscuntur. *Cuius genus &c.)* Id ait, quia vniuersalitatem comparationis declarauit, non tamen descẽdit ad species, cum sigillatim partes explicabit. *Numero sic &c.)* Cicero veluti quadam epitome complectitur librum tertium Topicorum Aristotelis: Vbi Aristoteles accidens tractat per comparationem. Itaque Cicero non contentus fuit, vt in aliis, loci differẽtia, sed etiam more Aristotelis omnia axiomata est persequutus. *Diuturniora bona.)* Vt regnũ anteponendum est consulatui, cum sit diuturnius. Sed enim quod Cicero dicit anteponere, Aristoteles vocat semper lib. 3. Topicorum, eligibilius. *Longè & latè.)* Vt melius est prodesse Reipublicæ quàm priuato duntaxat homini. Inde theologi dicunt, Bonum quò magis ad plures peruenit, eò præstantius est. *Ex quibus.)* Vt si comparares vitam legislatoris cum vita philosophi, ostenderes à legibus plura manare bona quàm à vita vmbratili. *Quæq; plures.)* Locus hic optimè intelligendus est, videlicet vel de bonis, vel de illis qui bonũ æmulantur, qui certè præferent pietatẽ suis emolumẽtis. *Quæ propter se &c.)* Propter se expetũtur, quæ sunt honesta, vt inquit Arist. vtilia autẽ propter aliud. sunt igitur honesta vtilibus præferenda. *Atque insita.)* Quo pacto præferre possumus bona corporis bonis fortunæ: quoniam illa sunt nobis insita natura, hæc extrinsecus adueniunt. *Iucunda.)* Vt præferre debemus iucundam vitam vitæ tristi. hic tamen locus nisi rectè intelligatur, patietur enstasin, vt pleriq; apud Aristotelem. *Procliuia.)* Non videtur locus perpetuus. Nam virtus quantò laborioſior est & difficilior, tantò magis laudatur. tamen in quibusdam valet, vt faciles diuitiæ sunt anteponendæ his quæ maximo labore comparantur. *Necessaria.)* Vt viuere præstat quàm voluptuari. hic locus quoque admittit enstasin. Præstat enim bene viuere & philosophicè, quàm viuere. *Desiderabilia.)* Ex hoc loco valetudinem anteferre poteris diuitiis, quia in paupertate degere licet, sine valetudine non licet. *Ratione vtentia.)* Ex his locis Stoici colligebant (vt docet Cicero lib. 2. de natura Deorum) mundum animatum esse & rationalẽ, quoniam hoc præstantius quàm contrarium. *Naturalia.)* Sic præferre poteris Hierosolyma, quia sunt loci natura munita, vrbibus artificio duntaxat munitis. *Artificiosa.)* Natura anteponitur arti, ars atechniæ. i. inertiæ. *Quàm non efficiens.)* Sic in simulachro Iouis olympij magis laudaueris Phidiam quàm materiam. *Quæ in nostra.)* Sic virtus præferri poterit diuitiis, cum sit in nostra potestate, diuitiæ autem pendeant à fortuna. *Affectio autem.)* Affectio est, cum res inter se non comparantur ex suapte vi aut specie, sed ex habitudine & respectu quam ad personam vel negotium aliquod habent. Vt si legem Iuliam maiestatis præferres legi Corneliæ de sicariis, quòd hæc de priuatis, illa de principibus & regibus sit. *Iucundiora.)* Sic enim relationem oportet accipere. Alioqui referetur locus ad speciem. *Probataque.)* Aristoteles quoq; 3. Topicorum crebrò meminit huius loci ab authoritate. Inest autem affectio, propterea quòd comparatio rei non ex se expenditur, sed ex hominum opinione. *At quæ vt.)* Solet Aristoteles in Topicis locos constructionis & destructionis ponere: Cicero cùm epitomen faceret, constructionis duntaxat posuit locos, quia valent in contrarium ad destruendum. *Parium autem.)* Præcepta superiora pertinent ad comparationem inæqualitatis, id est maioris & minoris: tamen in pari cõsiderantur eadem quatuor, Numerus, species, vis, & affectio, per æqualitatem tamen, vt paria bona paribus bonis æqualia sunt. *Si consilio.)* Aptum vsurpauit exemplum vt Trebatio gratũ faceret. Nam

æqualem ostendit iurisperitiam eloquentiæ, cum tamen in oratione pro Murena longè inferiorem ostendisset. Cæterùm non est duntaxat hæc formula à pari per affirmationem: valet enim etiam per negationem.

Epilogus suprà dictorũ locorum.

Perfecta est omnis argumentorum inueniendorum præceptio, vt cùm profectus sis à definitione, à partitione, à notatione, à coniugatis, à genere, à forma, à similitudine, à differentia, à contrariis, ab adiunctis, à consequentibus, ab antecedentibus, à repugnãtibus, à causis, ab effectis, à comparatione maiorum, minorum, parium: nulla præterea sedes argumenti quærẽda sit. Sed quoniam ita à principio diuisimus, vt alios locos diceremus in eo ipso de quo ambigitur, hærere, de quibus satis est dictũ, alios assumi extrinsecus: de iis pauca dicamus, etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent: sed tamen totã rem perficiamus, quandoquidem cœpimus. Neque enim tu is es, quem nihil nisi ius ciuile delectet: & quoniam ad te hæc ita scribuntur, vt etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, vt quamplurimum iis quos recta studia delectant, prodesse possimus.

Loci extrinsecus sumpti.

BOETIVS. *Tametsi ex his quæ dicta sunt, intelligitur nullum argumenti locum esse præteritum: breuiter tamen Ciceronis conclusionem, qua se nihil omisisse commemorat, ad ampliorem doctrinæ fidem approbandam reor. in his enim nihil prætermittitur, quæ certa ratione tractantur. Nulla verò certior ratio diuisione: quod enim quisque partitur à communibus in particularia deducens, cum rectum iter insistat, labi atque ad errorem deduci non potest. Locorũ igitur omnium prima diuisio fuit in ea quæ in ipsis hærerent, & ea quæ assumerentur extrinsecus. Cuius diuisionis nihil medium reperiri potest. aut enim in ipso est aliquid de quo quæritur: aut extrinsecus necesse est assumatur. Videamus igitur nunc quemadmodum disputatio per nihil omittentem diuisionem feratur. Eorum igitur locorum qui in ipsis sunt de quibus agitur, nunc ex toto, nunc ex partibus, nũc ex vocabulo, nunc ex affectis sumitur argumentum. In his igitur quàm nihil relictum sit, perspicuè apparet. In eo enim quod coniunctum est, duplex discretio est. vna ex eo ipso quod formatum est, atque compositum, quod totum est: in quo etiam definitiones adhibentur. alia in eius partibus inspiciẽdis, ex quibus compositi forma coniuncta est. Sed quoniam natura hominum id quod intelligit, voce sæpius prodit, necesse est vt nomen quoque quod ad intellectus declarationem adhibetur, ostendat aliquam rei, quam significat, proprietatem. intellectus quippe, qualitatem rei, quam intelligit, capit. Quocirca nomen quoque intellectus, qualitatem designat. Iure igitur dictum est proprietatem quandam rei vocabulo significari. atque ita ex eo trahi argumentum potest, quod vocatur à nota. Horum verò locorũ alias partitiones dedit, quas paulò pòst breuius colligemus. Affecta verò, quæ, vt superius dictum est, in relatione consistunt, ipsa etiam rite diuisa sunt. Nam quæ referuntur ad aliquid: aut substantialia sunt, aut accidentia. Substantialia: vt cõiugata. nam iusto, in eo quod iustus est, iustitia substãtiam facit. Nec id dico, quòd homini esse ex iustitia cõstituatur: sed iusto, qui iustitia discedente corrumpitur. Similis & de eo quod est IVSTE aduerbio, ratio est. Est etiã substantiale, genus, species, differentia, causa, effectus. Accidentia: vt contrarium, simile, adiunctum, paria, maiora, minora. Consequentia verò atque repugnantia, quoniam, vt superius dictum est, in conditione posita sunt, nunc substantialia reperiuntur, nunc verò in accidentibus considerãtur. Substantialia, vt cum genus antecedentem speciem: accidentia verò, vt cùm nigredò præcedentem sequitur corpus, quanquã etiam in causis aliquæ accidentes esse possint. De quarũ omnium*

proprietatibus Tullius suprà disseruit. Atque vt in breuissimam descriptionem tota locorum diuisio colligatur, erit hoc modo, Omne argumentum aut ex his locis ducitur, qui in ipso de quo quæritur, inhærent: aut ex his, qui extrinsecus assumuntur. Is verò locus qui in ipsis de quibus ambigitur, positus est, diuiditur in eum locum qui est ex toto, & in eum qui est ex partibus, & in eum qui est ex nota, & in eum qui est ab affectis. Is autem qui à toto est, à definitione locus vocatur. Definitionũ verò aliæ sunt propriæ, aliæ non propriæ. Non propriarum verò, aliæ sunt quæ singulis nominibus denotantur, aliæ quæ oratione panduntur. Earum verò quæ singulis nominibus fiunt, aliæ sunt in quibus pro nomine redditur nomen, quæ dicuntur κατ' ἀντίλεξιν. aliæ, quæ exempli gratia nomen subiiciunt quæ dicuntur τύποι. Earum verò quæ oratione declarantur, aliæ fiunt à partitione, aliæ à diuisione, aliæ à differentiis, præter genus, quæ ἐνυπμαπικὰ dicũtur, aliæ quæ ex pluribus qualitatibus fiunt, etiam singulis totum id significantibus, quod omnis qualitatum collectio declarat, quæ vocantur ποιότητες: aliæ quæ ex accidentibus, non singulis, sed cunctis vnum aliquid efficientibus, constant. aliæ quæ ad differentiam dantur. aliæ per translationem, aliæ quæ ex priuatione contrarij: aliæ quæ propriis nominibus aptantur, quæ etiam ὑποτυπώσεις dicuntur: aliæ per indigentiam pleni. aliæ per proportionem. aliæ per relationem. aliæ per causam. Item alia definitionis diuisio secundum Tullium, principalis: quòd aliæ corporalium rerum sint, aliæ incorporalium. Et definitionis quidem locus ita diuisus est. A partibus autem locus diuiditur in partitionem & diuisionem. A nota verò locus simplex est. Ab affectis autem, alij sunt à coniugatis, alij à genere, alij à forma, alij à simili, alij à differentia, alij à contrariis, alij ab adiunctis, alij à consequentibus, antecedentibus & repugnantibus, alij à causa, alij ab effectis, alij à comparatione parium, maiorum, vel minorum. Genus verò diuiditur in suprema genera, & in ea quæ etiam species esse possunt. Species quoque diuiditur in vltimas species, & in ea quæ etiam genera esse possunt. Similium quoque alia in singulis considerantur, & vocantur exempla: alia in pluribus, & appellatur inductio: aliæ in coniunctis, & vocatur proportio. Item differentiarum, aliæ sunt substantiales, aliæ etsi nõ substantiales, inseparabiles tamen: aliæ neque substantiales, neque inseparabiles. Contrariorum alia dicuntur aduersa, alia priuantia, alia negantia, alia relatiua. Adiunctorum verò alia sunt quæ ante rem existunt, alia quæ cum re, alia verò post rem. Locus verò conditionalis diuiditur in antecedens, consequens, & repugnans. Causarum quoque multiplex locus est: aliæ nanque sunt quæ vi sua efficiunt, aliæ sine quibus effici non potest. Earum verò quæ vi sua efficiunt, aliæ sunt necessariæ nihilo indigentes vt efficiant, aliæ verò indigentes vt efficiant, aliæ verò indigentes & nõ necessariæ. Earum verò sine quibus nõ efficitur, aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Item causarũ, aliæ sunt non spõtaneæ, aliæ ex voluntate, aliæ ex perturbatione, aliæ ex habitu, aliæ ex natura, aliæ ex arte, aliæ ex casu. Rursus causarum aliæ sunt cõstantes, aliæ inconstantes. Amplius, causarum aliæ sunt voluntariæ, aliæ ignoratæ. Ignoratarũ pars in casu, pars in necessitate est constituta. Necessariarum pars in vi, pars in inscientia posita est. Effecta verò in tantum diuidi possunt, quãtum ad superius dictas causas referuntur. Locus verò à cõparatione minorum, parium, atque maiorum diuiditur in numerũ, speciem, vim, & ad res alias affectionem. Quæ cum ita sint, cumque nihil sit in diuisione prætermissum, rectè M. Tullius partitionem cõcludit, dicens, nullam argumenti sedem esse præteritam. Restat igitur locus qui extrinsecus sumitur: quem, quoniam nihil iurisconsultis est vtilis, non Trebatij causa, sed nequid perfecto operi deesse videatur, adiungit. Ne locus nihil iurisperito profuturus negligentiam sui faceret, Trebatium veluti quibusdam proœmij machinis orator reddit attentum. ait enim ita sese diuisisse in principio, vt alios locos in ipsis hærere diceret, de quibus ageretur: alios extrinsecus assumi: Et cum de superioribus locis idoneè disputatũ sit, intractatam reliquam partem non oportere præteriri. Neque enim hunc esse Trebatium, qui sua arte contentus cæterorum studia negligat: verùm diligentia atque ingenio plurimum valens, cuncta ad se pertinere ducat, quæ liberalibus studiis annumerentur. simul dandam esse operam dicit, quoniam beneuolo animo Ciceronis opus Trebatius esset editurus, vt cum in multorum manus venisset, prodesse iis in integrum posset, qui rectis studiis tenerentur: hoc quoque Trebatio beneficij nomine concedens, quòd ad eum scripta, & per eum edita, profutura plurimis conscriberet.

VISORIVS. Perfecta est.) Mirum videri potest, quare Tullius dicat nullã præterea sedẽ argumẽti quærendã esse, cũ à definitione, partibus, nota, rebus affectis profectus fueris. Nam in frõte libri Cicero dixerat, argumẽta partim in locis insitis, partim in iis quæ extrinsecus assumũtur

incluſa eſſe. Atqui nihil ex iis locis quæ extrinſecus aſſumuntur præcepit, ſed extrariæ ſedes argumentorum explicandæ ſuperſunt, non igitur perfecta eſt omnium argumẽtorum inueniendorũ præceptio. Nam argumenta non ſolùm in inſitis locis, verumetiã in aſſumptis incluſa reperiuntur. Sed hoc ſic dilui poteſt. Cicero ſignanter adiecit, Inueniendorum argumẽtorum. nam quæcunq; argumẽta inueniuntur, à locis inſitis (de quibus omnibus dictum eſt) petuntur. Non autem inueniuntur, quæ à locis aſſumptis oriuntur. nam ab oratore non excogitantur, ſed extra dicendi rationem accipiuntur, & foris ad eum deferuntur. Verùm obiici poteſt: Antè dixit in Partitionibus Cicero, argumentum omne inuentum eſſe, idq; partim ab inſitis, partim ab aſſumptis locis trahi, in quibus incluſum eſt. quo fit vt argumenta externa inueniri videãtur. id quod ita ſoluimus: inueniuntur quidem, id eſt, depromuntur, oriuntur, quæruntur, petuntur ab ipſis ſedibus & locis, in quibus incluſa ſunt. Cæterum cum inueniri negamus, ita accipiendum eſt, vt Cicero in Partitionibus cepit, qui ea ab Oratore non excogitari dixit, ſed ad eum cũ cauſa deferri, delata tamen arte tractari. Rurſus quiſpiam obiicere poterit, Cicero poſteaquam locos omnes in Partitionibus diuiſiſſet, quos in hoc opuſculo declarat, alios quoſdam locos fecit, quorum tamen in hoc opere non meminit: non eſt itaque perfecta inueniendorum argumentorum præceptio. Sanè vt quod ſentio aliquando dicam, Cicero nouos alios non fecit locos in Partitionibus, ſed poſtquam omnes primùm recenſuit, ſecunda diſtributione non omnes quos antea diuiſerat repetit, ſed eos tantũ quibus orator ſæpius vteretur, reliquos verò, quos orator non frequenter vſurparet, conſultò præteriit, vtpote notationem verbi, coniugata, antecedentia, & conſequentia: quos locos orator non ſæpe tractat. Nam vt quod dico, non inualidis authoritatibus confirmem, ſingulorum rationes reddam, quibus authores non ignobiles, quos dixi locos ab Oratore reiiciunt. Primò nomen rei Quintilianus ab argumentis excludit, qui decimo cap. lib. 5. ſic habet: Quidam in perſona nomen rei ponunt, quod ei proculdubio accidere neceſſe eſt, ſed in argumentum rarò cadit. At nomen rei ſecundum Rodolphum notatio verbi eſt, quare notatio verbi in argumentum rarò cadit, ſi nomen rei rarò cadit. Porrò de coniugatis idem ſcribit: Ridiculum putarem iis adiicere, quod Cicero Coniugatum vocat, niſi eo vteretur. Præterea de antecedentibus & conſequentibus ipſemet Cicero teſtis locupletiſſimus eſt: qui antecedentia & conſequẽtia locos dialecticos eſſe tradit, nec ad vſum oratorium magnopere pertinere, ſed ab adiunctis, quæ maximè oratoria ſunt, plurimum differre. Ex his igitur apertum eſt, non nouos à Cicerone locos in ſecunda, quæ eſt in Partitionibus oratoriis, locorum diſtributione, factos eſſe: ſed eos tãtùm repetitos, quibus orator plurimum vteretur: reliquos autem omiſſos, qui ad oratorem non multum pertinerent. idq; ideo Cic. feciſſe veriſimile eſt, quando ad filium ſcribebat, quem locorum omnium confuſa diſtributione turbare vel decipere noluit, ſed conciſa & breui repetitione, quibus vteretur, quóſque negligeret, facile docuit, eos videlicet locos repetens quos ad oratorem ſpectare diceret, alios verò reſcindens quos ſuperius nominaui. Sed quoniam ita à principio diuiſimus.) In diuiſione locorum duas probationis ſpecies fecimus. alias enim orator ex cauſa trahit, & quodammodo ipſe ſibi gignit: alias verò extra dicendi rationem accipit. Illas Græci ἐντέχνους, id eſt, artificiales vocant, vt ſunt definitio, partes, nota, & res affectæ, de quibus ſatis eſt dictum. has illi ἀτέχνους appellant, id eſt, artis expertes. quæ tametſi ab oratore non gignantur, ſed foris ad eum deferuntur: eas tamen ad ſe delatas orator arte tractat. de his pauca dicamus. Etſi ea nihil omnino ad veſtras diſputationes pertinent.) Iuriſconſulti dicũtur, qui iura publicè interpretantur, & quærentibus de iure reſpondent. Sed teſtimonium, id eſt, probatio inartificialis nihil ad ius pertinet. Quo fit, vt ad iuriſconſultorum diſputationes hæc probatio quæ extrinſecus aſſumitur, nihil ſpectet. Quòd autem ad ius nihil pertineat, ſic oſtenditur. Tunc eſt teſtibus opus, cũ factum negatur: at cum de iure quæritur, non modò de facto, ſed & de nomine facti conſtat: igitur teſtimonium ad ius non ſpectat, ſed potius ad cauſas coniecturales, in quibus factum nécne ſit quæritur, pertinet. Neque enim tu iis es.) Hoc ſimile eſt illi quod antè dixit, Vtrum igitur hactenus ſatis eſt? tibi quidem tam acuto & tam occupato puto: ſed quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam, vt reliquiarum ſit potius aliquid, quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere.

LATOMVS. Alios aſſumi extrinſecus.) Hos locos inartificiales eſſe ſuprà dixi, quòd non inueniantur arte ab oratore, ſicut cæteri, ſed arte tractentur. Sed ab hac Ciceronis & Quintiliani ſententia diſſentit Rodolphus, qui omnes qui arte tractantur, vult artificiales eſſe, cùm non ab alio inueniantur in cauſa, ab alio tractentur, ſed vtrunq; oratoris ſit proprium. Quòd ſi ab im-

perito adferantur ad causam, vt cùm à teste in rem præsentem testimonium dicitur, vel cùm tabulæ proferuntur in iudicio: ea demum ab arte remota esse censet, cùm non proficiscantur ab oratoris industria, sed ipsa sibi fidem faciant: non aliter quàm cicatrix in forti viro etiam tacente, quòd ab artis ratione alienum sit. Itaq; diuisionem Aristotelis in Rhetoricis, qua alios locos ἐντέχνους, alios ἀτέχνους fecerit, hunc in modum intelligendum esse. Etsi ea nihil omnino.) Vult testimonia ad coniecturam tantùm pertinere, non ad iuris quæstiones, quæ in qualitate positæ sunt. Adhibentur tamen ad confirmationem iuris, vt cùm Aquilij vel Scævolæ authoritate vtimur. Sed hoc cùm fit, existit cõiectura in qualitate: vt cùm quæro, Habeátne postliminium is qui deditus fuit, & nõ receptus: de qualitate quæro, quæ ex definitione, genere, forma, simili, contrario, causis confirmari potest. Ac cùm profero Aquilij aut Scævolæ sententiam de eadem re, non id ago, vt per hoc confirmem ius quod in æquitate positum est: sed vt ostendam certum & exploratum id esse quod ego statuo: quod iam non ad qualitatem, sed ad coniecturam pertinere manifestũ est. Non enim quia Scævola hoc dicit, rectum est, nisi legis vim habeat eius autoritas: sed cùm rectum sit, & ita esse tu affirmes, credendum tibi sit, an non, hoc est, verum nécne dicas, Scævolæ testimonio confirmari potest.

COVEANVS. Argumentorum inueniendorum.) Probationum artificiosarum. quæ enim sine arte sunt, non inueniuntur ab oratore.

COMMENTARIVS. Perfecta.) Epilogo breui repetit locos superiores ad memoriam auditoris, tum ne quem videatur omisisse. Sed quoniam.) Procatasceue vtitur, qua præmunit locum quem tractaturus est. Itaq; videbatur venia præfanda, cùm de locis externis esset actus, qui ad iurisconsultos non pertinent, & alioqui ad iurisconsultum scriberet. Alios assumi extrinsecus.) Qui quidem ita dicuntur inartificiales, propterea quòd non inueniuntur ab oratore. appellantur autem extrinsecus assumpti, propterea quòd non sunt in quæstione, sed extra quæstionem. Etsi ea.) Nam iurisconsulti ius tractant & iniuriam. Loci autem inartificiales adhibentur tantùm ad probationem facti, id est coniecturæ, quæ res est oratoria: quanquam antea locum duxit à iure ciuili. Neque enim.) Præterea duas adfert causas, alteram à persona Trebatij, alteram verò ab vtilitate quam consequuturi sunt studiosi.

Hæc ergo argumentatio quæ dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Persona autem non qualiscunque testimonij pondus habet: ad faciendam enim fidem autoritas quæritur. Sed autoritatem aut natura aut tempus affert. Naturæ autoritas in virtute inest maximé. In tempore autem multa sunt quæ afferant autoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vsus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingeniosos, & opulentos & ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur, putant: nõ rectè fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eámque omnia dirigunt & qui iudicant, & qui existimant. Qui enim his rebus quas dixi excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoq; rebus quas modò numerauí, quanquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quędam adhibetur (magna enim est vis ad persuadendum scientiæ) aut vsus. plerunque enim creditur iis qui experti sunt. Facit

etiam necesitas fidem, quę tum à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus torti, & igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere: & quę à perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habẽt, afferunt autoritatem & fidem. Cuius generis etiam illa sunt, ex quibus nonnunquam verum inuenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolẽtia, insania. Nã & pueri sæpe indicauerunt aliquid, ad quod pertineret ignari: & per somnum, vinũ, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt: vt Staterio nuper accidit: qui ea locutus est bonis viris subauscultantibus, pariete interposito, quibus patefactis, in iudiciúmque prolatis, rei capitalis iure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedæmonio Pausania accepimus. Concursio autem fortuitorum talis est, vt si interuentum est casu, cùm aut ageretur aliquid quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem iniecta suspicionum proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Huius etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit, hominũ autem industria. Diuina hæc ferè sunt testimonia. Primùm orationis: Oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quòd inest in his deorum oratio. Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera diuina quædam. Primùm ipse mundus, eiúsque omnis ordo & ornatus: deinceps aërei volatus auium, atque cantus: deinde eiusdem aëris sonitus & ardores: multarúmque rerum in terra portenta, atque etiam per exta inuenta præsensio: à dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modò eos virtutem habere qui habeant, sed eos etiam qui habere videantur. Itaque quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos vident, quorúmque vitam constantem & probatam, vt Catonis, Lælij, Scipionis, aliorúmque plurium, rentur eos esse quales se ipsi velint. Nec solùm eos censent tales esse, qui in honoribus populi,

atque in Repub. versantur: sed & oratores, & philosophos, & poëtas, & historicos: ex quorum & dictis & scriptis sæpe authoritas petitur ad faciendam fidem.

BOETIVS. *Extrinsecus positum argumenti locum, quem M. Tullius vocat artis expertem, in testimonio positum esse pronuntiat. Dubitari autem potest quid hic locus à superioribus differat, quos in affectis locauit. Nam vti affecta semper in relatione sunt constituta: ita etiam testimonia, ad ea quorum sunt testimonia, referuntur. Omne enim testimonium, testatæ rei est testimonium. Quocirca cur aut ea quæ affecta dudũ vocata sunt, non extrinsecus collocentur: aut ea quæ nunc vocantur extrinsecus, non inter affecta ponantur, quæri potest: cum præsertim ea quæ adiuncta esse negotio superiùs diximus, veluti quoddam testimonium sæpe rebus afferant, cum ex eorum quæ præcesserunt, vel consecuta sunt, signis, quod gestum sit, considerari soleat. Quorum omnium cõmunis solutio est: quòd ex affectis argumenta quæ fiunt, ab oratore inueniuntur, eúsque opera atque industria nascuntur. Ea verò quæ extrinsecus posita sunt, rei tantùm testimonium præbent. non enim inueniuntur ab oratore, sed his orator vtitur positis atque antè constitutis. Nã quæ à genere, vel à specie, vel à cæteris effectis argumẽta sunt, ab ipso quodammodo oratore pariuntur. Testimonia verò sibi ipse non efficit, sed ad causam vtitur antè præparatis: quo fit vt argumenta ex affectis in causa statim atque ex tempore nascantur: ea verò quæ in testimoniis posita sunt, ante rem præcurrentia, confirmando vsum negotio posterius præstent, & in adiunctis ab oratore coniectura colligatur, & auditorũ mentibus intimetur. Testimonia verò nõ in coniectura, aut in suspicionibus, sed in rei gestæ narratione consistunt. Ostendit autem vehementius quid esset testimonium, cum dicit id à se testimonium vocari, quod ab aliqua externa re sumitur. Omnia quippe affecta, ab eis ad quæ affecta sunt, non videntur externa. Testis verò cum re testificata nulla cognatione coniungitur, nisi sola notitia, quæ nihil ad rem quæ gesta est attinet: cum si gestum negotium nullus cognosceret, nihilominus tamen gesta res esset. sed id poterit etiam ad similitudinem duci. Quid enim minus esset aliquid, si ei simile nihil reperiretur? sed quod simile est, ei cui simile est, eadem qualitate coniungitur: quæ qualitas vtrunque cõformat. Scientia verò quamuis efficiat testem, nulla tamen qualitate coniungitur cum re, cuius illa notitia est. Neque enim scientis notitia, rei gestæ qualitas dici potest: cùm, si notitia qualitas rei posset intelligi, pereuntibus his qui rem norunt, res vel interiret, vel mutaretur. quod neutrum euenire necesse est: quandoquidẽ absumptis scientibus res ignorata poterit permanere. Quoniã locum artis expertem in testimonio esse positũ dixit, in testimoniis verò personarũ fidem suã interponentium authoritas quæritur: necessarium fuit, quibus rebus fieri soleat authoritas, expedire. Ac cætera quidẽ clarissimè atque apertissimè dicta sunt. Sed quia authoritatem in naturã tẽpúsque diuisit: cumq; in tempore, ingenium, opes, ætates, fortunam, artem, vsum, necessitatem, cõcursionem etiã nonnunquam rerum fortuitarũ locauit: quæri potest, Quid enim attinet ad tẽpus ingenium? quid ars? quid vsus? Nã ætas atq; opes, fortuna & fortuitarum rerum cõcursio, subiecta sunt tẽpori: quoniam vnumquodque eorum variis temporum vicibus permutatur. Ingenium verò, naturæ potius oportuit tribui: artem atque vsum tertium quiddam, quoniam neque tempori neque naturæ subiiciuntur. Quanquam virtus quoque ipsa, quam M. Tullius in naturæ ratione constituit, quibusdam non naturalis, sed tum doctrina, tum recta exercitatione viuendi videatur adscita. Sed hæc ita intelligenda diuisio est, quòd omnis authoritas aut ea magnis atque excellentibus rebus & per naturam optimis venit: aut ab his quæ inferiore loco sunt constituta, fidem nõ ex naturæ qualitate, sed ex vulgo insitis opinionibus capit. Et maximas quidem excellentesque res in natura constituit: quæ semper, vt ipse Tullius multis in locis defendit, boni est appetens. At verò quæ posteriora sunt, sub tempore posuit, idcirco, quòd omnia temporibus subiecta, principalis boni non retinent statum. Virtus quidem in deterius flecti nõ potest. Ingenium verò atque opes, fortuna, & ars, & vsus, sæpe non recta exercitatione deprauantur. Nam quicquid horum fuerit à virtute seiunctum, dignitatem veræ laudis amittit. Et de virtute quidem distulit dicere. Posteriorem verò partem, id est in tempore positæ authoritatis diuisit, & euidentissimis patefecit exemplis. Nam & ingeniis fides adest, atque ex ea præsto est authoritas plurima. Eos quippe sapientius loqui homines credunt, quorum ingenium ad expedienda quæ*

proposuerint sufficit. opibus quoq; præpollentes, dignos fide iudicãt. fortuna quoq; & dignitate præclaris, maiestatem authoritatis impertiunt, non rectè fortasse: sed & iudicium in negotiis, & existimatio vitæ, opinione hominum maximè cõtinetur: quæ quia mutari vix potest, ad eam cuncta diriget ea quæ sibi tractanda regendaq; proponet orator. Ars etiam, atq; vsus plurimum valent. In vtrisq; enim fidem notitia facit. Necessitas quoq; quasi id quod latebat, extorquẽs, authoritate subnixa est. Quæ tũ ab animo tũ à corporibus venit. à corporibus, cùm igni, ferro, ac verberibus verũ quod latet, aperitur: ab animo, cũ mens quadã perturbationis vel ignorãtiæ necessitate cõfunditur. Tũc enim quod dici, quod tractari debeat, minimè distinguẽs, verũ, quod occultũ erat, prodit atq; effundit in lucem. Nam iracundia sæpe, & quælibet animi perturbatio, quod occultandũ foret, haud cõtinet. quæ idcirco habet autoritatẽ ad faciẽdã fidẽ, quia simpliciter prodita sunt, nec vlla calliditatis arte prolata. Quinetiã ignorãtia puerorũ, vinolentia, somnus quædã sæpe produxit in mediũ: in quibus si iudicium fuisset vllum, prolata non essent. Sæpe etiã homines præter vllam animi perturbationem imprudentes propria confessione obligati sunt, dum cuncta simpliciter effundunt, quæ sibi nocitura non existiment, vt Staterio euenisse proposuit, qui interposito pariete testibus audientibus ea confessus est, ignorans se ab insidiantibus audiri, quibus vulgatis, in iudiciúmque prolatis, capitali sententia condẽnatus est. Atque hæc quidem ignorãtia, in necessitate est constituta. Nam qui nescit id, quod ignorat, nec si velit, poterit euitare. Quæ autem necessitas extorquet, ipsa quodammodo videtur veritas dicere: atque ideo eis veluti autoritate subnixis fides adhibetur. Cõcursio etiam rerum fortuitarũ facit fidem: quæ cùm aliquoties falsa designet, tamen ita est vehemens, vt se ab ea veritas explicare vix possit. quale est quod de Palamede narratur: Phryx extĩctus, qui quasi à Priamo missus videretur, repertæ Priami literæ, Phrygia manus imitata: quæ concurrentia, fidem facerent proditionis. Hinc dicit Cicero, Talis etiam fortuitarum rerum concursio est.

VISORIVS. Quæ dicitur artis expers.) Hæc probatio non propterea dicitur artis expers, quòd ita sit. neque enim est artis expers, sed artis indiget, vt in Partitionibus Cicero probat. Verùm ideo sic appellatur, quòd ab oratore non inueniatur, sed eam à litigatore accipiat. Porrò Cicero nomine testimonij omnem probationem artis expertem comprehendit. Nam id omne testimonium vocat, quod ab aliqua re externa ad faciendum fidem sumitur: id est, quicquid extrinsecus assumitur, neque ex causa trahitur. Quæ verò ab aliqua re externa trahuntur, multiplicia sunt, & varias habent species, vt sunt præiudicia, rumor, fama, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes, tum iudicium gentis, populi sapientis, clari viri, poetæ & vulgi, denique deorum authoritas, de quibus paulò pòst abundè dicemus. Persona autem non qualiscunque, &c.) Testimonium antè definiuimus, id omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidẽ. cuius duplex est genus, diuinum & humanum. Diuinum testimoniũ dicitur, quod dei alicuius, vel numinis voce profertur: vt sunt oracula, auspicia, vaticinationes, responsa sacerdotum, aruspicum & coniectorum. Humanum verò est, cuius prima origo à nobis est. idque duplex est: aut enim in scriptis aut in oratione positum est. In scriptis, vt sunt chirographa & instrumẽta litis, quas tabulas Quintilianus appellat: in oratione verò, vt sunt dicta testium. Sed oratio duplex est, libera inquam & expressa. Liberam voco, quæ voluntariè & citra vllam coactionem profertur, vt est rumor, & fama populi, vt doctorum & magnorum virorum sententiæ: vt deniq; sunt testium dicta, quemadmodũ iam diximus. Expressa oratio dicitur, quæ vi & coactione quadam pronunciatur: idq; dupliciter fieri potest, religione & tormentis. Religione, quando quis ad dicendum veritatem iureiurando adigitur. eam orationem Cicero & Rodolphus testimonium iuratum vocãt. Tormentis verò, vt cũ in quæstione, quam gehennam vulgò dicunt, id est cruciatu & tortura corporis, veritas à reo extorquetur, quod testimonium iidem quæsitum appellant. Vt autem paucis finiam, testimoniũ omne humanum, vel ex authoritate, vel ex voluntate, vel ex oratione libera aut expressa spectatur: in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæsita. Ea omnia siue diuina, siue humana, Quintil. in octo species distribuit: in præiudicium, rumorem, tormenta, tabulas, iusiuradum, testes, iudicium gentis, populi sapientis, clari viri, poëtæ, & vulgi, tum deniq; in authoritatem deorũ. Est autem præiudicium, authore Ascanio Pediano, res quæ cùm statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum quod sequãtur: quale fuit senatus iudicium aduersus Milonem. Senatus enim iudicauerat, vt dicebant Clodiani, cædem publij Clodij contra Rempublicam factam fuisse. Fama est consensus ciuitatis, & veluti testimonium publicũ, vel contrà. Fama est sermo sine certo authore dispersus: cui malignitas initium

dederit, incrementum credulitas: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium: vt superioribus annis in hac ciuitate accidit, cùm vulgò ferebatur, externos qui tum in ciuitate erant, puerorum carnibus vesci: qui rumor eò vsq; creuit, vt id à pleriſq; creditum sit, & à sæuiente plebe nonnulli externi malè mulctati sint. Quæstio quæ ἀνάκρισις Græcè dicitur, est veritatis per cruciatus & tormenta corporis inquisitio atq; expressio, vt ij qui de illo sacrosancto crustulo malè senserant, idq; negabant, torti confessi sunt. Per tabulas omnia litis instrumenta, sicut Quintilianus ait, intelliguntur: vt si quis creditorem suum neget, proinde eum liberare nolit. creditor productis tabellis, tãquam testibus mutis & inanimatis, se pecuniã ei qui negat, credidisse probet. Porrò iusiurandum est, per religionem expressa oratio, eruendæ veritatis gratia: vt si te in summis meis versari, id est debitorem meum esse neges, ex te iusiurandum exigo, & ad veritatem dicendam iureiurando cogo, vt expressa per religionem oratione, cõfitearis an meus debitor sis. Testes noti sunt qui sint, de quorum interrogandorum ratione Quintilianum lege. Iudicium verò est, vt si quid visum est gentibus, populis sapiẽtibus, claris viris, poëtis, & vulgo, quod ad rem tuã faciat, id referre possis. vt si de vitæ incommodis disseras, te iuuabit earum persuasio nationum, quæ fletibus natos, lætitia defunctos persequuntur: idq; gentis iudicium est. Iam si misericordiam iudici commendare velis, tibi proderit citare prudentissimam Athenienſium ciuitatem, quæ misericordiam non pro affectu, sed pro numine accepit: quod populi iudicium est. Deinde siqua adultera causam veneficij dicat, M. Catonis clari viri iudicio damnabis, qui nullã adulteram nõ eandem veneficam esse dixit. Insuper si ad virtutem horteris, ex septem sapientum præceptis authoritatem desumes. Præterea à poëtis sententias trahes, quales sunt hæ Vergilianæ sententiæ,

Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.- Præterea,
-Facilis descensus auerni,
Noctes atque dies patet atra ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, superásque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est: pauci quos equus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus: Diis geniti potuêre.

Ea quoque quæ vulgo recepta sunt, hoc ipso quòd incertum authorem habent, velut omnium fiũt: quale est, Vbi amici vbi opes: &, conscientia mille testes. Et apud Ciceronem, Pares autem (vt est in vetere prouerbio) cum paribus facillime congregantur. neque enim durassent hæc in æternum, nisi vera omnibus viderentur. Postremo deorum authoritas ex responsis est, quo testimonio Cicero pro Ligario vsus est, cum causam Cæsaris ideo meliorẽ fuisse dixit, quòd eam dij approbassent. Ad faciendam enim fidem authoritas quæritur.) Cicero antè dixerat, ea quæ extrinsecus assumuntur, maximè ex authoritate duci: nec immeritò. Non enim cuiuis facilè creditur. nõ baiulo statim fides adhibetur, non hominis ~~proletarij neque triobolaris viri~~ testimonium ad faciendum fidem pondus habet, neque pauperis oratio in dicendo testimonio satis valet, propterea quòd authoritatẽ non habeat. Nam, vt inquit Cicero, ad faciendã fidem authoritas quæritur. sit enim quãlibet improbus, quantumuis mendax & periurus, qui pro testimonio dicit, si tamen authoritate præditus est, ei creditur. è contraria, sit ille Numa religiosior, Lycurgo iustior, sanctior Solone, si authoritate careat, eius testimonium eleuabitur. Sed authoritatem, &c.) Authoritas aut à natura, aut à tempore petitur. Duo sunt enim quæ authoritatem adferunt, tempus & natura. virtus naturæ tribuitur: quia vt natura constans & stabilis est, sic virtus firma est & immota: nec facilè perire potest, sed diutius hæret. Aliter si virtutem naturæ tribuas, Platonicus esse videberis. Nam Plato natiuas virtutes & nobis congenitas esse volebat, id quod Aristoteles negaret: quo authore virtutes neque natura, neque præter naturam sunt. non natura quidem: nam ab his quæ nobis insunt à natura, nemo laudatur, à virtutibus verò laudamur. nec denique præter naturã: nõ enim naturæ humanæ virtus repugnat, sed eius igniculos, semina & radices à natura tenemus: virtutes verò doctrina, vsu, & meditatione longa comparamus. Itaque à natura inchoantur, tempore perficiuntur. Ingenium.) Cicero tempori, non naturæ tribuit ingenium: veruntamen nihil est aliud quàm ingenita natura, quapropter naturæ tribui debebat. Quòd autem ingenium sit natura, testatur Horatius, qui in arte poetica sic habet,

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non vngues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim precium nomenque poëtæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit.

Deinde paulò pòst, vt hoc in loco ingenium pro natura: sic in illo qui sequitur, naturam pro ingenio vsurpauit: qui sic ait,

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Sed ista dilui possunt. non statim repugnat, ingenium tempori tribui, si naturæ cõcedatur. Nam vt artis principium est natura, tempus verò finem arti imponit, & quod natura inchoatum est, arte perficitur: sic ingenij rudimenta naturæ debentur, tempori verò perfectio. Nam nisi ingenium excolas, vt ferrum quod non exercetur rubiginem contrahet. Cæterùm tempori tribuuntur ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vsus, necessitas, concursio etiam nonunquam rerum fortuitarum: & ideo tribuuntur, quòd iniuriam temporis patiãtur, & vnà cum tempore mutentur. Non rectè fortasse.) *Ingeniosis vulgò creditur, sed an rectè, nescio. certè quò testis ingeniosior est, eò callidior, & ad falsum testimonium dicendum promptior. Nam id industria sua iudici probabile se redditurum confidit, & interroganti vel iudici vel aduersario prudenter & astutè satisfacturum. Deinde opulenti digni videntur, quibus credatur, sed iniuria. indignum est enim plus opibus quàm homini tribuere, & illis maiorem fidem quàm huic adhibere. Non est profectò ex fortuna fides cuiusque ponderanda: sed est cuiusque rei testis locupletissimus habendus, qui de quo agatur, facillimè scire possit.* Sed vulgi opinio mutari vix potest.) *Licet ipsa sanctitate sis sanctior, & veritatis multò omnium amantissimus, & obseruantissimus, tamen si pauper es, non tibi credetur. At si opulentus es, testimonium tuum magni fiet, vt Iuuenalis Saty. 3. docet, qui sic inuehitur,*

Da testem Romæ tam sanctum, quàm fuit hospes
Numinis Idæi, procedat vel Numa, vel qui
Seruauit trepidam flagranti ex æde Mineruam,
Protinus ad censum, de moribus vltima fiet
Quæstio: quot pascit seruos, quot possidet agri
Iugera, quàm multa magnáque paropside cœnat.
Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei. iures licet & Samothracum
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque deos, diis ignoscentibus ipsis.
Quid? quòd materiam præbet causásque iocorum,
Omnibus hic idem, si fœda & scissa lacerna,
Si toga sordidula est, & rupta calceus alter
Pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
Atque recens limum ostendit non vna cicatrix.
Nil habet infœlix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit.

Qui enim his rebus quas dixi excellunt.) *Qui ingenio & opibus, & aliis rebus quas Cicero tempori concessit, excellunt, virtute excellere vulgò vidĕtur, quia rudis & imperita multitudo virtutem humanam diuitiis metitur: eúmque fœlicem esse, nedum probum, sibi persuadet, qui omnium opulentissimus. vnde poëta quidam illud cecinit,*

Qui squis habet nummos, secura nauigat aura.
Fortunámque suo temperat arbitrio.

Sed quàm falsa sit hæc opinio vulgaris, testis est Cræsus ille regum ditissimus, qui quòd opulentis-

simus esset, sese mortalium beatissimum credebat. sed cum à Cyro Persarum rege bello captus esset, & in pyram coniiceretur, inclamauit, Solon Solon rectè dixeras expectandam esse finem homini, vt beatus censeretur. Eodem argumento Cyges regno Lydiæ armis & diuitiis abundantissimo inflatus, cum Apollinem Pythium scisciatum venisset, an aliquis mortalium se esset fœlicior, deus ex abdito sacrarij specu voce missa, Aglaum Sophidium ei prætulit. is erat Arcadũ pauperrimus, sed ætate iam senior terminos agelli sui nunquã excesserat. paruuli ruris fructibus ac voluptatibus cõtentus. Verũ profectò vitæ beatæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate cõplexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate vigens tuguriũ, quàm tristem curis & solicitudinibus aulã: paucásq; glebas pauoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arua metu referta: & vnũ aut alterũ iugũ boum facilioris tutelæ, quàm exercitus & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum: & vsus necessarij horreolum minus nulli appetendum, quàm thesauros omnium insidiis & cupiditatibus expositos. Ita Cyges, dum astipulatorem vanæ opinionis deum habere concupiscit, vbinam solida & syncera esset fœlicitas didicit. Sed reliquis quoque rebus.) Quanuis in arte, & vsu, & ætate nulla species virtutis insit, ad fidem tamen faciendam ætas, vsus, & ars momentum habent. Nam, vt ait Cic. magna est vis ad persuadendum scientiæ aut vsus. & plerunque fides adhibetur iis qui experti sunt. Sed interim cũ de arte & vsu loquimur, scrupulus exoritur qui me malè habet, Quónã pacto Cicero tẽpori artẽ & vsum tribuat potius quàm naturæ, cùm ars naturæ sit imitatrix, & velut quædam simia: cúmque quemadmodum in natura, sic & in arte constantia sit: neque ars, neque vsus ad ferendam iniuriam tẽporis parata sint, nec cum tempore mutentur, sed pertinaciter hæreant. Verùm hoc modo diluitur. Quanuis neque ars, neque vsus cum tempore mutentur, tamen quia ars non nisi longo spatio temporis acquiri potest, nec vsus rei cuiuspiam nisi tempore comparetur: ideo Tullius artem & vsum tempori tribuit. Facit etiam necessitas fidem.) Necessitas duplex est, vna à corporibus, ab animis altera nascitur: necessitas quæ à corporibus nascitur, tormentum, vel si mauis quæstio Latinè dicitur. Nam facinorosi cum torquentur, necessitate verum fatẽtur: plerunque tamen si infirmo corpore sint, in tormentis mentiri coguntur. aliis verò patientia mẽdacium facile facit. Quo fit vt hoc vulgo iactetur, Mentietur in tormentis qui dolorem ferre potest: mentietur qui non potest. Quæ verò ab animis oritur, à perturbatione venit. Est autem perturbatio, auersa à recta ratione contra naturã animi incitatio, quæ tametsi voluntaria & non necessaria est (nam obiurgatione & admonitione deiicitur) tamen habet tantos motus, vt non spontanea, sed necessaria videatur. Cuius generis etiam illa sunt.) Sub necessitate illa quæ ab animis nascitur, pueritiam, somnum, imprudentiam, vinolentiam, insaniã, & similia, Cicero reponit: nec immerito. Necessitatem enim prius definimus, quæ sine vlla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione & iudicio suum quasi opus efficiat. Itaque pueri multa frequenter indicant, quæ ignorant ipsi ad quid pertineat. Item per somnium, vinum, insaniam, sine vlla volũtate multa sæpe patefiunt: vt qui dormit, nõnunquam quæ egit recenset & aperit, alioqui ignota futura nisi ipse detexisset. sic qui vino obrutus est, quæ vidit, audiuit, egit, imprudẽs narrat. Nã vt vulgo fertur, in vino est veritas. sic insani sæpius indicabũt, quod alius fecit. Huic simile quiddã de Lacedæmonio Pausania.) Pausanias Lacedæmoniorum dux Argiliũ quendam puerum adamabat, cui literas ad Xerxem Persarũ regem, aut (vt alij volunt) Artabanum Xerxis præfectum dedit: quibus Pausanias Lacedæmonios Xerxi prodebat, & præcipiebat, vt quoscunque nuncios ad Xerxem mitteret, interficeret, ne proditio patefieret. Argilius ille nuncius literarum Pausaniæ inter ferendas literas in animum suum induxit, in eis literis aliquid de se scriptum esse: quare literas resignauit & aperuit, vt quid illud esset, præsciret. cognouit sibi moriendũ esse, si literas ad Xerxem proferret. quapropter eas Ephoris, id est, magistratibus Lacedæmoniorum tradidit: qui effecerunt, vt Argilius in templũ Neptuni cõfugeret, & illic in quadam ara consideret. Erat in eo templo locus quidam subterraneus, ex quo quicquid cum Argilio quis locutus esset, ab Ephoris exaudiri posset. In eũ locum Pausanias ad Argilium descendit, & eũ orauit ne se proderet. Itaq; Pausanias hoc dicto seipsum prodidit. nã ab Ephoris exauditus est: à quibus cõprehensus est, & damnatus. Hoc testimonium ab imprudentia petitum est. Hãc historiam AEmilius Probus, & Thucydides ita recensent. Verùm Iustinus lib. 3. eandem longè aliter scribit: quippe qui dicat non ab Argilio, neque à seipso Pausaniam proditum fuisse, sed à collega suo Aristide Atheniensium duce. In hoc genere etiam, &c.) Concursionis rerum fortuitarum



exemplum tradit, quod est de Palamede, qui concursione rerum fortuitarum in proditionis suspicionem venit. totam hanc seu historiam, seu fabulam, Seruius in secundum Aeneidos exponit hoc modo: Palamedes, vt ait Apollonius, septimus à Belo, cum delectum militum per Græciam ageret, simulantem insaniam Vlyssem duxit inuitum. serebat ille salem, iunctis diuersæ naturæ animalibus. At Palamedes obiecit illi filium: sustulit aratrum Vlysses, ne eum læderet. Hoc argumento illum non insanum ostendit: & ad bellum ductus, habuit iustam causam doloris. missus deinde in Thraciam Vlysses, nihil aduexit frumenti. increpitantique Palamedi respondit, non sua negligentia id euenisse, neque illum, si illuc proficiscatur, quicquam aduecturum. profectus Palamedes, plurimum frumẽti aduexit. Vlysses inuidia motus, adulterinam Priami nomine epistolam scripsit, in qua agebat Palamedi proditionis gratiam, & commemorabat secretum auri pondus esse transmissum: deditque captiuo ferendũ. Eoque cæso, epistola ad regem portata, corruptisque seruis aurum in tentorium inuexit. Citatus est Palamedes, epistola in conspectu principum lecta, simulabat reo adesse Vlysses, suadebátque vt aurum in tentorio si esset inquireretur. Reperto autem auro, Palamedes lapidibus obrutus est. Hic prudens fuit. nam & tabulam lusoriã ad comprimendas ocioſi exercitus seditiones, teste Varrone, inuenit. Secundum quosdam, inuenit literas. Certum est autem inuenisse eum, x, i, c, cum h. de quo sic Virgilius ait:

Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures,
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent. Huius etiam generis.) Sub tempore famam complectitur, eámque hoc modo definit, vt sit quoddam multitudinis testimonium, de qua superius dictum est. Quæ autem virtute fidem faciunt.) Paulò antè diximus authoritatẽ aut à natura, aut à tempore peti. de tempore satis multa diximus: de natura dicendum est, id est de virtute, quam adfert natura. Igitur quæ virtute, id est, nõ incerta opinione fidem faciunt, ea bipartita sunt: quasi dicat, firmissima testimonia duplicia sunt. quædã enim natura valent, quæ à diuinis rebus petita sunt: quædã industria, quæ ab hominibus. De priore genere, hoc est de diuinis testimoniis, prius loquamur. Eorum duo sunt genera. nam alia sunt orationis, alia rerum. Orationis, vt oracula: quæ sic ideo appellata sunt, quòd in iis quædam insit deorum oratio. Rerum, vt mundus ipse, qui diuinæ prudentiæ quoddam testimonium est. In quibus insunt quasi opera diuina quædam.) Mundus, vt dixi, est summi illius artificis opus, vt poëta quidam cecinit, hoc modo:

Quicquid habet Phlegeton, quicquid cæua viscera terræ,
Quicquid ineſt pelago, quicquid secat aëra pennis
Feciſti, & solus totum hoc opus ipse gubernas.

Item Picus Mirandula,

Alme deus, summa qui maiestate verendus,
Verè vnum in triplici numine numen habes:
Cui super excelsi flammantia mœnia nundi,
Angelici seruit turba beata chori:
Cuius & immensum hoc oculis spectabile nostris
Omnipotens quondam dextra creauit opus:
AEthera qui torques, qui nutu dirigis orbem,
Cuius ab imperio fulmina missa cadunt:
Parce precor miseris, nostras precor elue sordes,
Ne nos iusta tui pœna furoris agat.

Eiúsque omnis ordo & ornatus.) Mundum Latini à mundicie & ornatu (teste Varrone) quemadmodum Græci κόσμον eadem ratione vocant. de quo Arist. in libro de Mundo sic loquitur. Itaque vniuersorum coagmẽtationem, cæli inquã & terræ, & vniuersi mundi, motu quodã principiorum summè contrariorum commodè attemperato, natura ipsa digessit, vna eademque concinna cohærentia: quippe siccum humido, calidum frigido, graui leue mistum, & rectum orbiculari. Terram etiam omnem, omne mare, æthera, solem, lunam, & postremò totum cœlum, vis vna per omnia pertinens, certo ordine descripsit, concinneque digessit, è diuersis ipsa naturis atque impermistis aë-

re,terra,igne & aqua mundum architectata. Quanquam etiam globosa superficie comprehendisset naturas quàm maximè contrarias:veluti edicta cõcordia & imperata astrinxit ad consensum mutuúmq; commercium:cuiusmodi rerum molitione vniuersitati ipsi salutem machinata est.huius autem rei causa est,concordia elementorum. Concordiæ porrò causa est æqualitas,& quòd alterum altero non plus pollet.ad æquilibrium enim adæquauit grauia cum leuibus,calida cum iis quæ ipsis opposita sunt:natura vtiq; nos docẽte,in maioribus æqualitatem tutricem esse concordiæ & seruatricem:Concordiam autem mundi esse salutem,rerum omnium parentis,ac longè omnibus præstantis pulchritudine.Nam quæ tandem natura præstabilior ipso? quam enim dixeris cunq;, eius vtique ipsius mundi pars erit.Nam quicquid pulchritudine præditum est, id quasi gentile mundi,habet cum eo nominis societatem:adeò quod rectè atq; ordine constitutum est,id à mundi nomine concinnè digestum,Græco sermone consentaneáque partium compositione speciosum esse significatur. Ecquídnam est autem singularum partium,quod cum eo æquari possit ordine, quo cælestis motus temperatus est & constitutus? Idem paulò post ait,vniuersum ipsum commodius κόσμον nominari,id est,compagem rectè compositam,concinnóque ordine digestam,quàm ἀκοσμον, id est congeriem confusam & inconditam. Deinceps aërei volatus auium atque cantus.) Vt sunt auguria & auspicia à præpetibus & oscinibus,id est à secundis & sinistris auibus:præpetibus quidem,id est à secundo volatu auium:oscinibus verò,id est ab auibus quæ ore & cantu sinistro auspicium faciebãt,petita. Deinde eiusdem aëris sonitus & ardores,multarúmque rerum in terra portenta.) Ex eo dicta sunt portenta,quòd rem futuram portendant,vt secundo anno belli secundi Punici, visus est sol cum luna pugnare,& solis orbis minui.prodigium id portendebat futurum esse vt imperium Romanum decresceret,minueretúrq;,& Romanorum vires ab Annibale(qui per lunam,quemadmodum per solem imperium Romanũ,intelligebatur)propè frangerẽtur. Atq; etiam per exta inuenta præsensio.) Vt sunt aruspicia. Aruspices enim arigã,id est,hostiam,ab hara,hoc est stabulo, ad aram,hoc est altare, agebant & ducebant. eáq; hostia duplex erat, aut animalis aut consultatoria. Animalẽ hostiam Macrobius vocat,cuius anima deo litatur.vt apud Virgiliũ 2. Aeneid.

Sanguine placastis ventos,& virgine cæsa,
Cùm primùm Iliacas Danai venistis ad oras.
Sanguine quærendi reditus,animáque litandum
Argolica.-

Consultatoria verò dicitur, quando voluntas Dei per exta seu intestina mactatæ hostiæ disquiritur.vt apud eundem,

-Pecudúmque reclusis
Pectoribus inhians,spirantia consulit exta.

Ex ipsis hostiis vel animalibus vel consultatoriis quædam sunt iniuges,id est,nunquam domitæ ac iugo subditæ,quarum Virgilius in sexto AEneidos meminit,

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit,totidem lectas de more bidentes.

Quædam sunt eximiæ,sic dictæ,quòd è grege eximantur,vel quòd eximia specie quasi offerendæ numinibus eligantur.hinc lib.4.Georgicôn Virgil.ait,

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Aliæ denique ambaruales erant,quæ (vt ait Festus Pompeius) rei diuinæ causa circum arua ducebantur ab iis qui pro frugibus faciebant. huius sacrificij mentionem in Bucolicis fecit, vbi de Apotheosi Daphnidis loquitur,

Hæc tibi semper erunt,& cùm solennia vota
Reddemus Nymphis,& cùm lustrabimus agros.

Vbi lustrare significat circuire. hinc enim hostiæ nomen acquisitum est, ab ambiendis aruis. vnde primo Georgicôn Vergilius,

Térque nouas circum fœlix eat hostia fruges.

A dormientibus quoque multa significata visis.) Qualia sunt quæ per quietem viris flagrantiore diuinorum amore perflatis, aut postremorum etiam nunquam scelerum obnoxiis territamẽta reddi solent: vt Cæsar in somniis sibi visus est matri stuprum intulisse. quod somnium significabat futurum esse,vt orbem terrarum subigeret.Nam per matrem terra(quæ communis est omniũ parens)

intelligebatur, vt author est Suetonius, qui in Cæsare sic habet: In vrbe confusum Cæsarem somnio proximæ noctis. Nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse: coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes, quia mater quam subiectam sibi vidisset, non alia esset quàm terra, quæ omnium parens haberetur. *In homine virtutis opinio valet plurimum.*) Paulò antè testimonium à virtute petitum, in naturam & industriam distribuerat. de testimonio naturæ, id est, diuino, locuti fuimus: de industriæ, id est, humano testimonio loquamur. *In hominis testimonio plurimum valet opinio virtutis.* Opinio verò à fide sic differt, quòd fides sit certa, & semper vera: opinio incerta & nonnunquã fallax. Quare bene Cicero dicit opinionem esse, non modò eos virtutem habere qui habeant, sed omnes etiam qui habere videantur. quod perinde est ac si dicat, opinionem non modò rerum verarum esse, sed & earum quæ cùm non sint, esse tamen apparent. *Itaque quos ingenio.*) A claro ciue, oratore, philosopho, poëta, & historico testimonium sæpe trahimus. A claro ciue, vt Catone, Lælio, Scipione, qui si quid quod ad rem nostram faciat, dixerit, scripserit, vel egerit, recitamus, & tãquam rei nostræ testimoniũ recẽsemus: vt superius de muliere adultera dicebamus, quam Cato veneficam esse volebat. Ab oratore, vt si quempiam ad defensionem sui horteris, illud à Cicerone quod est in Miloniana mutuaberis. Est, inquit, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. A philosopho, vt si illud Aristotelis in rem tuam conuertas, Non est satis de virtute scire, sed enitendum est eam habere. A poëta, vt si illud Iuuenalis cites, cùm de votis humanis disseris,

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sæuósque labores,
Et Venere, & cœnis & plumis Sardanapali.

Denique ab historico, vt si illud Valerij Maximi ad rem tuam faciens cites: Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.

LATOMVS. Ab aliqua re externa.) Hoc est, à persona in qua authoritas est ad faciendam fidem. Aut tempus.) Id est, personæ qualitas, quam tempus adfert. De Lacedæmonio Pausania.) Hic cùm suspectus esset quòd defectionem moliretur, & in templum confugisset, subornatus quidam quasi conscius defectionis cum eo expostulabat, Ephoris clam ad parietem auscultantibus: quo facto Pausanias, cùm liberius loqueretur, ipse se imprudenter prodidit. *In Palamedem.*) Nota est historia, quomodo Vlysses Palamedi insidiatus sit, confecto in eum proditionis crimine, & rebus verisimilibus quibus coargui posset, clam comparatis, nempe auro in tentorio eius depositò, & literis Priami effictis, & intercepto seruo barbaro, quasi latore literarum, ne deprehensò eo res indicaretur. Aërei volatus auium.) Ex his erant auspicia apud veteres. Per sonitus, tonitrua: per ardores, fulgura & cometas intelligit.

HEGENDORPHINVS. Naturæ autoritas.) Id est, homo ex virtute autoritatem per se citra omnem cõtrouersiam adipiscitur. Porrò Cicero tribuit virtutes naturæ, quòd virtutes immutabiles sint, nec vel tempore, vel casu aliquo deprauentur. *In tempore autem.*) Illa tẽpori tribuit Cicero, quòd hæc sæpe praua educatione corrumpantur. Necessitas.) Id est, tormenta, in quibus facinorosi, adacti necessitate, vera fatentur. Rerum fortuitarum.) Vt si quis literas reperiat in se scriptas, vel gladiũ cruentum. Nam & verberibus.) Sed non semper tormentis adhibendam esse fidem, probat l. 1. §. Quæstioni. ff. de quæstionibus. Et quæ à perturbationibus.) Perturbatio, est auersa à recta ratione contra naturam animi cõmotio: ita Cicero in quarta Tusculana. Dolor, est ægritudo crucians. Cupiditas est, aduersus rationem incitata libido. Iracundia, est propensio ad iram. Metus est timor impendentis mali. De Lacedæmonio Pausania.) Reo scilicet proditionis Lacedæmoniorum, qui cùm Argilium periurum quendam amaret, & epistolam ab eo ad Arthabarum accepisset, eique in suspicionem venisset aliquid de se in ea esse scriptum,

vincula epistolæ laxauit: signóque detracto cognouit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Hanc epistolam ille Ephoris tradit, qui statim indicem in fanum Neptuni cõfugere procurarunt, & in ara considere. Erat verò hic locus sub terra, ex quo loco posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex Ephoris quidam descenderunt. Pausanias igitur perturbatus, ad Argilium quoque descendit. vbi Argilius ei dicit, se nescio quæ ex epistola comperisse: tunc Pausanias eum orare cœpit, ne nunciaret, ne se meritum optimè de eo perderet. Et ita Pausanias imprudenter suo ore se prodens, ab Ephoris comprehensus est. Hæc AEmylius Probus in vita Pausaniæ. In Palamedem coniecta.) Qui in Thraciam profectus, cùm multum frumenti aduexisset, Vlysses inuidia motus, vt qui antea inde nihil frumenti aduexerat, adulterinam Priami nomine epistolam scripsit, in quæ agebat Palamedi gratias proditionis, & commemorabat se certum auri põdus habere: & epistolam captiuo cuidam perferendam dedit, eo cæso epistola ad Regem est portata, corruptísque seruis, aurum in tẽtorium inuexit Vlysses. citatus est Palamedes, epistola in conspectu principum lecta: reperto auro, Palamedes lapidibus est obrutus. Vide Seruium in 2. AEneid. Virgil. Fama vulgi.) Quæ per se nihil probat, nisi alia adminicula adsint, vt disserit Panormitanus in cap. Veniẽs, & cap. Præterea, de Testibus. Deinde eiusdem aëris.) Aerem appellarunt omne quod inani simile, vitalem hunc spiritũ fundit: infra lunã hæc sedes, hinc nubila, tonitrua. author Plin. lib. 2. cap. 38. Portenta.) Sic capras lanatas quibusdam factas, gallinã in marem, gallum in fœminam se vertisse legimus, apud Liuiũ lib. 2. secundi belli Punici. Per exta.) Sic Decio consuli caput iecinoris à familiari parte cæsum aruspex ostendisse dicitur, apud Liuium lib. 8. ab Vrbe condita.

COVEANVS. Testimonium autem nunc dicimus.) Propriè enim testimoniũ est, testis dictum. Persona autem non qualiscunque.) Personam faciunt circunstãtiæ & accidẽtia. vnde autem dicatur, scribit Gellius lib. 5. cap. 7. ex C. Basso in libro de Origine vocabulorum. Naturæ authoritas in virtute inest maximè.) Virtus sua natura authoritatẽ maximè habet. ei enim, si quidem loqui posset, maximè credendum esse. Nam & ingenioſos.) Qui propriè dicãtur ingenioſi, Cicero in Quæst. Academicis his verbis declarat, Naturæ celeritatem ad discendum & memoriam dabant, quorum vtrunque mentis est proprium & ingenij. Vt Stalerio nuper accidit.) Prouerbiũ est, Stalerij paries, eadẽ sentẽtia qua illud dici solet, Parietes habẽt aures. Stalerij nusquã alibi meminit Cicero. C. Staieni in Bruto meminit his verbis, C. Staienus in facinore manifesto deprehensus pœnas legibus & iudicio dedit. Rei capitalis iure damnatus est.) Modestinus lib. 8. Regularũ sic scribit, licet capitalis Latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur: pœnæ tamen capitalis appellatione, mortis, vel ciuitatis amissionis intelligẽda est. De Pausania.) Vide Thucydidem, & Cælium Rhodiginum. In Palamedem.) Troianorum ad ipsum literæ, thesaurus defossus, seruus in ipsius tentorio sepultus: cuius Vergilius meminit 2. AEneid.

Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, &c.

Deorum enim virtus natura excellit.) Virtus, naturæ est perfectio, quam perfectionem habẽt Dij ex sese, homines assequuntur industria. Quasi diuina opera quædam.) Quasi oracula diuinæ quædam, legẽdum puto. Dij enim per res mutas & inanimes (cuiusmodi mundus est, & eius omnis ornatus) loqui nobiscum videntur, & futura præmonstrare: quemadmodum scribit Tullius in libris de Diuinatione. Notat igitur diuinandi varia genera. Astrologi & Chaldæi ex mundo & eius ornatu, hoc est, ex astris, futura diuinant: Augures, ex præpetũ volatibus & garritibus: Haruspices ex armorum fragoribus, & fulgoribus, ex portentis, ex animalium extis (quod genus præsensionis seu diuinationis per exta, ab Hetruscis inuentum est) aut strepitu pugnantium in aëre exaudito, aut equorum hinnitu. Ex visis per somnum Coniectores. Videtur enim, vti scribit Cicero, in mentibus hominum esse tanquam aliquod oraculum, ex quo futura præsentiant, si aut furore diuino incitatus animus, aut somno relaxatus, solutè moueatur ac liberè. De quibus omnibus diuinandi generibus vide Ciceronem in libris de Diuinatione.

COMMENTARIVS. Hæc ergo.) Testimonium admodũ amplè accipit, vt complectatur omnẽ probationem inartificialẽ, id est præiudicia, rumores, testimonia, tabulas, quæstiones. Solent dialectici hoc quoq; vti loco, sed angustius, vt qui testimoniis dũtaxat vtãtur poëtarũ, philosophorum, & hominum doctorũ atq; proborum. Persona.) Idcirco de persona loquitur, propterea quòd in probationibus inartificialibus magna momẽta versantur circa personas, vel ad confirmã-

dum, vel ad destruendum. Vt igitur authoritas valet ad confirmandum: ita, si aberit, facilè locus eludetur. Naturæ.) Videtur alludere ad opinionẽ Platonis, qui dixit virtutes esse naturales, refragante tamen Aristotele, propterea quòd nobis sunt insita virtutum semina, quæ nisi extinguamus, perfectam efficiunt virtutem: sic natura quosdam videmus clementes, quosdam iustos. Ingenium.) Nam quanquam videtur natura insitum esse, tamen maximè sese ostendit in viris, & in illis authoritatem habet, non in pueris. Si autem ars, &c.) Non videtur de omni intellexisse arte, propterea quòd quædam, vt scientia moralis, virtuti subiicitur, vt postea ostendet. est igitur accipienda ars pro quibusdam, vt pro mathematicis, & pro opificiis. Facit etiam necessitas &c.) In hunc locum referenda sunt præcepta orationis expressæ. Nã in superioribus est oratio libera. sed tamen hic necessitatem non simpliciter accipimus, verùm pro magna quadam vi. Et quæ à perturbationibus animi sunt.) Perturbationes antea retulit Cicero ad causas ignoratas & necessarias: nunc autem nõ agit de perturbatione, sed de eo quod per affectum dicitur. Nam id habet testimonij pondus. Cuius generis &c.) Hæc quoq; sunt referenda ad necessitatem animorum. Nam pueritia cùm nondum rationem habeat, seipsam temperare non potest: itaq; necessitate quadam loquitur etiam quæ sunt obfutura. Somnus.) Alius est somnus qui subiicitur testimonio diuino, qui fit cùm immittũtur à diis visa quibus significatur futurũ. Nam in hoc somno naturaliter insomnia nascuntur ex illis rebus quas vel dixerimus vel fecerimus. Staterio.) In omnibus vetustis codicibus legitur, Stalerio: quam lectionem probat Victorinus. Cælius tamen Rhodiginus Staterio agnoscit, aitq; prouerbium esse, Staterij paries, de his qui per imprudentiam loquuntur redituras per iugulum voces. De Lacedæmonio &c.) Videte Thucydidem lib. 1. belli Peloponesiaci. Concursio.) Concursio fortuitorum est, cùm casus quidam interueniunt à quibus testimonium peti potest. Quòd si casus illi adferant tantummodo suspicionem probabilem, locus erit ab adiunctis, non à testimonio. In Palamedem.) Vlysses Palamedi infestus, adulterinas nomine Priami scripsit literas, quibus gratias agebat Palamedi ob proditionem, eaq; de causa se dicebat aurum mittere, quod Vlysses clam in tentorio Palamedis defoderat. literis coram principibus lectis, lapidatus est Palamedes. Huius etiam.) Ita vtique confirmandam esse famam ait Fabius, sed aliter infirmandam, vt dicamus esse sermonem à malignitate ortum, cui incrementum dederit vtilitas. Ex quibus &c.) Antea naturam dicebat generalius pro vi quadam quæ suapte facultate adferret certitudinem probationis: nũc per excellentiam vsurpat ex collatione, quoniam Deus stabilem habet & immutabilem naturam, sempérq; eandem: homo autem naturæ suæ aliquid addit per industriam.

Hominum autem &c.) Quoniam homines natura duntaxat habent semina virtutum, quæ studio & industria excolenda sunt, vt adolescant in perfectam virtutem. at in diis natura tam perfecta est virtus. Diuina hæc.) Fabius libro quinto dupliciter ait tractari testimonia diuina. generaliter, cùm dicitur de prouidentia: Specialiter, cùm expenditur species quæq; diuinationis. Præterea quoq; ait hos locos esse inartificiales, cùm sunt in præsenti causa: artificiales verò, cùm orator eos inuenit, & extrinsecus adhibet ad vtilitatem causæ. Ipse mundus.) Sic mathematicus ex apta syderum positione elementorúmq; moderatione salubritatẽ anni sequentis colligit. Ad hæc Stoici (vt est apud Ciceronem) ex certo ordine mundi statisq; vicissitudinibus colligebant prouidentiã & diuinationem. Deinceps aërei &c.) Significat auspicium & augurium. Nam alterum fit prospero auium volatu, quæ dicuntur præpetes: alterũ garritu, quæ dicuntur oscines. Deinde eiusdem &c.) Cætera ista pertinent ad aruspicinam. Nam aruspices solent procurare fulmina & tonitrua cæsis hostiis, soléntq; interpretari quid ex his significetur. A dormientibus.) Hoc intelligendum est de somniis illis quæ antiqui credebant immitti à diis, habereq; rerum futurarum significationem. Nam alia sunt naturalia: de quibus suprá. Virtutis opinio.) Aptè opinionem dixit, quæ ex æquo verorum est & falsorum. est tamen (vt inquit Aristoteles) primum, si probus sis: proximum, vt probus videaris. Itaq; quos.) Duplicem innuit virtutem: alteram intellectualem, quæ posita est in veri inuestigatione, in ingenio, studio, doctrina: alteram ponit moralem, quæ posita est in officiis actionibúsque studiosis, id est vita constante & probata. Rentur eos esse.) In vetusto codice fortè melius, videntur eis esse.

Locos singulos q̃stionibus aptat.

Expositis omnibus argumentandi locis, illud primùm intelligendum est, nec vllam esse disputationem, in quam non

aliquis locus incurrat: nec ferè omnes locos incidere in omnem quæstionem: & quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. Quæstionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum: propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars causæ est. Sed omnis quæstio earum aliqua de re est, quibus causæ continentur, aut vna, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus. Quæstionum autem, quacunque de re sint, duo sunt genera; vnum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia: vt si quæratur, A naturáne ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & pactione. Actionis autem huiusmodi exempla sunt, Sítne sapientis ad Rempublicam accedere.

IN M. T. CICERONIS TOpica, Visorij Commentarius III.

EXpositis omnibus argumentandi locis.) *Superiori libro sedes argumentorum expositæ sunt: nunc de quæstione dicendum est. Nam cum argumentũ ad probandam quæstionem adferatur, neque vlli rei nisi quæstioni confirmandæ vel refellendæ adhibeatur: consequens est, vt expositis argumentorũ naturis, de quæstione nonnihil dicamus. Est autem quæstio, in controuersiam adducta propositio quæ tametsi natura sua nihil dubij in se continet, de ea tamen perinde agitur, ac si dubia foret. vt quæstio est, An mundus prouidentia regatur: quæ licet per se sumpta certa sit, (nam mundum prouidentia regi certum est:) tamen cum hæc propositio in quæstionem vertitur, de ea quæritur tanquam dubitabilis esset. Nec vllam esse disputationem, in qua non aliquis locus incurrat.) Quæstio, res est dubia. Argumentum, ratio est rei dubiæ fidem faciẽs: vel, si mauis, ratio per ea quæ certa sunt fidem dubiis adferens. Itaq; cum quæstioni, id est rei dubiæ, fides non nisi argumentis fieri possit, & argumenta omnia depromantur à locis, haud dubiè colligitur, nullam quæstionem esse ad quam probãdam locus aliquis non sit idoneus. vt enim illud de quo quæritur probes, oportet è loco argumentum tuum depromas, quo rei controuersæ fidem sis facturus. vt si quæratur, An in omnibus iuri sit parendum: respondebis, non esse semper iuri parendum. idque à definitione iuris probabis. Ius est, quod omnia recta & inflexibilia exigit. quod autem tale est, æquitatis est inimicum, quæ de iure multum remittit, quámque sequi semper debemus. non igitur in omnibus iuri parendum est. Nec ferè omnes locos incidere in omnem quæstionem.) Non omnibus probandis omnia conueniũt. Quid enim differenti de optimo ciuitatis statu, & vtiliúsne sit eam principis vnius arbitrio quàm populi consensu regi, profuerit scire, respirent nécne sub aqua pisces? quid item suadentem Cæsari, vt bellum inferat Pompeio, adiuuerit, ecquid habi-

tent ex aduersa nobis regione orbis terrarum homines, quos ἀντίχθονας Græci vocant. Pari ratione cum multi sint loci qui rei de qua quæritur non cohæreant, neque vlla ex parte cũ ea coniuncti sint: consequens est, non omnes locos in omnem quæstionem incidere. Nam quicquid ad alterius confirmationem adfertur, consentaneum & velut cognatum esse oportet illi, cui probando adhibetur: vt si Cæsari suadeas, vt Pompeio bellum inferat, cohærebit & consentaneum erit hoc argumentum Curionis,

-Socerum depellere regno
Decretum est genero, partiri non potes orbem,
Solus habere potes: igitur bellum inferas.

Tum Rempub. vnius imperio regendam esse, cohærenti ratione confirmabis, hoc modo: Vt mundus vno sole regitur, ita Respub. vno principe gubernari debet. Et quibusdã quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos.) Cum tres sint quæstiones, vna coniecturalis An sit, altera finitiua Quid sit, tertia iuridicialis Quale sit: quidam sunt loci qui ad cõiecturalem quæstionem probandam aptiores sunt, quàm ad finitiuam & iuridicialem, quidã contrà magis sunt finitiui, quàm coniecturales aut iuridiciales. quidam iuridiciales magis quàm finitiui, vel coniecturales: vt locus ab adiunctis ad coniecturalem firmandã magis quàm ad reliquas pertinet quæstiones, vt Asdrubal ad adiunctis coniecturam collegit, apud Varum fluuium cõiunctas esse copias Romanas, quoniam strigosiores equos & coloratiora videret corpora. Sic Annibal, cum exercitum vrbi Romæ admouisset, nondum fractas esse res Romanas argumento ab adiunctis cognouit: quoniam ager in quo tum castra locauerat, proscriptus sit, & inuenerit emptorem. Vtrunque argumentum Asdrubalis & Annibalis, quod à loco adiunctorum petitum est, tantùm est coniecturale, non etiam finitiuum aut iuridiciale. sic locus à definitione tantùm finitiuus est, & non iuridicialis vel coniecturalis. Ita qualitas simplex, vel collata, id est similitudo & comparatio, magis conuenit iuridicialibus quæstionibus probandis, quàm aliis. Verùm de his postea fusius loquemur. hoc in præsenti dixisse satis sit. Quæstionum duo sunt genera.) Quæstio duplex est, vna finita, altera infinita. Finitam voco, in cuius finibus circũstantiæ sunt. & propterea finita dicitur, quòd de finitis, id est, determinatis certis notis, & (vt semel finiam) expressis circunstantiis constet. Circunstantiã Græci περίστασιν vocant. Ea est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum scriptorum, & non scriptorum. eandem circunstantiam nonnulli negotium appellant. quam enim circunstantiæ definitionem dedimus, eandem negotio tribuunt, vt Quintilianus libro tertio docet. Circunstantia verò ex eo dicta est, quòd personam vel rem circunstet. vnde fit vt attributum vel rei vel personæ vulgò vocetur. Diuiditur autem circunstantia in ea quæ personis & rebus accidunt, id est, in personarum & rerum attributa. Personæ accidunt & attribuuntur: hæc genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus, fortuna, cõditio, natura animi, victus, studium, affectus, quod antè vel actum vel dictum est. Temporarius animi motus, id est, commotio: vt ira, pauor, consilium, denique nomen, quæ omnia (vt dixi) personam circunstant: Quare circunstantiæ personæ sunt. Rei accidunt, causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, facultas, modus. Hæc est definita quæstio: An Cato Stoicæ sectæ philosophus, Martiam vxorem repudiare debeat. est enim certis personis & expressis notata, quæ sunt Cato & Martia. hanc quæstionem modò controuersiam, modò causam Latini dicunt. Controuersiam quidem, non solùm quòd sapius in iudicialibus causis versetur, sed etiam quia circunstantiæ, quibus inuolu ta est, rem ipsam de qua quæritur, vtrinque controuersam, id est, ambiguam & ancipitem reddant. Nam fieri potest, vt vni litigatorum circunstantia personæ prosit, alterum verò litigatorem rerum negotiorúmque attributa iuuent & defendant. sic efficitur, vt cũ vnus sese circunstantia personæ defendat, eundemq; alter loco, tẽpore, instrumentis oppugnet: res ipsa de qua quæritur in controuersiam veniat, sitq; dubium, vtri parti fides potius adhiberi debeat. vt si vir theologus latrocinij causam dicat, seipsum quòd theologus sit defendet, quasi latrocinium in virum theologum non cõpetat, neque verisimile sit, vt is qui theologus est, latrocinetur. Contrà verò, quia in loco latronum receptatore & occultatore repertus est, quódque nocte intempesta per vrbem grassari tanquam sicarius sit deprehẽsus, ideo in latrocinij suspicionem, tametsi theologus sit, venit. Vides in hac quæstione, An Socrates (vt sic eum appellemus) vir theologus in loco latronum receptatore nocte intẽpesta repertus, latro sit. In hac, inquam, quæstione vides, rem controuersam fieri, quia circunstan-

tiæ personæ cum rei circunstantiis dissident. quare dubius es, & animi pendes, vtri circunstantiæ, personæne, an tempori vel loco credas. cùm enim illi subscribis, hæc ad se te reuocant: cũ his verò credis, illa te reuocat ad se, & vt sibi credas inducit. Eandem (vt dixi) propter eas quas exposui rationes, Latini controuersiam vocant, quam simili argumento, causam quoque nominant, quia litigatores vel eorum patroni, nunc personam, nunc locum, nunc tẽpus causentur & accusent, id est, in confirmationem facti vel refutationem, personam, locum, tempus, tanquam causam, id est, rationem faciendi vel non faciendi, sæpius adferunt. Eam quæstionem Græci ἀνάθεσιν vocant. Rodolphus Agricola scribit, ἀνάθεσιν & quæstionem conditionalem non differre: sed quàm rectè dicat, viderit. Nemo mehercule negauerit, hãc quæstionem esse conditionalem, An si qua mulier est adultera, est & venefica: eam tamen quæstionem quis ἀνάθεσιν dixerit, cùm definita quæstio non sit? è contrario hæc est ἀνάθεσις, An Milo Clodium iure occidit. hæc inquam hypothesis est: nam controuersia est, at quæstio conditionalis non est. vnde fit, vt quæstio conditionalis & hypothesis eædem non sint. De quæstione finita hactenus. nunc de infinita dicendum. Ea circunstantiarum complexu non constat, neque personis, locis, temporibus notata est: vt, An sit regnãdum? in qua quæstione nullam circunstantiam vides, non personam, non locum, non tempus, sed res nuda sine suis qualitatibus per interrogationem proponitur. eam Græci θέσιν nominant, nos ad verbum positionem vocare possumus: Latini verò nunc propositum, nunc consultationem appellant. Propositum quidem, quia res nuda detractis circunstantiis in quæstione ponitur. Ego tamen propositum alia ratione vocari, ducta similitudine à propositione, puto. vt quemadmodum propositio est rei nudæ in angustum contracta expositio: narratio verò non rei modò est, verùm etiam circunstantiarum latior & fusior explicatio: sic propositum fiet, si nudæ propositioni interrogatio addatur: & narratio in controuersiam, id est, definitam quæstionem conuertetur, si cum interrogatione proferatur. Nam definita quæstio ex narratione, infinita ex propositione, adiecto interrogandi signo, descendit. Quapropter infinita quæstio propositum à propositione in dubium reuocata dicitur. vt enim in narratione res cum suis circunstantiis explicatur, in propositione simplex & nuda rei substantia detractis circunstantiis frequenter exponitur: sic definita quæstio rem suis implicitam circunstantiis interrogat, infinita verò de re sola sine circunstantiarum complexu quærit. Vnde non iniuria, sicuti dictum est, propositum vocatur. Propter eandem causam infinita quæstio consultatio vocari potest, quod in consultatione sæpius locum habeat quàm controuersia. Nam in deliberatione frequentius proponimus quàm narramus. Est enim, vt inquit Cicero in Partitionibus, narratio præteritarum rerum aut præsentium, deliberatio futurarum. Itaque cum in deliberatione non narremus, sed rem nudam breuiter proponamus, si propositioni interrogationem adieceris, ex propositione propositum, id est, consultationem habiturus es. quare propositum non iniuria consultatio vocatur. Consultationem Græci θέσιν dicunt. Rodolphus thesin cum prædicatoria quæstione confundit, nihil inter vtranque interesse putans. Verùm latum esse discrimen, ratione conuincemus. Nam quæstio prædicatoria dicitur, quæ ex prædicatorio pronunciato adiecta interrogatione nascitur. vt hoc est prædicatorium pronunciatum, Milo Clodium iure occidit. quod si cum interrogatione proferas, quæstio prædicatoria fiet, hoc modo, An Milo Clodium iure occidit? at thesis non est, sed sicut constat hypothesis, vtpote quæ circunstantiis definitis notetur. Itaque quæstio prædicatoria, & thesis, lato discrimine differunt. Propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus.) Aduersus ea quæ nuper diximus, obiectio nascitur. nam cum propositum, id est, infinitam quæstionem definiuimus, circunstantiis carere diximus. id quod ei repugnat, quod Cicero nunc dicit: Propositum autem in aliquo, aut in pluribus, nec tamen in maximis cernitur. quasi dicat, propositum aliqua circunstantia aut pluribus constat. Quo fit, vt propositum circunstantias habere videatur. Verùm hic scrupus sic eximi potest. Propositum caret circunstantiis certis & notis, id est, expressis & definitis: at infinitas & indeterminatas, nec propriis nominibus explicatas circunstantias habere potest. vt cùm quæro, An vxor ducenda sit: propositum est, in quo tamen est persona latens, vxor: sed quænam sit ea, non definitur. quæ si notaretur, & suo nomine designaretur, nequaquam propositum foret, sed quæstio definita, vel controuersia verius appellaretur: vt, An Martia ducenda sit vxor? nunc ergo nomen eius personæ de qua quæritur exprimo, & circunstantiã eius definio: quippe qui præter vxorem, quod est incertum personæ nomen, Martiam quoque addam, quod certam personam designat.

Illic verò in proposito de persona incerta indeterminatè & indefinitè quærebam, an vxor ducenda esset. quapropter propositũ indefinitam quæstionẽ meritò vocabam, cũ certis & definitis circunstantiis careat, infinitas verò habeat. Nec tamẽ in maximis.) Sunt qui maximas circunstãtias personam, locum, tempus interpretãtur, hoc modo, vt dicant in proposito cæteras circũstantias posse reperiri, personã verò, locum, & tempus nõ posse. & in hac sententia Christophorus Hegendorphinus est, neq; ab eius interpretatione Philippus Melãchthon recedit, qui hũc locũ sic intelligi putat. Nec tamen in maximis circunstantiis propositũ cernitur, id est, θέσις nõ tam multos locos recipit q̃ ὑπόθεσις. vt si exemplis Philippo Melanchthoni familiaribus vti liceat. Liceátne gerere bellum Christiano? habes vnũ tantùm locum, videlicet Christiano licet magistratũ gerere: ergo etiam bella. sic vides ad hanc quæstionem infinitã, Licétne bellum gerere Christiano, vnum tantùm locũ accommodari, qui est, Christiano licet magistratum gerere. & si quæratur, an bellandũ sit cũ Turcis: ὑπόθεσις est, vt Melanchthoni placet, sed an rectè, viderit. quippe quæ circũstãtias definitas nõ habeat, nisi Turcas pro definitis circunstãtiis accipere velis: quod si accipias, illa superior quæ est, Licétne bellum gerere Christiano: nõ thesis, sed sicut hæc, hypothesis erit, videlicet quia nomen Christiani in illa determinetur, vt in hoc Turcarũ. Sed sit hæc hypothesis, vt inquit Melanch. demúsq; eam recipere longè plures locos q̃ superior illa recipiat: vt de Turcico latrocinio, quod mutat religionem & totam pristinã formam Reipub. Sed neutram, neq; Hegendorphini, neq; Melanchthonis expositionem Ciceronianæ respõdere cognoscet, qui legerit id quod paulò pòst Cicero dixerit: Sed omnis quæstio earum aliqua de re est quibus causæ cõtinentur, aut vna, aut pluribus, aut nonnunq̃ omnibus. id enim sonat, Omnis thesis, aut vna circũstantia, aut pluribus, aut nonnunq̃ omnibus circunstãtiis cernitur, quia circunstantiæ sunt quibus causæ cõtinentur. Causa enim certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Quòd si (vt Cicero vult) thesis omnibus circunstantiis aliquando cernitur, verum non est quod dicebat Hegendorphinus, in thesi personam, locum, & tempus nõ esse. nam persona, locus, & tempus circunstantiæ sunt, quas omnes in thesi nonnunquã reperiri Cic. docet. Cæterũ si falsa est Hegẽdorphini expositio, Melanchthonis simul expositio falsa est: qui inquit, thesin non tot locos recipere quot hypothesis recipit. Nam loci nulli alij sunt, nisi personarum & rerum circunstantiæ, vt Quintil. cap. 8. lib. 5. docet, vbi ait: Nec esse argumentorũ loci possunt, nisi qui rebus aut personis accidunt: atqui ea quæ rebus aut personis accidunt, rerũ & personarum circunstantiæ sunt. Itaque cùm authore Cicerone thesis omnes circunstantias recipiat, omnes quoq; locos recipiet: at si omnes locos recipit hypothesis, nõ plures locos quàm thesis recipiet. De cæteris circunstantiis dubium non est, quin thesis eas recipiat, vt Hegendorphinus ait: sed idem negat personã, locum & tẽpus in thesi reperiri, quas ille maximas circunstantias appellat. Sed quòd persona, locus, & tẽpus in thesi reperiantur, Quintilianus lib. 3. testatur, qui hanc esse thesin dicit, An in tyrannide Respub. sit administranda? in qua subest latẽs persona, necnon tẽporis & qualitatis tacita vis. Itaque testimonio Quintiliani constat, in thesi, vt in proximo exẽplo, personã & tempus esse. Quòd autẽ & locus sit, probari facillimè potest: vt, éstne adulterum in lupanari fas occidere? Lupanar locus est, in quo omnis quæstio versatur. Nã adulterum occidi lex permittit, in lupanari tamen nõ permittit. Quare si in lupanari occisus sit, cædes est. Ex superioribus apparet, personam, locum & tẽpus non esse maximas circunstãtias. Nã maximæ circunstantiæ in thesi, Cicerone teste, nõ reperiuntur. At reperiuntur persona, locus, & tẽpus, vt probatum est. Quas ergo maximas circunstãtias Cicero vocat? nempe certas, & notas, & propriis nominibus expressas: quo sensu maximæ circunstantiæ, id est, certæ & notæ, in thesi non inueniũtur, sed solũ in hypothesi, id est causa, locũ habent. Nã cùm Cicero causam definiret, dixit eã certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cerni, aut in omnib⁹ aut ĩ plerisq; eorũ. Quòd autẽ in thesi eiusmodi circunstantiæ non notentur, id est neq; certæ, neq; expressæ sint, Cicero in Partitionibus testis est, vbi inquit: Alterum genus quæstionis infinitum, nullis neque personis, neque tẽporibus notatum, propositum voco. notatum dixit, quasi non finitum, neq; determinatum dicere vellet, quod in suis finibus & terminis nullas circunstantias quærit. Est itaq; pars causæ propositum, cùm causa propositum & præter propositũ circunstantias etiam cõprehendat. Sed quæri potest, si propositum pars sit causæ, quare ergo propositum generalis quæstio, & causa specialis vocatur? cùm generalis sit amplior & latior quàm specialis, pars verò non sit latior toto. Hæc obiectio sic diluitur. Quemadmodũ, vt inquit Porphyrius cap. de Differentia, genus pars est speciei, (est enim materia)

& insuper differentia pars est (est enim forma,) cũ ex genere & differentia speciei substantia tanq̃ totum ex partibus coalescat: sic propositum tametsi sit generalis quæstio, causa verò specialis, pars tamen causæ dicitur. Nam vt species quæ totum est, genus & differentiã tanquam suas partes cõtinet: ita causa propositum, & insuper circunstãtias complectitur. ideoq; propositũ quæstio generalis dicitur, quòd in vniuersum de re interroget, & per omne genus vagetur, nec huic rei magis quàm illi sit additum, nullísque finibus aut terminis coërceatur. Insuper alia ratione propositum pars esse causæ dicitur, quòd quemadmodũ pars est in toto, ita propositum est in causa, quod & in Partitionibus Cicero confirmat, dicens, Sed est consultatio, id est propositum, quasi pars quædam causæ, & controuersiæ. ineſt enim infinitum in definito, id est, indefinita quæstio sub definita continetur. vt si quæratur, an Martia vxor sit ducenda Catoni: prius est, vt quæratur, an ducendæ sint vxores. nam nisi ducendas esse constiterit, ridiculum erit quærere, sitne Martia Catoni ducenda. Bene itaque Quintil. inquit, vt non est satis tractasse generalem quæstionem, sic ad specialem peruenire non possumus, generali prius nõ discussa. Quapropter specialis quæstio, quam definitam diximus, ad generalem, id est, ad infinitam quæstionem deferenda est: non autem infinita ad finitam, vt plerique hallucinantur. id quod secundo libro de Oratore Cicero in persona Antonij probat, vbi dicit: Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quòd hoc quidem ad dicẽdum magnopere pertineat, sed tamen vt uideatis quàm sit genus hoc eorum qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum. vnum appellant, in quo sine personis atque temporibus de vniuerso genere quæratur: alterum quod personis certis & temporibus definiatur: ignari, omnes controuersias ad vniuersi generis vim & naturam referri. Nam in ea ipsa causa, de qua autè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij persona, nihil Decij. de ipso enim vniuerso genere infinita quæstio est: Num pœna videatur esse afficiendus, qui ciuem ex Senatusconsulto patriæ conseruandæ causa interfecerit? cùm id per leges non liceat. Nulla deniq; est causa, in qua id quod in iudicium venit, ex reorum personis, ac non generum ipsorum vniuersa disputatione quæratur. quin etiam in his ipsis vbi de facto ambigitur, ceperítne contra leges pecunias Publius Decius, argumenta & criminum & defensionis reuocentur oportet ad genus, & ad naturam vniuersam: quòd sumptuosus, de luxuria: quòd alieni appetens, de auaritia: quòd seditiosus, de turbulentis & malis ciuibus: quòd à multis arguitur, de genere testiũ. contráque, quæ pro reo dicentur, omnia necessariò à tempore atque homine ad omnes rerum & generum summas reuoluentur. Atque hæc forsitan homini non omnia quæ sunt in natura rerum celeriter animo comprehendenti, permulta videntur, quæ veniant in iudicium, tum cùm de facto quæratur, sed tamen criminũ est multitudo, non defensionũ aut locorum infinita. Quæ verò cùm de facto nõ ambigitur, quærũtur, qualia sint, ea, si ex reis numeres, & innumerabilia sint & obscura: si ex rebus, valde & modica & illustria. Nam si Mancini causam in vno Mancino ponimus, quotiescunque is quem pater patratus dediderat, receptus non erit, toties causa noua nascetur: sin illa controuersia causam facit, videatúrne eũ quem pater patratus dediderat, si is non sit receptus, postliminium esse, nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis Mancini nomẽ pertinet. ac si quid adfert præterea hominis dignitas aut indignitas, extra quæstionem est, ea tamen ipsa oratio ad vniuersi generis disputationem referatur necesse est. Hoc ego non eo consilio disputo, vt homines eruditos redarguam: quanquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis & in temporibus positas esse: nam etsi incurrant tempora & personæ, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex quæstionis genere pendere causas. Sed hoc nihil ad me. nullum enim nobis certamen cum istis esse debet: tantùm satis est intelligi, ne hoc quidem eos esse consequutos, quod in tanto ocio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, vt genera rerum discernerent, eáque paulò subtilius explicarent. Verùm hoc, vt dixi, nil ad me attinet. deinde paulò pòst: Huius quidem loci, quem modò sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius, quoniam intelligitur non in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atq; naturis omnia sita esse, quæ in dubium vocarentur. Genera autem esse definita non solùm numero, sed etiam paucitate, vt eam materiam orationis, quæ cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicẽdi, omnibus locis descriptam, instructam, ornatámque comprehenderent, rebus dico & sententiis. Ex iis paratum est colligere, falsum esse Boëtium, qui thesin non ad oratorem, sed dialecticum: & hypothesin non ad dialecticum, sed ad

oratorem pertinere scripsit, cùm contrario modo res potius habeat, id quod Quintilianus lib. 3. clarè docet, qui capite quinto dicit: Nescio an quicquid in causis in quæstionem qualitatis cadit, non generale sit, vt Milo Clodiũ occidit, iuréne insidiatorem occiderit? nónne hoc quæritur, an sit ius insidiatorem occidẽdi? ita in coniecturis nónne illa generalia sunt: an odium, an cupiditas causa sit sceleris, an in tormentis credendum testibus, an argumentis maior adhibenda fides? nihil denique nõ in vniuersum definitione cõprehenditur. omnis enim definitio generalis est. quod autem è contrario pertineat ad dialecticos hypothesis, ostenditur hoc modo: Dialectici finis est verisimiliter disserere: verisimilia verò, vt Cicero in Partitionibus tradit, ex personis, tẽporibus, locis, & cæteris circũstãtiis petuntur. Itaque hypothesis, quæ est in complexu circunstantiarum posita quæstio, ad dialecticum pertinebit, qui ex verisimilibus disserit. Sed omnis quæstio.) Omnis infinita quæstio, vel vnam, vel plures, atque adeò omnes nonnunquam circunstãtias, quibus causæ continentur, licet latentes, nec determinatas aut definitas habet: vt est hæc, Estne Respublica administranda in tyrannide? in qua quæstione tres circunstantiæ latent, persona tyranni, tempus quo Respublica in tyrannide administratur: & forma, vel si mauis, qualitas Reipub. puta tyrannis. Quæstionum autem, quacunque de re sint, duo sunt genera, vnum cognitionis, alterum actionis.) Omnis infinita quæstio, vel cognitiua, vel actiua est, quacunq; de re sit: id est, siue de persona, siue de loco, siue de tẽpore, siue de aliis circunstantiis in vniuersum quæratur. Cognitiua quæstio est, cuius finis est scientia. vt si quæras, an mundus sit æternus: cognitiua quæstio erit, quippe qui eum tantùm in finem interroges, vt scias, non autem vt quicquam agas. Eodem modo si quæratur, an à natura ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum, & pactione? quod vbi scieueris & cognoueris, nihil amplius quæres, sed eius rei scientia contentus quiesces. Quod autem Cicero de iure quærit, animaduertendum, ius esse quoddam naturale, quod natura omnia animalia docuit, vt est tuitio sui, & vlciscendi ius: id quod Cicero Offic. 1. testatur, cùm inquit, Principio generi animantium omni est à natura tributũ, vt se, vitam, corpúsque tueatur, declinétq; ea quæ nocitura videantur, omniaq; quæcũque ad viuendum sint necessaria, adquirat & paret, vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. Commune autem animantium omnium est, coniunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt. Ex hoc genere (vt Iustinianus ait) descendit maris atq; fœminæ cõiugatio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, & educatio. quoddam etiam ius ab hominibus institutũ est, quod ius gentium appellatur, idque generis humani proprium est. Nam vsu exigente & humanis necessitatibus, gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt. bella enim orta sunt, & captiuitates sequutæ, & seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur, & ex hoc iure gentium omnes penè contractus introducti sunt, vt emptio & venditio, locatio & conductio, societas, depositum, mutuum, & alij innumerabiles. & hæc de cognitiua quæstione dixisse sufficiat. Actiuam nunc explicemus. Ea non tam ad cognoscendum, quàm ad agendum pertinet, vtpote cuius finis sit actio: vt, Sitne sapientis ad Rempub. accedere? qui hoc quærit, non tam percontatur vt sciat, quàm vt vbi sciuerit agat, id est, vbi cognouerit ad Rempub. accedendum esse, ad eandem accedat, & eandem administret, si scierit tutũ esse ad Rempublicam accedere. Bene Cicero, sitne sapientis ad Rempublicam accedere, interrogat. nam Plato eam demum Rempublicã fœlicem esse dicebat, quam philosophi regerent, vel in qua reges philosopharentur.

LATOMVS. Causa certis personis.) Causa, quæstio specialis est, quã circunstantiæ faciunt: quæ quo plures fuerint, tãto arctius eam adstringunt. Propositum, quæstio generalis est, quæ & ipsa pro circunstantiarũ numero adstringitur vel dilatatur. Hæc pars est causæ, sicut genus speciei, in qua ipsum includitur, vt animal in homine. Est autem omnis quæstio de earũ rerũ aliqua, quibus causæ cõtinentur, hoc est de persona, re, causa, loco, tẽpore, modo: quibus per se spectatis, omnis rerũ natura cõprehenditur: accedentibus autẽ negotio, circunstantiæ vocantur, & causam efficiunt.

HECENDORPHINVS. Causa certis personis.) Vt cùm quæritur, An Catoni ducenda sit vxor Romæ? An Cicero suam Terẽtiam propter philosophiæ studium repudiauerit?

Propositum autem.) Vt si quæritur, An sit ducenda vxor, an sit repudianda vxor hoc tempore: vnum aliquod, aut duo ad summum, nec tamen maxima, nempe persona & locus exprimuntur.

Pars causæ est.) Quia quæstio infinita in quæstione definita comprehenditur. A naturáne ius profectum sit.) Videtur distinguere Cicero ius naturale à iure gentium, cùm reuera alterum ab al-

tero specie non distinguatur, sed potius aduentitia quadam qualitate. Vtrunque enim ex communibus primis principiis rationis operariæ oritur, nisi quòd ius naturale absolutè & simpliciter, ius verò gentium discursu & moribus adminiculantibus prodiit, quæ omnia iurisc̃ōsultus in l.1.§.1.cum legibus consequentibus, de Iustitia & iure, ostendit.

COVEANVS. Expositis omnibus argumentandi locis.) Expositis locis omnibus omnium probationum, tam artificiosarum, quàm earum quæ sine arte sunt, locos quæstionibus diuisurus orator, principio quæstionum diuisionem huiusmodi inducit: Quæstionum duo esse genera, infinitum alterum, alterum definitum: hoc Græci ἀπόθεσιν, quoniam sub thesi, hoc est, sub quæstione de genere vniuerso ponitur, Latini causam verbo forensi nominant. res enim siue causa quæ in forum & iudicium venit, finita est personis, locis, temporibus, negotiis. Genus autem illud infinitum Græci θέσιν, quoniam eiusmodi de genere quæstiones ponantur ad disputandum: eademq; ratione Cicero propositum appellat: idémque hoc genus aliis in locis cōsultationem vocat, quòd qui de iure respondent, de genere vniuerso semper consuluntur. Quam diuisionem quæstionum meritò, meo quidem iudicio, apud Ciceronem 2. de Orat. irridet Antonius: sic enim disserit, Atque hîc illud vidēdum est, in quo summus est error istorum magistrorum ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen vt videatis quàm sit genus hoc eorū qui sibi eruditi videntur, hebes atq; impolitū. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum: vnum appellāt, in quo sine personis atque tēporibus de vniuerso genere quæratur: alterum, quod personis certis & temporibus definiatur: ignari omnes controuersias ad vniuersi generis vim & naturam referri. Nam in ea ipsa causa de qua antè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij persona, nihil Decij. De ipso enim vniuerso genere infinita quæstio est: num pœna videatur esse afficiendus, qui ciuem ex senatusconsulto patriæ conseruandæ causa interfecerit, cùm id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id quod in iudicium venit, ex reorum personis, ac nō generum ipsorum vniuersa disputatione quæratur. Quinetiā in iis ipsis vbi de facto ambigitur, Ceperitne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum & defensionis reuocentur oportet ad genus, & ad naturam vniuersam: quòd sumptuosus, de luxuria: quòd alieni appetēs, de auaritia: quòd seditiosus, de turbulentis & malis ciuibus: quòd à multis arguitur, de genere tēstium: cōtráque quæ pro reo dicentur, omnia necessariò à tempore atque homine ad communes rerum & generum summas reuoluentur. Quæ verò cùm de facto non ambigitur, quæruntur, qualia sint, ea, si ex reis numeres, & in numerabilia sunt, & obscura: si ex rebus, valde & modica, & illustria. Nam si Mancini causam in vno Mancino ponimus, quotiescunque is quem Pater patratus dediderit, receptus nō erit, toties causa noua nascetur. Sin illa cōtrouersia causam facit, Videatúrne ei quem Pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicēdi nec ad argumenta defensionis, Mancini nomen pertinet. At si quid affert præterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quæstionem est: & ea tamen ipsa oratio ad vniuersi generis disputationem referatur necesse est. Hæc ego non eo consilio disputo, vt homines eruditos redarguā: quanquā reprehendendi sunt, qui in genere definiēdo istas causas describunt in personis & tēporibus positas esse. Nā etsi incurrunt tēpora & personæ, tamen intelligēdum est, nō ex iis, sed ex genere quæstionis pendere causas. Hæc Antonius, & multa præterea alia in eandem sententiam. Anauráne ius.) Stoici, quorū sententiā lib.1. de Legib. perbellè explicat Cicero, ius à natura ortū existimabant, nō ab hominum institutis. Sítne sapientis.) Epicurus sapientis esse negabat, ad Rempub. accedere.

COMMENTARIVS. Expositis.) Nūc Cicero locos singulis aptat quæstionibus, propterea quòd quidam in aliquas cadunt quæstiones: sed vt optima sit accōmodatio, necessaria est quæstionum diuisio, quam Aristoteles præposuit locis, Cicero postposuit. In omnem quæstionem.) Itaq; docebit qui loci sæpius in quanq; cadant quæstionem. vt in coniecturam cadit locus aduinctorum, non cadit locus finitionis. Quæstionum duo &c.) Videtur Cicero hanc diuisionē duxisse partim ex primo Topicorum, in quo Aristoteles agit de quæstione infinita, quam appellat protasin & problema: partim ex Rhetoricis ad Theodecten, in quibus agit Aristoteles de causa, id est, de quæstione finita. ἀπόθεσιν.) Rodolphus Agricola has quæstiones accipit pro prædicatiuis & hypotheticis, id est cōditionalibus. sed illum fefellit appellatio. putauit enim ita appellari quæstionem hypotheticam, vt propositionem hypotheticā, cùm dicatur hypothesis quia sit sub thesi. Causa certis.) Nam personæ vniuersales non certæ thesin efficiunt, nō hypothesin: vt si quæras, an tyrannus

cum aliquo amicitiam cõtrahere debeat. Propositum autem.) Propositum semper aliquam habet circunstantiam, quia est aut de re aut de persona: nec tamen circunstantiam habet certã & definitam, sed fusam & vagam. Quidam in Cicerone interpretãtur maximas circunstantias, quæ maximè faciunt hypothesin, qualis est persona, locus, & tempus. Itaq; propositum &c.) Propositũ appellat causæ partem, propterea quòd causa propositum in se cõtinet, & circunstantias, vt duabus his cõstare videatur partibus. Alio sensu causa pars est propositi, vt singulare vniuersalis. Sed omnis.) In vetusto legitur, si omnis quæstio: vt reddatur causa quamobrem propositũ pars est hypotheseos: quoniã cùm propositum habeat circunstantias, eas mutuatur à causa. Quibus causæ cõtinentur.) Nam propositum omne aut de re est, aut de persona, sed nondum definita. inde autem oritur omnis circunstantia, & circunstantia vniuersalis est in singulari. Quæstionum autem.) Mutuatus est hanc diuisionem ex 9. cap. 1. lib. Topicorum. Eodem enim modo diuidit problemata Aristoteles. Addit præterea quædam media, quæ per se neq; ad actionem neq; ad cognitionem pertinent. Ita autem habendum est, has quæstiones peti à fine, non (vt vult Rodolphus) ab artium diuisione. A naturáne &c.) Putant nõnulli philosophi à natura ius ortum, propterea quòd natura communes habemus iustitiæ notiones impressas. Alij philosophi existimãt ab hominum institutione, propterea quòd in contractibus prisci illi homines seruauerunt quandam iustitiam & fidem: vn de institutum est scripto iure vt ea seruaretur. Sítne &c.) Hoc cõtrouersum fuit inter philosophos. nam Epicurus planè vetat ne sapiens accedat ad gubernationem Reipub. Est enim eius dogma tale: Late quandiu vius.

Cognitionis quæstiones tripartitæ sunt, cùm an sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur. Horum primum coniectura, secundum definitione, tertium iuris & iniuriæ distinctione explicatur. Coniecturæ ratio in quatuor partes distributa est. Quarum vna est cùm quæritur, sítne aliquid. Altera, vnde ortum sit. Tertia, quæ id causa effecerit. Quarta, in qua de mutatione rei quæritur, sit nécne: sic, Ecquidnam honestum sit, ecquid æquum reuera, an hæc tantùm in opinione sint. Vnde autem sit ortum, vt cùm quæritur, natura, an doctrina possit effici virtus. Causa autem efficiens sic, vt cùm quæritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione sic: Possítne eloquentia commutatione aliqua conuerti in infantiam. Cùm autem quid sit quæritur, notio explicãda est, & proprietas, & diuisio, & partitio. Hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiã descriptio, quam Græci *κατα γραφὴν vocãt. Notio sic quæritur, sítne id æquum, quod ei qui plus potest, vtile est. Proprietas sic, in hominémne solum cadat an etiam in belluas egritudo. Diuisio, & eodem pacto partitio sic, triáne genera bonorum sint. Descriptio, qualis sit auarus, qualis assentator, cæteráque eiusdẽ generis, in quibus natura & vita describitur. Cùm autẽ quæritur quale quid sit, aut simpliciter quæritur, aut cõparatè. Simpliciter, expetendáne sit gloria. Comparatè, præponẽdáne sit diuitiis gloria. Simplicium tria genera sunt, de expetẽdo fugiendóque, dee quo & iniquo,

Cognitionis
Sítne aliquid
Natura an doctrina
commutatione aliqua
Notio
Sítne id æquum*. Boëtius κατα γραφὴν. Victorius χαρακτῆρα.
Quæstio quale quid sit.

de honesto & turpi. Comparationum autem duo, vnum de eodem & alio, alterum de maiore & minore. De expetendo & fugiendo huiusmodi: Si expetendæ diuitiæ, si fugienda paupertas. De æquo & iniquo, equúmne sit vlciſci, à quocunque iniuriam acceperis. De honesto & turpi, honestúmne sit pro patria mori. Ex altero autem genere quod erat bipartitum, vnum est de eodem & alio: vt si queratur, quid interſit inter amicum & assentatorem, regem & tyrannum: Alterum de maiore & minore: vt si quæratur, eloquentiáne pluris sit, an iuris ciuilis scientia. De cognitionis quæstionibus hactenus.

VISORIVS. Cognitionis quæstiones tripertitæ sunt.) Quæstio cognitiua triplex est. vna coniecturalis, qua sit necne, aut fuerit futurúmue sit, quæritur. altera finitiua, in qua cùm de facto constat, de nomine facti quæritur: id est, quid sit, quóue nomine sit appellãdum id quod factum est. Tertia qualitatis est, quæ de iure & iniuria quærit, vbi de facto simul & nomine facti conuenit. Quæstio an sit, propterea coniecturalis appellatur, quòd coniectura explicetur. Nam coniecturæ facti suspicionem mouent: & factum necne sit coniecturis colligere possumus. Dicta est autem coniectura à coniectu, id est, à directione quadam rationis ad veritatem. Est enim coniectura incertæ rei iudicium, ab aliquo manifesto signo, aut suspicione, aut ex vultu eius, de quo agitur: Vt deprehensus est quispiam corpus recens in solitudine sepelire: hic cædis reus sit à sepeliendo: & ex sepultura quæ manifesta est, inuestigamus incertum, hoc est, qui author cædis fuerit. hæc Hermogenes capite tertio libri primi Rhetoricorum. Quæstio quid sit, ideo definitiua vocatur, quia definitione explicatur, quo nomine sit afficiendum. Vt siquis in templo pecuniam furatus sit, & sacrilegij reus agatur, neget tamen se sacrilegum esse. Accusator sacrilegum definiet: & si sacrilegij definitio ei quod factum est conueniat, nomen quoque sacrilegij conueniet. Est autem definitio, vt Quintilianus ait, rei propositæ propria, dilucida, & breuiter comprehensa verbis enunciatio: vt, sacrilegium est rei sacræ in loco sacro furtum commissum. Denique tertia quæstio propterea dicitur qualitatis, quòd ea iuris & iniuriæ (quæ qualitates sunt) distinctione explicetur. Est autem qualitas animi vel corporis affectio, à qua denominationem meremur, vt à iustitia iusti, iustéque fecisse ducimur. Qualitatis hæc est quæstio, An Clodius insidiator iure sit à Milone cæsus. non enim de facto quæritur, nam cæsum esse constat: neque de nomine facti, quia cædem esse cõuenit. itaque superest, vt de qualitate dicatur: id est, iure an iniuria sit cæsus. Rodolphus Agricola capite decimo libri secundi, Ciceronem reprehendit, quòd quæstionem cognitionis tripartitã fecerit, an sit, quid sit, & quale sit: his rationibus in Ciceronem vtitur. Philosophus moralis potest quærere an sit virtus & quid sit. atqui philosophia moralis non est cognitiua, sed actiua: igitur quæstiones An sit, & Quid sit, actionis sunt, nec magis cognitionis. Ille insuper addit, malè dictũ à Cicerone fuisse, qualitatem iuris & iniuriæ distinctione explicari, si qualitas cognitionis sit, vt Cicero voluit. Nam ius & iniuria non ad cognitionem, sed ad actionem pertinent. quo fit, vt secundum sententiam Rodolphi, quæstiones, an sit, quid sit, tam cognitionis quàm actionis sint. qui cognitiuas & actiuas quæstiones aliter quàm Cicero separat, eas inquiens cognitiuas esse quæ ad artes cognitiuas pertinent, vt sunt naturales. actiuas verò quæ ad artes ac scientias actiuas referuntur, cuiusmodi morales sunt: idque rectè. nec minus rectè tamen Cicero, qui cognitionis quæstiones eas facit, quarum ea facies est, ea natura, vt quantum in ipsis sit, ad cognitionem referantur, cuiuscunque sint artis. Actiuas verò, quæ pari ratione non tam ad cognitionem, quàm ad actionem & vsum pertinẽt. Idem Rodolphus capite septimo libri eiusdem, aliam ob causam Ciceronem arguit, quòd quæstionibus oratoriis an sit, quid sit, & quale sit, subiecerit, & eas omnes ad oratorem pertinere dixerit, cum tamen Rodolphus coniecturalem quæstionem & finitiuam oratoris esse neget. solámque qualitatẽ oratori subiiciat: ísque non inualidis argumentis idipsum confirmat. An sit, pri-

mum est quod vlla de re quæri potest, cuiusmodi certum est nihil quæri in foro. neque enim an furtum fecerit Trebius, primum est quod in hac quæstione quæri possit. prius enim dicet reus (vt inquit Quintilianus) proba te habuisse, proba perdidisse, deinde proba mea fraude perdidisse: hoc postremum est, de quo quæritur: ad quod tamen nisi prioribus quæstionibus explicatis, peruenire non potest. Sic an Roscius parricidium commiserit, negat Rodolphus quæstionem esse an sit: non enim id primum est quod de re quæri possit: sed an Roscius vnquam fuerit, an commissum sit parricidium, primum quæritur: posterius, an à Roscio commissum. Itaque licet sit coniecturalis quæstio, non tamen an sit (teste Rodolpho) vocari potest, & ea ipsa nullæ aliæ sint quæstiones priores. At ea quæstio omnium prima est, qua an sit res, quæritur. Verùm id solui potest hoc modo: Primum in causis dupliciter dicitur, natura ipsarum rerum de quibus quæritur, & consuetudine eorum qui in foro causas agunt. verbi causa, vt si quæratur, an Deiotarus rex insidias Cæsari fecerit: quantum ad naturam rei pertinet, quæri prius poterat, an fuerat vnquã Deiotarus, an Cæsar, an insidiæ factæ sint: Deinde an Deiotarus Cæsari fecerit insidias. atqui illarum quæstionum quæ hanc præcedunt, nulla in forum cadet. Quo fit, vt si rei naturam spectes, in forum nõ veniat id quod de re primũ quæri potest. At si rationem habeas consuetudinis eorum qui causas agunt, primum erit quod de solo nomine quæratur, An Deiotarus rex Cæsari insidias fecerit: & hoc modo quæstio an sit, in forum venire potest. Addit insuper ille, nec quæstionem quidem Quid est, forensem esse: idque ita confirmat, si de facto constet, proximum est vt de nomine facti quæratur. itaque solo nomine in quæstionem venit, id est, quo nomine id quod factum est appellari debeat. Nihil de definitione quæritur. vt enim de facto constat, sic de definitione conuenit. sed hoc in controuersiam adducitur, an hoc sit facti nomen: atqui nomẽ definitio nõ est, cùm de eo solo quæritur. ergo nõ de definitione quæretur, vt quispiam in loco sacro pecuniam furatus est. Sed Cicero contra Rodolphum sic defendi potest: licet de solo nomine quæratur, neq; nomen sit definitio, non poterimus tamẽ cognoscere an nomen facto conueniat, nisi naturã nominis definitione explicuerimus. Sic enim nomen facto conuenire colligemus, si nominis definitio conueniat: non potest cuiquam definitio competere, quin eidem cõpetat id cuius est definitio. Coniecturæ ratio in quatuor partes distributa est.) Quæstio coniecturalis quadripartita est, sit nécne, vnde ortum sit, quæ causa effecerit, mutari nécne sic possit. quarum partium hæc sunt exempla. Primæ, sit necne aliquid honestum: id est, propter se expetendum. an quicquam re vera sit æquum, id est, quod ex summo illo iure plurimum remittit, an potius honestum & æquum opinione, quàm re vera sint. Secũdæ, vt an virtus à natura ortum ducat, an à doctrina. ab vtraque sanè, nam à natura inchoatur, & doctrina atque vsu perficitur. Tertiæ, vt quibus rebus eloquentia efficiatur. illa certè legendo, dicendo scribẽdo paratur. Quartæ verò sic, an eloquentia in infantiam mutari possit. Infantia autem est eorum, qui orationis facultate destituti sunt: id quod etymologia declarat. Dicitur enim infans, quasi non fans. i. qui fari nõ potest, vt apud Cic. pro Cluentio, Cum verò ita eßẽ perturbatus vt omnia timerem, si nihil dixissem, ne infantißimus, si multa in eiusmodi causſa dixissem, ne impudentißimus existimarer. Et ad Q. fratrem: Gabinius absolutus est. nihil illo accusatore Lentulo subscriptoribúsque eius infantius. Tum libro tertio de Oratore: Dummodo hoc constet, neque infantiam eius qui rem norit, sed eã explicare dicendo nõ queat, neq; inscitiã eius cui res non suppetat, verba non desint, esse laudãdam, quorũ si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultam loquacitatem. Tum in Oratore perfecto: Res autem sic se habet, compositè & ornatè sine sententiis dicere, insania est. Hac de re Gellius & Budæus meminerunt. Has quatuor cõiecturæ partes Cicero in partitionibus ad duo genera reuocat. Vnum est, in quo quærimus, possit nécne aliquid effici. vt cum quæritur: Ecquisnam perfectè sapiens esse possit: Alterum, quemadmodum quicque fiat: vt, quónã pacto virtus pariatur, natura, an ratione, an vsu? Hactenus de coniectura. Cum autem quid sit quæritur.) Quæstioni finitiuæ quinq; tribuuntur, notio, proprietas, diuisio, partitio, & descriptio. Notionem hic accipe pro ratione substantiæ, id est, pro conceptu & intellectu substãtiali. vt enim rem aliquã probè definire possimus, eius naturam cognitam, exploratam, & animo nostro impressam habere debemus. Notionem Cicero paulò antè dicebat à Græcis tũ ἔννοιαν, tum πρόληψιν vocari: eámque hoc modo definiebat, Notio est insita & antè percepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens: quale est genus, quod suam formam cognitione præcedit. Proprietas est, quæ ei soli conuenit cui propria est, vt soli homini sermo. Proprietatem hoc loco pro differentia capere possumus, quemadmodũ in Par-

titionibus Cicero cepit, vbi inquit: Non est dubium quin definitio genere & proprietate quadam declaretur, id est differẽtia. vt hic sit huius loci sensus: Notio & proprietas explicãda est, cùm quid sit quæritur, id est genus & differentia explicari debent. Nam notionẽ appellat genus, quemadmodum antè: & proprietatem differentiam vocat, sicut in Partitionibus: quibus, id est genere & differentia, vera definitio declaratur. Tum diuisio & partitio definitioni tribuuntur: quia definitionum aliæ sunt diuisionũ, aliæ partitionũ, vt prius dictum est. Partitionũ definitio est, cùm res quæ præponitur, quasi in membra discerpitur. Est enim partitio, totius in partes sectio. Diuisionũ verò definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt quod definitur. Est enim diuisio, generis in formas distributio. Deniq; definitioni descriptio tribuitur. Nã cùm genus & differentia nõ semper ad manum suppetant, quibus legitima definitio constat: cúmq; de propriis magna contentio frequenter oriatur, quòd verorum propriorũ penuria & difficultate laboremus: ideo quibusdã accidentibus rem explanare cogimur. Hæc autẽ accidentaria explanatio, propriè descriptio vocatur. vt si describas qualis auarus, qualis assentator. quippe descriptio est qualitatum omnium, quæ alicui rei adsunt, & eiusdem actionum explicatio. vt quærenti, qualis est elephas? respondebo, vastum esse, multóque grandiorem Bubalo, nigrum, nullo penè collo, longissimo & flexibili naso, quo tanquã manu ad res capiendas, orique præbendas vtitur, duobus sursum versum dentibus tanquam cornibus eminentibus. Harum quinque partium definitionis Tullius exempla subiecit. Notionis primùm: vt, an id quod est vtile ei qui potentior est, sit æquum? Vt hoc diiudices, notio tibi explicanda est: videndúmque quis sit intellectus æqui. Æquum autẽ in æqualitate consistit, nec vni magis, alteri minus vtile est, sed omnibus secundum personæ dignitatem æquale est. Tum proprietatis, quæ soli rei de qua quæritur conuenit, & rem ab omni alia tãquam differens separat: vt, in hominémne solum, an etiam in belluas ægritudo cadat, id est, sítne ægritudo homini propria, an non? Responderem esse propriam, id quod ex eius definitione liquet, quæ est, opinio præsentis mali. idque ex genere ægritudinis quoque constat, id est ex perturbatione, quæ est auersa à recta ratione cõtra naturam animi incitatio. Porrò diuisionis hoc exemplum est, sint nécne tria genera bonorũ. Peripatetici statim esse tria respõderent, vnum animi, vt est virtus: alterũ corporis, vt vires: aliud fortunæ, vt sunt diuitiæ. At cõtinuò Stoici & Academici negarent, vt qui omne genus in vna virtute reponãt. Et eodem pacto partitionis exemplum dari potest, quo diuisionis. Nam genus est veluti totum, & formæ velut partes. Itaq; quemadmodum diuisione genus in suas formas diducitur, ita totum in partes suas partitione secatur. Quapropter idem exemplum vtrique, & diuisioni, & partitioni sufficiet, cùm plerunque partitionem & diuisionem confundamus. Denique descriptionis, vt assentator est qui in omnibus placere studet, qualis est ille Terentianus, qui inquit, Quando ait, aio: negat, nego: quasi dicat, si is cui assentior aliquid affirmet, illud affirmo, vt placeam: si quid contrà negat, illud etiam nego, ob eandem causam, nimirum vt placeam, quod ab amico vero procul abest. Cùm autem quæritur quale quid sit.) Quæstio qualitatis bipartita est: vna simplex, altera comparata dicitur. Simplex est quæstio qualitatis, cùm absolutè & per se sine collatione aliqua vel respectu de qualitate quæritur: vt éstne expetenda gloria? Gloria qualitas est, de qua simpliciter quæritur. nulli enim ita quærendo, confertur. Gloriam bonum esse expetendum, Aristoteles Ethicorum primo docet. Est autem gloria, vt Cicero libro tertio Quæstionum Tusculanarum scribit, consentiens laus bonorum, vox bene iudicantium de excellente virtute. Quæstio comparata est, si res de qua agitur, alteri rei quærendo conferatur. Vt, præponendáne sit diuitiis gloria? gloria cum diuitiis in hac quæstione confertur. Vnde fit, vt hæc quæstio comparata sit. Quòd autem diuitiis gloria præponenda sit, ideo constat, quòd gloria per se sit amanda, diuitiæ propter aliud. Simplicium tria genera sunt.) Quæstio simplex qualitatis triplex est, vna de vtili & inutili, altera de æquo & iniquo, tertia de honesto & turpi quærit: quæ tria differunt. Nam vtile est quod maiori bono comparando prodest, cuiusmodi diuitiæ sunt, quæ ad maius bonum acquirendum, & ad virtutem comparandam conducunt. Est enim difficile, vt qui eget, bene operetur: cùm diuitiæ sint rerum agendarum nerui & instrumenta. Aequum dicitur, quod de iure summo multum remittit: vel si maius, æquitas est legitimi iuris emendatio: hoc est, ἐπανόρθωμα τοῦ δικαίου καὶ νομίμου. Denique dicitur honestum, quod laudandum, prædicandum, præferendum, quódque cum virtute semper coniunctum est. Harum partium hæc sunt exempla, vtilitatis inquam, hoc modo: Sunt nécne diuitiæ expetendæ? Diuitias in vsum bonum expetendas esse dicimus. Tum, an fugienda paupertas?

Illas autẽ expetendas esse, hanc verò fugiendam, Peripatetici concederent, sed negarent Stoici: quorũ sententia robusta, virilis, & mascula videtur. Nã sæpenumero diuitiæ suis possessoribus perniciosæ sunt, vt Crœso, Seiano, Crasso, Senecæ, & aliis quàm plurimis fuerunt. At paupertas multos commendabiles, & sempiterna memoria prædicandos reddidit: vt Curium, Fabricium, Serranum, de quibus Claudianus,

Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, cùm reges vinceret auro.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra,
Lustratæ lictore casæ fascésque salignis
Postibus affixi, collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Porrò æquitatis hoc exemplum est: An sit æquum vlcisci à quocunque iniuriam acceperis. Iustum profecto semper est: nam vindicta iuris naturalis species est. verùm non semper æquum est, sed aliquando ignoscendum, & de suo iure aliquid cedendum: vt si tibi parens iniuriam intulerit, pietas quam erga parentem semper habere debes, à vindicta te hortatur. Insuper honestatis: vt, sitne honestum pro patria mori? Sanè trecenti Fabij, Decij, Camilli, item Sinegyrus Anthenienſis miles, & Leonidas Lacedæmoniorum imperator cum suis illis sexcẽtis Spartanis, honestũ esse pro patria mori te docebunt: quos posteritas eo nomine maximè commendat. mortem autem pro patria impensam bonum esse, scribit Claudianus, qui sic habet:

Mors impensa bonum. Decios venerare ruentes,
Vel solus quid fortis agat te ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.

Item Virgilius,

-Pulchrúmque mori succurrit in armis.

Rursus idem:

-O térque quatérque beati
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.-

Insuper Cicero prima oratione Inuectiua in Catilinam, Patriam communem omnium parẽtem vocat, eámque sibi longè chariorem sua vita dicit. Denique Leonidas ille (cuius iam meminimus) dixisse fertur, se plus patriæ suæ quàm vitæ debere, cum apud Thermopylas suos milites aduersus numerosissimam Xerxis Persarum regis multitudinem hortaretur. Comparationum autem duo.) Comparata quæstio bipartita est: vna de eodem & diuerso, altera de maiore & minore quærit. De eodem & diuerso, vt quid inter regem & tyrannum intersit, hoc fine refert, quòd rex sit, qui cùm vnus in Republica imperet, non sibi tamen, sed publicæ vtilitati studet & consulit: Tyrannus contrà nõ Reipublicæ, sed priuatis commodis prospicit. Maioris verò & minoris hoc exemplum est, vt si quæratur, Eloquentiáne pluris sit, an iuris ciuilis scientia. Eloquentiam pluris esse, Crassus apud Ciceronem primo de Oratore docet, cum dicit cæteras artes sine eloquentia teneri posse, eloquentiam sine cæteris non posse. nam eloquens encyclopædiam absoluit. Quare quicunque est eloquens, eundem iurisconsultum esse necesse est. Verùm potest quis iurisperitus esse, vt nõ sit eloquens. Quocirca pluris est eloquentia, quàm iuris ciuilis scientia. Is enim demum eloquens dicitur, qui de rebus omnibus ornatè & copiosè dicere potest. Itaque non immeritò dicebat Antonius, se multos nouisse disertos, eloquentem verò neminem. Quia in eloquente, id est perfecto illo oratore, plurima desiderantur, quæ omnia præstare difficillimũ est. Nam in Oratore, inquit Antonius, acumen dialecticorum, sententia philosophorum, verba propè poëtarum, memoria iurisconsultorum, vox tragœdorum, gestus penè summorum artificum est requirendus. Vnum de eodem & alio, & cætera.) Quòd autem Cicero quæstionem eiusdem & diuersi, qualitati subiiciat, sibi repugnare videtur, vt qui in Partitionibus oratoriis, idem & diuersum definitioni, non autem qualitati tribuerit, quemadmodum & paulò pòst attribuet, qui cùm de definitione loquetur, dicet: Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem & altero diximus: quod genus forma quædam definitionis est. Si enim quæratur, idémne pertinacia & perseuerantia, definitionibus iudicãdum est: quare er-

go Cicero qualitati idem & diuersum supposuit? cum definitionis sint, & esse postea cõfirmet. Huic quæstioni sic occurritur. Idem & diuersum duobus modis accipiuntur, secundum substantiam, & secundum accidens. Secundum substantiam idem & diuersum ad definitionem pertinent. Nam quæ sunt eadem, eorum est eadem substantia & definitio. At quod secundum accidens vel idẽ vel diuersum est, qualitati tribuitur. Nam qualitas non tantùm pro categoria, sed pro omni accidente sumitur, id est, pro nouem accidentium categoriis, vt Agricola capite septimo libri secundi docet.

LATOMVS. Cùm autem quid sit quæritur, notio explicanda est, &c.) Notio ad genus, proprietas ad differentiã, diuisio & partitio ad formas & partes pertinent, quæ singula suprà explicata sunt. Triáne genera bonorum.) Vt animi, corporis, fortunæ. De expetendo.) Expetendum in omni bonorum genere, æquitas erga alterum, honestas per se spectatur. Ex altero autem genere.) Cùm comparatè quæritur.

HECENDORPH. In hominémne solum.) Aegritudo, est morbus cum imbecillitate: quanquam sunt qui dicant ægrotationem differre ab ægritudine, quòd ægrotatio corporis sit, ægritudo animi. Vide Ciceronem in 4. Tusculana. Simpliciter expetenda.) Gloria est cõsentiens laus bonorum, vox bene iudicantium de excellente virtute: author Cicero in tertia Tusculana.

COVEANVS. Ecquidnam honestum.) Cicero primo de Legibus, honestum & iustum in ipsis rebus, non in hominum opinione positum esse, disputat ex Stoicorum sententia. Græci καταγραφὴν.) ὑπογραφὴν genus hoc definiendi vocant Græci verbo pictorum. In hominémne solum cadat.) Cic. 4. disput. Tuscul. Sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item, quorum omnes morbi & perturbationes ex aspernatione rationis eueniunt: itaque in hominibus solùm existunt: nam bestiæ simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt. Comparationum autem duo.) Non video quamobrem genus tertium comparationis prætermiserit, in quo quæritur parésne & æquales res sint.

COMMENTARIVS. Cognitionis quæstiones &c.) Hanc diuisionem mutuatus est Cicero ex 1. cap. 2. Posterio. Aristoteles tamen quartam addit quæstionem, quamobrem sit. sed ea referri potest vel (vt ait Agricola) ad quæstionem quid sit, vel aliquando certè ad quale sit. Illic quoq; Aristoteles has fatetur esse quæstiones. Tertium iuris & iniuriæ.) Ius & iniuria referuntur ad actionem, quia oriuntur à philosophia morali. sed Cicero verbo est vsus angusto, quod est iurisconsultorum & oratorum. Itaque ius & iniuriam non solùm accipere debemus, sed cæteras etiam qualitates. & alioqui multæ quæstiones actionis vel quæ sunt de honesto & de expetendo ad hunc locum referuntur. Coniecturæ ratio.) Fabius lib. 7. cap. de Coniectura, existimat has duas species esse ferè easdem. Nam rei origo est rei causa. Quarta, in qua &c.) Cicero in Partitionibus ait quæri in partitionibus posſitne fieri, & quo modo fiat. prius complectitur sítne aliquid, & an mutari posſit: posterius reliquos duos modos. Ecquidnã.) Hæc quoque quæstio cõtroversa fuit inter philosophos. Nam Pyrrho existimabat nihil esse honestum, nihil turpe, nihil iustum, nihil iniquum, sed dũtaxat hominum opinione. Vnde autem &c.) Id quæritur cùm de principio rei & origine disceptatio est, etiam si non spectemus causam efficientem: vt, quod principium fuit Rerumpublicarum. Natura an doctrina &c.) Principia virtutis in natura posita sunt, cõsummatio in doctrina optimaq; viuendi consuetudine. De commutatione sic.) Ea est quæstio cõmutationis, cũ quæritur an aliquid posſit migrare in diuersum quid aut in suum contrarium. Cõuerti in infantiam.) Si spectes eloquentiam, id nullatenus fieri potest: sin spectes artificem, id est eloquentẽ, aliquo vel animi vel corporis vitio fieri poterit infans. Notio.) Hunc locum sic exprimit Cicero lib. 3. de Orat. cùm quæritur quid sit impressum in cõmuni mente. Cæterùm definitione oportet illam notionem explicare. Καταγραφὴν.) Boëtius in libro definitionum legit ὑπογραφὴν: quam, vt ait, Cicero interpretatur descriptionẽ. Victorinus autẽ legit characterã. sic enim appellare solent descriptionem & delineationem formarum. hanc etiam lectionẽ sequitur Valla. Sítne id æquum.) Æquum videtur dici ab æquabilitate, vt docet Cicero, sine qua ius esse nõ potest. tamẽ iurisconsulti putant aliquid tribuendum dignitati personarũ. ac certè illa comparatio personarum efficit æquabilitatem. In belluas ægritudo.) Aegritudo est in parte irrationali, quam habent belluæ. Itaque in belluas videtur cadere. Triáne &c.) Peripatetici tria ponunt bonorum genera, animi, corporis, fortunæ. Stoici refragantur, aiúntq; duntaxat bona esse quæ sunt in animo. Reliqua vocãt æstimanda, vt contraria reiicienda, nõ tamen bona vel mala. Descriptio.) Descriptio fit, cùm magnorũ

verborum circuitu multa complectimur accidentia & multas proprietates quibus rei formam delineamus. ea sæpenumero vtuntur oratores: atque appellatur definitio oratoria. Expetendáne &c.) Expetenda est gloria quæ à virtute proficiscitur. alia est falsa & vana gloria, quã spernere debemus. Comparatè &c.) Hac diuisione non est cõplexus viuersam naturam qualitatis, sed eã arctauit ad materiã oratoris. posuit enim locos qui finales appellantur, tractantúrq; in materia demonstratiua, deliberatiua, & iudiciali. In quibus ferè versari quoque solent philosophi morales. De expetendo.) Expetenda sunt quæ vel propter se vel propter aliud expetuntur, vt virtutes & diuitiæ. In deliberatiuo autem genere quæritur de vtili & honesto. author Fabius. Vnum est de eodem &c.) Aristoteles huic quæstioni dicauit librum septimum Topicorum. Cæterùm hanc quæstionem ponit Cicero in Partitionibus sub definitione, propterea quod definitione colligitur diuersitas & similitudo: hic autem subiicit qualitati, propter proprietates & differentias quibus ea res colligitur. sunt autem proprietates in qualitate.

Actionis reliquæ sunt, quarum duo sunt genera, vnum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planéve tollendum. Ad officium sic, vt cùm quæritur, suscipiendíne sint liberi. Ad mouendos animos, cùm fiunt cohortationes ad defendendam Rempublicam, ad gloriam & laudem: quo ex genere sunt querelæ, incitationes, miserationésque flebiles, rursúsque oratio tum iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergẽs. Hæc cùm in propositis quæstionibus genera sint, eadem in causas transferuntur. Loci autem qui ad quasque quæstiones accõmodati sunt, deinceps est videndũ. Omnes quidem illi quos suprà diximus, ad pleráque sunt: sed alij ad alias, vt dixi, aptiores. Ad coniecturam igitur maximè apta, quæ ex causis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis sumi possunt. ad definitionem autem pertinet ratio & scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud quod appellari de eodem & altero diximus: quod genus forma quædam definitionis est. Si enim quæratur, idémne sit pertinacia & perseuerantia, definitionibus iudicandum est. Loci autem conuenient in eius generis quæstionem, consequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis qui sumuntur ex causis & effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut si huius rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quouis horum id de quo quæritur, idémne an aliud sit, inuenìri potest. Ad tertium genus quæstionis in quo quale sit quæritur, in comparationem

Actionis quæstiones.

Loci coniecturæ.

Loci definitionis.

Loci qualitatis.

ea cadunt, quæ paulò antè in comparationis loco enumerata sunt. In id autem genus in quo de expetendo fugiendoque quæritur, adhibentur ea quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda vel incõmoda. Itémque cùm de honesto turpíque quæritur, ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est. Cùm autem de æquo & iniquo disseritur, æquitatis loci colliguntur. hi cernuntur bipartitò, & natura, & instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, & vlciscendi ius. Institutio autem æquitatis tripartita est: Vna pars legitima est, altera conueniens, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus æquitas tripartita dicitur esse: vna ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia aut æquitas nominatur.

Loci æqui & boni.

VISORIVS. Actionis reliquæ sunt.) Quæstionem infinitam paulò antè in cognitiuam & actiuam distribuerat. *De cognitiua satis multa dixit. proximum est, vt de actiua nonulla dicat. Ea duplex est: vna ad officium, altera ad motum animi pertinet. ad officium pertinet ea quæ rectum nécne, an rectè factum faciendúmve sit, quærit: cui quæstioni omnium virtutum & vitiorum materia subiecta est. Officium autem vulgo sic definiunt, vt sit virtutis actio. verùm quia nomen officij duplex est, in genere definiri nequit, sed diuisione explicandum est. Duplex est igitur, vt ait Cicero primo & tertio Offic. vnum medium siue inchoatum, quod alij imperfectum dicunt: alterum verò perfectũ. Perfectum officium ad finem bonorum pertinet, estq; cum virtute coniunctum, quod in solum sapientem cadere potest, Græci κατόρθωμα vocant. Cicero tertio de Finibus bonorum & malorũ, modò rectum, modò rectè factum transfert. Si verbũ verbo reddere volumus, sic interpretabimur: quod secundum rectum, id est, secundũ virtutem factum est. Medium autem officiũ est, quod per se neque bonum, neque malum, verùm ad aliquem vitæ vsum sumitur. Cuius ratio probabilis reddi potest, quare factum sit, Græci μέσον appellant. Sed de officio satis, nunc de motu. Motus siue perturbatio, est appetitus vehementior. sed vehementiorem appetitum voco, qui longius discesserit à naturæ constantia. Motum Rodolphus sic definit, vt sit quidam impetus animi, quo ad aliquid persequendum, vel fugiendum, vehementius quàm pro recta animi constitutione impellimur. vtraque profectò definitio contractior est motu. Nam ei tantùm motui qui πάθος appellatur, nec in illum affectum competit, qui apud Græcos ἦθος vocatur. Quare motum siue affectum diuisione potius quàm definitione (vt qui simplex non sit) explicemus. Est itaque duplex affectus, authore Quintiliano, πάθος & ἦθος, quorum ille vehemens est & concitatus, hic verò lenis & compositus. Rursúsque oratio.)* Quintilianus libro sexto, vbi laudat affectus, inquit orationem sine affectibus ingratam esse, & exanguem, affectúsque ipsos spiritum esse & sanguinem orationis, qui quemadmodum sanguis per totum corpus funditur, sic per totam orationem diffundi debent, tametsi in principio & epilogo præcipuas sedes habeant, vbi sanè dominantur, verùm hic magis quàm illic. *Nam in principio satis est eos velut extremis digitis attingere, & quasi postremis labris degustare: In epilogo verò consumuntur, eorúmque vires omnes explicantur. Sed hac de re plura dicemus, cum ad postremam orationis partem peruenerimus. Hic sunt affectuum species explicandæ, quas esse quatuor, Cicero quarto* Quæstionum Tusculanarum *scribit, ægritudinem, lætitiam, libidinem, & metum. Sed hic iracundiam pro libidine, nimirum speciem loco generis vsurpat. Nam iracundia libidinis est species. Est autem ægritudo, opinio recens mali præsentis, in quo demitti contrahíque animo rectum esse videatur. Tum lætitia opinio est recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Metus est opinio impendentis mali, quod intolerabile*

esse videatur. Libido verò, opinio venturi boni, quod sit ex vsu, iam præsens esse atque adesse. Opinionem autem quam in omnes definitiones superiores includimus, imbecillam assẽsionem definimus. Sed in singulis perturbationibus antè definitis, partes eiusdem generis plures subiiciuntur, vt ægritudinem inuidentia, æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamẽtatio, solicitudo, molestia, afflictio, desperatio, & si qua sint de genere eodem. Sub metum autẽ subiecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, cõturbatio, formido: voluptati maleuolentia, lætans malo alieno, delectatio, iactatio, & similia: libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium, & cætera huiusmodi. Harum partium definitiones ex quarto Quæstionum Tusculanarum pete. longum enim foret, si eas omnes recenseremus. Itaque sit satis in præsens, admonuisse loci. Virgilius sexto Aeneidos, has perturbationes elegãtissimè descripsit, his versibus:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
Luctus & vltrices posuere cubilia curæ,
Pallentésque habitant morbi, tristísque senectus,
Et metus, & malè suada fames, ac turpis egestas,
Terribiles visu formæ letúmque labórque,
Tum consanguineus leti sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferúmque aduerso in limine bellum:
Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Hactenus de affectibus. quorũ alius oratione gignitur, puta πάθος: alius sedatur, videlicet ἦθος. alius planè tollitur quibusdam vrbanè dictis. nam risus, tristes affectus soluit: vt libro sexto docet Quintilianus. Hæc autem.) Sicut propositum, id est, infinita quæstio in cognitiuam & actiuam diuisa est, ita caussa, vel si mauis controuersia, id est, definita quæstio, in cognitiuam & actiuam distribui potest. & quæcunque de cognitiua & actiua quæstione, cum de proposito loqueremur, dicta sunt, eadem omnia in quæstionem definitam trãsferri possunt: hoc est, sicut infinita quæstio cognitionis aut coniecturalis est, aut finitiua, aut qualitatis: ita definita quæstio coniecturalis, finitiua, & qualitatis esse potest. vt, An acceperit pecuniam Decius? minueritne maiestatem Norbanus? iuréne occiderit Opimius Gracchum? ita vides non in proposito modò, sed & in controuersia, an sit, quid sit, quale sit, quæri. Præterea sicut quæstio infinita actionis, aut ad officium, aut ad motum pertinet: ita definita quæstio ad officiũ vel motum pertinere potest. vt infinitè quæris: An suscipiendi sint liberi? definitè verò, An Catoni ex Martia suscipiẽdi sint liberi? quarũ quæstionum vtraque ad officium pertinet. Loci autem.) Cùm tres sint quæstiones, cõiecturalis, finitiua, & iuridicialis: omnes loci quos prius exposuimus, ad earum probationem adhibentur: & quanuis nonnulli ad plures accommodentur, alij tamen sunt ad alias aptiores, vt caussa & euentus: tametsi ad qualitatem, definitionem, & coniecturam accommodentur, ad coniecturam tamen potius quàm ad illas pertinent, ad quas pariter aptissimus est adiunctorum locus. Ad definitionem, methodus definiendi, quam Cicero superius tradidit: ad quæstionem iuridicialem, similia & comparata maximè conducunt, etiamsi ad reliquas referri possint. Quapropter bene dixit Cicero, locorum alios quibusdam quæstionibus aptiores esse, alios cõtrà minus aptos, de quibus postea latius dicemus. Ad coniecturam.) Locos coniecturales enumerat, qui sunt, causa, euentus, & adiunctum. Quòd autem locus ab adiunctis coniecturalis sit, superius probauimus, cum eum locum explicaremus, vbi Cicero dicit, Sed locus hic magis ad coniecturales causas, quæ versantur in iudiciis, valet. Ab adiunctis coniectura colligitur, hoc modo, Quia Spurius Melius eques Rom. frumentum populo sua impensa largitus est, & ob id factũ plebem sibi cõciliauit, vnde in suspicionem regni affectati venit, & ideo à Caio Seruilio Hala magistro equitum occisus est: sic Manlius Capitolinus, quia obstrictos ære alieno liberasset nexu, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio deiectus est. Cæterum causas & euenta quæstioni coniecturali maximè conuenire, idem author est in Partitionibus oratoriis, vbi scribit: In coniectura igitur cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima sunt: sed accusatorem pro omni actore & petitore appello. possunt enim etiam sine accusatore in causis hæc eadem controuersiarum genera versari: sed hæc duo sunt ei prima, causa & euentus. Causam appello, rationem efficiendi: euentum, id quod est effectum. In causis quibus coniectura

mouetur, hæc maximè spectãtur, authore Fabio, ira, odium, metus, cupiditas, spes. Quorum si quid in reũ conueniet, accusatoris est efficere, vt ad quicquid faciendum causæ valere videantur, eásque quas in argumentum sumet augere: vt Cicero pro Milone docet, causas in Clodio fuisse Milonis occidendi, non in Milone occidendi Clodij. Nam Milone interfecto, non modò vt prætor esset, non eo consule quo sceleris facere nihil posset, sed etiam his consulibus prætor esset, quibus si non adiuuantibus, at conniuentibus certè, speraſſet se posse Rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus, cuius illi conatus, vt ille ratiocinabatur, nec si cuperẽt, reprimere possent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: & si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratißimi corroboratam iam vetustate audaciam. Ex quibus apparet, causas ad coniecturam mouendam valere, ad quam quoque valet effectus: vt Areopagitæ, cum damnauerant puerum coturnicum oculos eruentem, nihil aliud iudicasse videntur, quàm id factum esse signum pernicioſißimæ mentis, multísque malo futuræ si adoleuisset. Ad definitionem autem pertinet ratio & scientia definiendi.) Loci finitimi sunt, definitio, antecedens, consequens, repugnans, nécnon duo quos superius coniecturales fecimus, id est, causa & euentus. Definitio quidem à qua quæstio finitiua vocatur. nam quid sit, definitione declaramus. sed memineris sub definitione plures locos intelligi, partes, notam, coniugationem, genus, formam, differens. Hæc enim omnia ad quæstionem finitiuam probandam referuntur. Insuper idem & diuersum, definitioni vicina sunt, proinde ad quæstionem finitiuam pertinent. Nam quorum eædem sunt definitiones, ipsa nimirum sunt eadem: & quorum diuersæ, diuersa. vt si quæratur, idémne sit pertinacia & perseuerantia, diuersas esse definitionibus cognoscemus: nam diuersæ sunt eorum definitiones. Siquidem perseuerãtia, in ratione bene animaduersa, stabilis & perpetua mansio est: vt Cicero libro secundo de Inuentione tradit. At pertinacia est, sine ratione stabilis & perpetua mãsio, vt author est Cicero 1. Offic. Varro de lingua Latina ad Ciceronem, inquit, Cum quæritur vnde pertinacia sit, à pertendendo. nam cum quis pertendit in eo in quo pertẽdi non debet, pertinacia est: in quo verò oportet manere, si in eo perstet, perseuerantia dicitur. Insuper ad finitiuam quæstionem, vt diximus, adhibentur antecedens, consequens, repugnans, causa simul, & euentus. Nam si de rebus duabus quæratur, eædem nécne sint, si quid vnam sequatur quod non sequatur alteram, si quid vnius sit antecedens quod non sit alterius, si quid vni repugnet & idem non repugnet alteri, si qua sit vnius causa quæ non sit alterius, si quis denique sit effectus vnius qui non sit alterius, res sunt diuersæ, non autem eædem: earundem enim rerum eadem sunt accidentia, consequentia, repugnantia, causæ. vt à consequentibus probabis, assentatorem & amicum non eosdem esse. Nam si amicus est, bonus est: cõtrà, si assentator, malus. Bonus & malus diuersa sunt consequentia, quare assentator & amicus diuersa sunt, ex quibus illa consequebantur. Ad tertium genus quæstionis.) Locos iuridiciales recenset, quos vnius qualitatis appellatione comprehendit: sed qualitatem duplicem prius fecit: vnam simplicem, alteram comparatam. Vtraque qualitas ad iuridicialem quæstionem confirmãdam vel refellendam adhibetur. cõparata inquam, quam prius bipartitam esse diximus: nam vnam de eodem & alio, alteram de maiore & minore esse diximus. tum illa simplex, in qua de expetendo fugiendóque, de honesto & turpi, de æquo & iniquo quærimus. Expetendorum autem tria genera sunt, bona animi, corporis, & externa. Honestorum simplex est ratio. Nam ea demum bona, quæ sunt animi, honesta dicuntur: reliqua minimé. Honestum autem est, quod cum virtute coniunctum est. AEquitas verò bipartita est: vna naturalis, altera instituta. Naturalis æquitas est, quam legem naturæ vocãt. Eam Cicero pro Milone legem natam appellat, qua vim vi repellere licet, & de qua poëta quidam scribit,

Armáque in armatos sumere iura sinunt.

AEquitas autem instituta, dicitur ius gentium vel humanum, id est ius quod homines introduxerunt, & sibiipsis vrgente necessitate quæsierunt. AEquitas naturalis in tuitionem sui, & ius vlciscendi distributa est. de qua Cicero primo Officiorum abundè loquitur, cum inquit: Principio generi animantium omni à natura comparatum est, vt se, vitam, corpúsque suum tueatur: & cætera. Ex quo loco constat, tuitionem sui, ius esse naturale. Verùm quòd vlciscendi ius etiam naturale sit, ex Miloniana iam docuimus. Cicero duplicem tamen æquitatẽ naturæ hoc in loco facit, tuitionem sui, & vlciscendi ius. At in Officiis procreationem liberorum adiecit, quemadmodum iurisconsulti, qui matrimonium & liberorũ educationem iuri naturali attribuunt. AEquitas autem ab hominibus instituta, tripartitò diuiditur, in legitimam, conuenientem, & moris vetustate confirma-

tam. AEquitas legitima ius scripum est, id est, lex ipsa, quæ omnia recta & inflexibilia exigit. Ea est, vt ait Cellius, generale iussum populi vel plebis rogante magistratu: vel, vt Iustinianus ait, Lex est ius quod populus Romanus magistratu senatorio interrogante velut consule confirmabat. Et æquitas conueniens ea dicitur, quæ de iure multum remittit. ea propriè à Græcis ἐπιείκεια vocatur, nos eam nomine cõmuni æquitatem dicimus. à qua æqui boni consulere dicunt, id est, in bonam partem accipere. AEquitas verò moris vetustate confirmata, mos ipse est. Mos, vt inquit Varro, in iudicio animi est, quem videlicet morem sequitur consuetudo. vel si mauis, mos est approbatio quædam, non lege, sed iudicio & opinione confirmata. Morem Iulius Festus ita describit, vt sit institutum patrium, ad religionem & cæremonias maiorum pertinens. Est autem institutum, ius non scriptum: quod certum tamen authorem habet, quem imitari cæteri non erubescant. quale illud est Valerij Publicolæ, qui primus (authore Liuio) fasces pop. Rom. summisit: vnde & Publicolam dictum fuisse plerique putant. Instituere verò est, authorem alicuius rei & conditorem fieri, necnon exemplum posteritati dare. Atque etiam rursus.) Alteram æquitatis diuisionem Cicero facit, quæ tripertita est: vna pietas, altera sanctitas, tertia iustitia vocatur. Pietas, vt inquit, æquitas est ad deos superos pertinens. quod tamen ei repugnat, quod ab eodem in Partitionibus dictum est. Illic enim ait, pietatem iustitiam esse erga parentes, non erga deos. nam quæ est erga deos æquitas, eam religionem vocat. Veruntamen huic quæstioni sic occurritur: cum pietatem erga parentes esse Cic. in Partitionibus dixerit, illic pro ea quæ vulgò bonitas dicitur, pietatem vsurpauit. Cæterum in religione pietas est, quemadmodum ipse lib. 1. de Natura deorum scribit, vbi superstitionẽ à religione sic separat, cùm de Atheis loquitur, Superstitio (inquit) timor est inanis deorum: religio pio cultu deorum continetur. Itaque quam in Partitionibus religionem vocauit, nunc pietatem appellat, id est pium cultum deorum: qui diuersus est ab ea pietate, quam vulgò bonitatem nominari diximus. Nam ea pietas, quæ bonitas dicitur, erga parentes est: pietas verò quæ religio est, in deos est. Dicitur autem religio non à relinquendo, vt Cellius vult, sed à relegendo, quemadmodum Cic. lib. 2. de Natura deorum ait: Nam qui totos dies, inquit, precabantur & immolabant vt sibi superstites essent liberi, superstitiosi vocati sunt: qui verò quæ ad pium cultum deorum pertinent, pertractabant, & diligentissimè relegebant, religiosi sunt appellati. Ita illud nomen vitij, hoc virtutis factum est. Hactenus de religione, quam hoc loco pietatem à Cicerone vocari confirmauimus. De sanctitate dicamus. Itaque sanctitas, ad deos manes, id est inferos, æquitas est pertinens. quod nomen sanctitatis duplex est. Nam sanctum interim dicitur, vt ait Macrobius, quod neque sacrum est, neque religiosum, sed incorruptum, intactum, castum & inuiolatũ, vt apud Virgilium Turnus ait:

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam.-

Tum apud eundem:

-Túque ô sanctissima coniunx,
Fœlix morte tua-

Aliter sanctum sacrum est & religiosum. illud à sanciendo: hoc à sagminibus, id est, verbenis (quæ sacras herbas significant) dicitur. Sequitur iustitia, quæ est æquitas ad homines spectans. Eam Iustinianus sic definit, vt sit constans & perpetua voluntas, vnicuique quod suum est tribuens. quæ pariter multiplex est: nam modò bonitas, modò fides, nunc lenitas, nunc amicitia vocatur. Bonitas erga parentes, fides creditis in rebus. nam secundum Stoicos (vt ait primo Officiorum Cicero, quod etiã superius attigimus) fides ex eo dicta est, quòd id quod dictum est, fiat. In moderatione animad vertendi, aut puniendi, lenitas. In mutua hominum benevolentia, amicitia.

LATOMVS. Ex coniunctis.) Id est, adiunctis, siue (vt alij vocant) communiter accidentibus. De eodem & altero,) Hoc est, quid interfit inter ea quæ eiusdem generis sunt, quod differentiis discernitur, quibus definitiones conficiuntur. Nam si hanc rem illa sequitur.) Vt legibus imperare, sequitur principem esse, non autem sequitur tyrannum: & per vim occupasse Rempublicam, antecedit tyrannum, nõ autem antecedit principem. quæ porrò addita negatione inter se repugnabunt: vt legibus imperare, & non esse principem: & esse principem, & legibus nõ imperare.

Aut si huius rei hæc, illius alia causa est.) Vt ius ciuile nõ idem esse quod ius gentium, quoniã hoc sit ex cunctorum hominum consensu: illud quod quæque ciuitas sibi constituerit. Aut si ex alio

hoc, ex alio &c.) Vt statua alia ex auro, alia ex argento, alia ex ebore, alia ex marmore: quæ quia differunt materia, & inter se differunt. In cõparationis loco.) Vt quæ meliora vel deteriora sunt aliis, numero, specie, vi, affectione. Quæ sunt aut animi.) Hæc ad eũdem cõparationis locum pertinẽt. Item quæ sequuntur de æqui & iniqui quæstione. Conueniens.) Cõueniens paulò pòst in distributione æquitatis vocat, quod ad æquum & bonum pertinet, neque lege, neq; more comprehẽsum.

HEGENDORPH. Idem ne sit pertinacia.) Perseuerantia est in ratione bene animaduersa stabilis & perpetua mansio: author Cicero lib. 2. de Inuentione. At pertinacia est absque ratione stabilis & perpetua mansio: author Cic. in primo Offic. Altera conueniens.) Nam pactum est quod inter aliquos conuenit, quod ita iustum putatur, vt iure præstare dicatur. l. 1. ff. de Pactis. Tertia moris.) Nam diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem imitantur. §. Lex non scripta. Institut. de Iure naturali, gentium, & ciuili.

COVEANVS. Vnum ad officium, alterum ad motum animi.) Aliter in Partitionibus actionis quæstiones diuidit: duo enim facit genera, vnum ad persequendum aliquid, aut ad declinandum: vt, Quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo inuidia vitetur: alterum, quod ad aliquod commodum vsumq; refertur: vt, Quemadmodũ sit in paupertate viuendum, & Respub. administranda. Et certè cohortationes ad Remp. defendendã, ad gloriam, ad laudem, querelæ, incitationes, miserationes flebiles, quæstiones non sunt. Quod genus forma quædã definitionis est.) Quod genus quæstionis referẽdum est ad quæstionem definitionis: in vtraq; enim definiendũ id est, de quo agitur. Pertinacia & perseuerantia.) Cicero in libris qui vulgo de Inuentione vocantur, Perseuerantia, inquit, est in ratione bene considerata stabilis & perpetua permãsio, cui vitium proximum pertinacia. Idémne an aliud sit, inueniri potest.) Ex iis locis probari quidẽ potest, aliud esse: idem esse non probatur. Et vlciscendi ius.) Tuitio sui, vt Florentinus putat 1. lib. Institut. iuris gentium est: sed cùm omnibus animalibus datum id esse videamus, vt se ac sua tueantur, assentiemur M. Tullio, qui hoc ius naturæ esse vult. Vlciscẽdi autem ius nescio quomodo naturale dici possit: quanquam enim omnia animalia præsentem vim atq; iniuriam propulsent, seq; protegãt, non omnia tamen acceptã iniuriam persequuntur: etenim maioris id est cuiusdam rationis. Vna pars legitima.) Vna pars scripto continetur, altera æquitate, tertia consuetudine longa cõfirmatur.

Ad superos deos.) Deos cælestes vocat in oratione de Haruspicum responsis. Manes autẽ sunt dij inferi, omnesq; leto dati, quemadmodum scribit M. Tullius 2. de Legibus. Cur autem Manes dicti sint, non sanè cõstat. Quidam à manando dictos putant, quòd animi manent de corpore in corpus, ex Pythagoræ sententia. Ego Manes dictos puto, quasi manos, hoc est bonos. manum enim veteres dixerunt bonum. Huc videtur respexisse Vergil. qui Daphnidem mortuum bonum vocat:

Sis bonus ô semperque tuis. & rursum, -amat bonus otia Daphnis.

Prima pietas, secunda sanctitas.) Iustitia erga deos cælestes, pietas appellatur: erga Manes, sanctitas: credo quòd violari Manes nefas sit. id autem sanctum dicitur, à sagminibus, quemadmodum scribunt Iureconsulti, quæ legati populi Romani præferebant. Itaque Cicero 2. de Legibus sic scribit: Manium iura sancta sunto. Idem tamen Tullius lib. 1. de Natura deorum paulò aliter sanctitatem definit. Verba eius hæc sunt, Est enim pietas, iustitia aduersum deos. Sanctitas autem est scientia colendorum deorum: qui quamobrem colendi sint non intelligo, nulla ab iis nec accepto nec sperato bono.

COMMENTARIVS. Actionis.) Harum quæstionum diuisionem sumit à philosophia morali, propterea quod hæc materia frequens est in iure ciuili & in facultate oratoria. aliàs multæ sunt actiuæ, à quibus actiuæ quoque quæstiones duci possunt. Cum fiunt &c.) Paulò diuersius in Oratore tradit. Nam illic actionem diuidit in cohortationem & obiurgationem. sed cohortatio continere poterit officium & animi motum: Obiurgatio autem motus repressionem.

Rursúsque.) Motum in duas diuidit partes, incitationem & compressionem. Interim adnotare decet quatuor esse præcipuos affectus, qui oriuntur ex opinato bono vel malo, tum præsenti tum futuro. Loci autem.) Huc pertinebat quæstionum diuisio, vt doceret accommodationem locorum. sic quoque Aristoteles cum proposuisset quatuor problemata, singulis suos aptauit locos. Ad coniecturam.) Coniectura cùm sit de facto, maximè arguitur causis: vt cùm quærimus de impulsionibus & ratiocinationibus reorum. eodem modo locus euentorum valet. Antea autem docuit locum adiunctorum prorsus esse coniecturalem. Ad definitionem &c.) Disciplina definiendi traditur

M. T. CICERONIS TOPICA

ab Aristot. li. 6. Topicorum: ex qua potest confirmari & infirmari definitio. Rationem quoque definiendi antea tradidit Cicero. Atque huic &c.) Hic Cicero veluti per epitomen attingit loc os qui traditi sunt ab Aristotele lib. 7. Topicorum, ad tractationem quæstionis de eodem & alio. Ad tertium.) Locum de eodem & alio, qui qualitatis est, propter affinitatem definitioni adiecit. Nunc igitur qualitatem duntaxat simplicem & comparatam tractat. Comparata autem in iisdem capitibus versatur in quibus simplex, nisi quòd adiicienda est collatio. Est igitur de expetendo æquo & honesto per comparationem. tractatio igitur à comparatione petenda est. In id autem.) Materiam duntaxat posuit, quæ pro ratione & habitu ad varios locos referri potest, ad causas, adiuncta, consequentia, & antecedentia. hic laudandus est: igitur habet materiam laudandi. Ad animi bona.) Bona dicit in animo vel mala secundum Stoicos. Etenim in corpore rebúsq; externis commoda ponunt vel incommoda, sed mala. Hi cernuntur bipartitò.) Duplex est iustitia, quam æquitatem appellat: Altera naturalis, quæ tametsi scripta non sit, tamen mẽtibus nostris est insculpta: Altera constat institutione hominum, à qua pendet ius gentium & ius ciuile. Tripertita est.) Prima pars iustitiæ posita est in legibus ac iure scripto, eam Cicero vocat legitimam: Altera posita est in apta iuris scripti interpretatione, quam vulgo appellant æquitatem. Tertia pars posita est in consuetudine, quæ si scripta non est, hoc ius est quod à iurisconsultis vocatur ius moribus constitutum. Atque etiam.) Hæc diuisio est in obiecta iustitiæ, superior erat in differentias siue species.

De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt: pleraque enim sunt ei cum proposito communia. Tria sunt igitur genera causarum, iudicij, deliberationis, laudationis: quarum fines ipsi declarant quibus vtendum locis sit. Nam iudicij finis est ius, ex quo etiam nomen, Iuris autem partes tum expositæ, cùm æquitatis. Deliberandi finis, vtilitas: cuius hæ partes quæ modò expositæ, rerum expetendarum. Laudationis finis, honestas, de qua item est antè dictum. Sed definitæ quæstiones à suis quæque locis quasi propriis instituuntur, in accusationem defensionémque partitæ. In quibus existunt hæc genera, vt accusator personam arguat facti, defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum: aut si sit factum, aliud eius facti nomen esse: aut iure esse factum. Itaque aut inficialis, aut coniecturalis prima appelletur; definitiua altera: tertia, quanuis molestum nomen hoc sit, iuridicialis vocetur. Harum causarum propria argumenta ex iis sumpta locis quos exposuimus, in præceptis oratoriis explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quæ Græcè στάσις dicitur, Latinè appelletur status, in quo primùm insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Atque etiam in deliberationibus & laudationibus iidem existunt status. Nam & negantur sæpe ea futura quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt: in qua

argumentatione ſtatus coniecturalis exiſtit. At cùm aliquid de vtilitate, honeſtate, æquitate diſſeritur: deque iis rebus quæ his ſunt contrariæ, incurrunt ſtatus aut iuris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari poteſt id factum eſſe quod laudetur: aut non eo nomine afficiendum quo laudator affecerit: aut omnino non eſſe laudabile, quòd non recte, non iure factum ſit. Quibus omnibus generibus vſus eſt nimis imprudenter Cæſar contra Catonem meum. Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocant. Mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, qua de re agitur, vocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, hæc continentia vocentur, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. Sed quoniam lege firmius in controuerſiis diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera vt legem adiutricem & teſtem adhibeamus. In qua re alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur legitimæ diſceptationes. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod aduerſarius velit, ſed aliud. Id autem contingit cùm ſcriptum ambiguum eſt, & duæ differentes ſententiæ accipi poſſunt. Tum opponitur ſcripto voluntas ſcriptoris, vt quæratur, verbáne plus, an ſententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita ſunt tria genera, quæ controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt, ambiguum, diſcrepantia ſcripti & voluntatis, ſcriptura contraria. Iam hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus, quàm in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exiſtere. Horum tractationes in aliis libris explicantur.

VISORIVS. De propoſito ſatis multa.) De quæſtionibus infinitis hactenus, quas in cognitionem & actionem diuiſimus, dictum ſit. Itaque ſupereſt, vt de finitis, id eſt cauſis & cõtroueꝛſiis pauca dicamus, & ſanè pauciora dicenda ſunt, quàm antè de infinitis dicta ſunt, propterea quòd quæcunque de infinitis diximus, ea omnia ad finitas transferri poſſint, & vt in Bruto Cic. dicit: Quod in genere probatum eſt, neceſſe eſt in parte probatum ſit. & hoc eſt quod ait Cic. pleraque cauſæ eſſe cum propoſito communia. Communia ſunt, quæcunque de propoſito diximus, vt quæ non in propoſitis modò, verumetiam in controuerſiis reperiantur. nam ſi in illis ſunt, in his quoque eſſe neceſſe eſt, quia propoſitum pars cauſæ eſt: cum præter propoſitum cauſa circunſtantias etiam comprehendat, vt antè diximus. *Tria ſunt genera cauſarum.)* Cauſſarum genera nec plura nec pauciora quàm tria ſunt: Nam de quibuſcunque dicit orator, ea vel certa ſint vel dubia neceſſe eſt. Certa laudamus vel vituperamus. hinc & demõſtratiuũ genus dicitur, quòd eo genere qualis quiſque ſit, laudando vel vituperando demonſtremus, Græci ἐπιδεικτικὸν dicunt, nos oſtenſiuum tranſ-

ferre possumus. Nam hoc genus, ad solam ingenij ostentationem compositum est, neque ad victoriã, sed ad finem laudis & gloriæ tendit. A meliori verò parte laudatiuum Latinè appellatũ est, quod Græcè ἐγκωμιαστικὸν dicitur. Dubia verò, de quibus orator dicit, bipartita sunt. Eorum enim partim ad electionem nobis sunt libera, de quibus deliberatur, vnde deliberatiuum genus: partim aliorum sententiæ sunt commissa, de quibus lite contenditur, vnde iudiciale genus. Itaque tria causarum esse genera manifestum euadit, laudationis, deliberationis, & iudicij. Cicero tamen secundo de Oratore, laudatorium genus è numero causarum eximere videtur, qui illic scribit, ea quæ in foro atque in ciuium causis disceptationibúsque versantur, aut in lite ordinãda, aut in dando consilio esse posita. Tertiũ autem illud genus, puta laudatiuum, quod & à Crasso tactum est, & vt audio, ille ipse Aristoteles (qui hæc maximè illustrauit) adiunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium: sanè Crassus per se in forum venire laudem & vituperium negat. iudicialibus autem & deliberatiuis causis adhiberi fatetur: quæ sententia & Isocratis est. Horum autem generum hi sunt fines, honestas, vtilitas, & æquitas. Honestas quidem, laudationis finis est. nam quæcunque sunt cum virtute coniuncta, laudanda sunt. De honestate superiùs diximus, quam à virtute non separauimus. Vtilitas deliberationis est finis. de qua item à nobis est dictũ, cùm de expetendis & fugiendis loqueremur. Iudicij denique finis est æquitas, cuius genera & diuisimus & definiuimus. Reliquum est, vt Quintiliano satisfaciamus, qui Ciceroni repugnare videtur. Inquit enim ille capite quarto libri tertij: Nec iis accesserim, qui laudatoriam materiam honestorum, suasoriam vtilium, iudicialem iustorum quæstione contineri dixerunt. Nam in deliberatione nonnunquam honestas, in laudatione vtilitas, in iudicio simul omnia, honestas, vtilitas, & æquitas interim tractatur. quare hæc mutuis stant auxiliis. Verùm cùm Cicero laudationis finem honestatem faciat, deliberationis vtilitatem, & iudicij æquitatem: non sic hic accipienda sunt, vt honestas sola & semper in laudatione versetur, in deliberatione sola & semper vtilitas, in iudicio sola & semper æquitas: sed quia sæpius in laudãdo spectatur honestas, de vtilibus deliberamus, æquitatẽ in iudicãdo ob oculos habere debemus. Cæterũ Cicero in Partitionibus alios horum generum fines facit: delectationem in laude, spem & metum in suasione & dissuasione, sæuitiam & misericordiam in accusatione & defensione. Verùm illic non causarum, sed motuum fines: hic verò causarum, & non motuum fines tradit. Sed definitæ quæstiones à suis quoque locis.) Hactenus de quæstione: nunc de statu dicendum. Cum enim omnis quæstio statum habeat, non alienum fuerit, de eo quoq; pauca dicere. Status autem ex eo dictus est, quòd in eo tota causa cõsistat, vel quòd in eo primus sit causæ cõgressus. Nã quandiu aduersarij cõsentanea dicunt, tandiu statum non esse certum est. at statim vt pugnare cœperunt, status oritur. Est enim status, genus quæstionis, quod ex prima causarum conflictione nascitur, id est, ex intentione & depulsione. Occidit patrem Roscius, intentio est: non occidit, depulsio. vnde nascitur hoc quæstionis genus, An Roscius patrem occiderit. Omnis verò status, aut coniecturalis est, aut finitiuus, aut iuridicialis. Coniecturalis est, si defensor factum neget: & idem aliter inficialis dicitur. Coniecturalis quidem ab accusatore, quòd is factum quibusdam coniecturis probet. à defensore verò inficialis, quòd inficietur & neget. vt rex Deiotarus struxit insidias Cæsari, inquit accusator: idq; probare coniecturis intendit. non struxit insidias, respondet patronus qui depellit. An struxerit insidias, coniecturalis est status, vel (vt diximus) inficialis. Finitiuus status est, in quo tametsi de facto conuenit, de nomine tamen non conuenit: nam de eo quæritur. Vt siquis sacrilegij accusetur, quòd pecuniam qualemcunque de templo sustulerit: & reus si sacrilegium neget, concedat tamen se pecuniam de templo sustulisse: quid sit sacrilegium, quæritur, & status est finitiuus, quia definitione explicatur. nam cui definitio sacrilegij conuenit, eidem nomen sacrilegij conueniet. Tertius iuridicialis, quãuis Latinè, nõ satis tamen vsitatè trãsfertur, qui Græcè διχαιολογικὸς appellatur. & est, cùm de facto simul & nomine facti constat: sed iure an iniuria factum sit, quæritur. Vt Milo Clodium occidit, non negatur: res quæ facta est, cædes appellatur, conceditur. sed iure an iniuria Clodius à Milone sit cæsus, hoc est quod quæritur. Hos omnes status Cicero vult potius à depulsione quàm ab intentione nasci, cùm dicit: Refutatio accusationis in qua est depulsio criminis, Græcè στάσις dicitur, Latinè appellatur status, in quo primùm consistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Et hanc esse Ciceronis sententiam, vt status ex depulsione nascatur, Quintilianus libro tertio confirmat his verbis. Alij statum crediderunt primam eius cum quo ageretur deprecationem: quam sententiam Cicero his

verbis complectitur, Quasi ad repugnandum congressa defensio. Sed memineris, deprecationem à Quintiliano vocari, quam Cicero hoc in loco depulsionem vocat. Nam verbum deprecor, vt author est Gellius cap.16.lib.6.noctium Atticarum, significat aliquando detestari, execrari, depellere, vel abominari. quo in sensu Catullum in hoc Epigrammate cepisse dicit:

Lesbia mi dicit semper malè, nec tacet vnquam
De me: dispeream, me nisi Lesbia amat.
Cui ego quasi eadem, totidem mox deprecor illi
Assiduè, verùm dispeream nisi amo.

In eadem significatione Cicero secunda actione in Verrem vsurpat: Nunc verò quid faciat Hortensius, auaritiæ ne crimina frugalitatis laude deprecetur, an hominẽ flagitiosissimum, inuidiosissimum, nequissimúmque defendat? Ciceroni, qui statum ex deprecatione, id est depulsione, nasci dicit, Celsius contrarius est: qui ab eo qui intendit, statũ fieri dicit, propterea quòd is in eo probando quod intendit, stare cogatur. Sed Cicero melius, sentẽtia Quintiliani, inquit, statum ex depulsione fieri, Nam si aduersarius nihil dicat, si non respondeat, si non repugnet, certum est nullum statum esse. Verùm depulsio non semper est defensoris, neque intentio semper accusatoris. Quare licet à depulsione status oriatur, aliquando tamen actor, nec semper reus statum facit. In coniecturalibus causis depulsio est rei, quare reus inficialem statum facit, quippe qui depellat: vt, occidisti, intentio est: non occidi, depulsio rei est: Status coniecturalis, an occiderit. At in iuridicialibus nõ reus, sed actor facit statum, quia eius incipit esse depulsio, Vt Milo Clodium occidit, conceditur: cæterum Milo respondet, iure occidi, quæ intentio rei est. Contrà verò dicit accusator, nõ iure occidisti, quæ est depulsio actoris: vnde status iuridicialis oritur, an iure occiderit. Atque etiã in deliberationibus.) Status non in solas iudiciales causas cadit, quemadmodum plerique falso crediderunt, quos Quintil. cap.6.lib.3.reprehendit, vbi ait: Ergo cùm omnis causa contineatur aliquo statu, priusquã dicere aggrediar, quomodo genus quodque causæ sit tractandum, id quod commune est omnibus, quid sit status, & vnde ducatur, & quot, & qui sint, intuendum puto, quanquam id nõnulli ad iudiciales tantũ pertinere materias putauerunt: quorum inscitiam, cùm omnia tria genera fuero executus, res ipsa deprehẽdet. Itaq; status nõ in iudicialibus tantùm causis, verumetiam in deliberatiuis & demonstratiuis locũ dabet. De iudicialibus dubiũ nõ est: de reliquis ergo dicamus: & prius an in suasoriis versetur videamus. Itaque sæpenumero negantur ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore: & propterea sanè negantur, quòd vel fieri non possint, vel sine magna difficultate nequeant, & tum status est coniecturalis. vt si deliberetur, an palus Pontina siccari, an portus Ostiæ fieri, an Isthmos intercidi possit: & sint qui posse dicãt, sint cõtrà qui negent, causa sanè in cõiecturali statu versabitur. Insuper in eadẽ deliberatione, cũ de honestate, vtilitate, & æquitate disseritur, aut rebus contrariis, status finitiuus aut qualitatis in eam disputationem incurrit. Finitiuus quidem, vt apud Demosthenem quæritur, an Philippus insulã Haloneſum det Athenienſibus, an reddat. Est autem Halonnesus insula, quæ cùm antè ditionis Atheniẽsis esset, capta à piratis, & hinc à Philippo Macedonum rege recepta, diu in ambiguo fuit vtrius esset, Athenienſis populi, an Philippi. Quare cùm Athenienses ipsi repetundarum agerent, Philippus reddere eã quidẽ Athenienſibus recusauit: quòd videlicet ipse eis non extorsisset, sed à latronibus redemisset: Verùm doni & muneris titulo eam se Athenienſibus daturum concedit: id quod ignominiosum Athenienſibus visum est. Quare Demosthenis cõsilio res bello geri cœpta est. Hac causa quid sit reddere, quid item donare, definitur. Porrò in deliberationem qualitatis status incidit. vt si Saguntini deliberent, an se Annibali dedere, an contrà fidem Romanis datã seruare debeant: vtile erat sese dedere, sed honestum seruare fidem. Itaque in hac deliberatione, cum inter honestum & vtile sit pugna, status qualitatis est. Quod idem contingit in laudationibus.) In genere demonstratiuo tres status reperiũtur, quemadmodũ in reliquis. Primò coniecturalis: vt si quis Romulum laudet, quòd Marte præside bellorum deo sit genitus, & alter genitum esse neget: status est coniecturalis, an Romulus Marte genitus sit. Tum finitiuus, hoc modo: Siquis Catonem à constantia & perseuerãtia laudet: & alter non constantiam vel perseuerantiam, sed pertinaciam in Catonem competere dicat: finitiuus erit status, quid constãtia, quid pertinacia. Deniq; qualitatis ita: vt, si Brutum & Cassium laudes, quòd Cæsarem occiderint: alter vituperandos ducat, quòd hoc eorum factum non laudabile, non rectum, non iustum sit: iuridicialis status erit, An Cassius & Brutus Cæsarem iure interfecerint.

Quibus omnibus.) Tribus ſtatibus, coniecturali, finitiuo, & iuridiciali, Cæſar in duobus Anticatonibus, id eſt, in his libris quos cõtra Catonẽ ſcripſit, in vituperando Catone vtitur. Quapropter omnes ſtatus in materiam laudatiuam cadunt. id quod Quintilianus in calce capitis de genere demonſtratiuo docet, vbi eadem cum Cicerone fermè dicit, hoc modo: Itaque vt non conſenſi hoc laudatiuum genus circa ſolam verſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maximè contineri puto: quanquam omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſint. Iis quoque vſum Caium Cæſarem in vituperando Catone notauit Cicero. Verùm hic ſcrupus oboriri poteſt, quî fiat vt ſtatus in genere laudatiuo reperiatur, cùm certa & non dubia laudantur & vituperantur. vbi ſtatus eſt, ibi eſt quæſtio: quæſtio verò non certorum eſt, ſed dubiorum: quare quî fieri poteſt, vt ſtatus in materiam demonſtratoriam cadat? Sed ita ſoluitur: Nihil eſt tam certum, quod adduci in controuerſiam non poſſit. Quid certius eſt, quàm deũ eſſe? Plures tamen eſſe negauerũt: vnde Athei dicti ſunt. Porrò ſi Academiæ credimus, hoc vnum ſcimus, quòd nihil ſciamus. Itaque in rebus humanis, authore Academia, certi nihil eſt: vel ſiqua ſint, controuerſa & dubia viribus ingenij fieri poſſunt.

Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur.) Quemadmodum ſtatus ex intentione & depulſione naſcitur, ita iudicatio, quam Græci κρινόμενον dicunt, ex rationis & firmamenti conflictione & quaſi concurſu exoritur: quam Cicero in Partitionibus diſceptationẽ vocat, quòd in ea quæri ſolet de quo diſceptetur, & quid in iudicium veniat. Quapropter à iuriſconſultis, Qua de re agitur, appellari ſolet. Quia ergo iudicatio ex ratione & firmamento naſcitur, quid ſit ratio, quid item firmamentũ, dicendum eſt. Eſt autẽ ratio, qua rectè factum defenditur: id eſt, qua reus ſe rectè feciſſe confirmare nititur. vt accuſatur Oreſtes quòd matrem Clytemneſtrã occiderit: occidiſſe confitetur, ſed iure occidiſſe oſtendit. Qua ratione defendit? nempe quòd illa Agamemnonẽ patrem Oreſtis occidiſſet. Firmamentum verò eſt firmiſſima accuſatoris argumẽtatio, quæ ad labefactandam rationem defenſoris adfertur. vt cùm hæc ſit ratio, qua ſe defendit Oreſtes, Ideo matrem Clytemneſtrã occidi, quòd illa patrem meum occidiſſet: Contra hanc rationem accuſator firmamentum ſuum adfert, quo tanquam firmiſſimo argumento hanc rationem confutat, quod eſt, Indemnatam matrem etiam nocẽtem occidere nõ debuit. Ex illa ratione defenſoris, & hoc accuſatoris firmamẽto, iudicatio (ſicuti diximus) exoritur, quæ eſt, An Oreſtes indemnatam matrem etiam nocẽtem occidere debuit, quòd illa Agamemnonẽ Oreſtis patrem occidiſſet. Vides hanc poſtremã diſceptationem ratione & firmamento conſtare. Firmamenta defenſionis, quibus ſublatis, defenſio nulla ſit.) Cicero vult hoc in loco firmamentum, vel ſi mauis continens, defenſoris eſſe. Verùm in Partitionibus contrà ſentit, vbi ait, firmamentum & rationem, quæ ſunt inter ſe oppoſita, ſic differre, vt ratio ſit defenſoris, firmamentum accuſatoris. quam pugnam Quintilianus capite poſtremo lib. 3. notauit. Verùm leuior eſt quàm vt reprehendi debeat: & ſi germanam Ciceronis ſententiam intelligimus, nullam prorſus reperiemus. quod vt manifeſtum euadat, aſcribenda duxi, quæ in Partitionibus oratoriis de firmamento, id eſt, continente dicit. Deinde, inquit, vnicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore id quod ſi non eſſet, in accuſatione cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea quæ ſic referuntur, continentia cauſarum vocentur. quanquam non ea magis, quæ contra rationem defenſoris afferuntur, quàm ipſæ defenſionis rationes continent cauſas. ſed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ adfertur à reo ad recuſandum, depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quod defenderet non haberet. Firmamentum autem, quod contrà ad labefactandam rationem adfertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. In qua re alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur legitimæ diſceptationes.) Statuum alij ſunt legales, alij rationales. Rationales, qui de re & facto ſunt, λογικὴ Græcè dicuntur, vt eſt coniecturalis, finitiuus, & iuridicialis, de quibus abundè dictum eſt. Legales verò de ſcripto ſunt, & νομικὴ vocãtur. Illi ſtatus ſunt generales, hi verò ſpeciales & minores. nam hi ad illos reuocantur. Cùm enim tres legales ſint, vnus ambiguitatis, alter ſcripti & voluntatis, tertius legum contrariarum: ambiguitas ſanè ad coniecturam reducitur, ſcriptum verò & voluntas, item leges contrariæ, modò ad coniecturam, modò ad qualitatem referuntur. Eſt autem ſtatus ambiguitatis, quando ſcriptum duas vel plures ſignificationes recipit, inter ſe differentes & diuerſas: vt quiſpiam paterfamiliàs duos filios habebat, vnus Leo, alter Pantaleo vocabatur. ipſe pater moriens, teſtamentum hac forma confecit: Dono mea bona Pantaleoni. In hoc ſcripto eſt ambiguitas. Nam ex eo duæ ſignificationes colligi poſſunt: vna, ſi vox Panta diuidatur à Leone: altera, ſi cum leone coniungatur. vnus filiorũ qui Leo uocatur, ſeparat, & propterea bona ſibi

legata esse dicit. sic enim legit, Bona mea dono πάντα, *id est omnia, Leoni: Alter verò, cui nomen est Pantaleo, coniungit: quapropter inquit, bona paterna testamento sibi deberi, quippe qui sic legat, Bona mea dono Pantaleoni. Porrò scripti & voluntatis status est, quando legislator aliud scripsisse, & sensisse aliud dicitur. Nam ita fit, vt cum scripto sententia pugnet: vnde scripti & voluntatis status oritur, cùm aduersariorum alter scripto, alter voluntati & sententiæ potius innititur. vt lex scripta est: Qui muros transilierit, capite plectatur. qui spiã muros transiliit vt hostes à muris arceret, quæritur an capite sit puniendus. scriptum contra eum facit: verùm sententia scriptoris eum tuetur, longéque aliter legislatorem suam legem intellexisse quàm verba sonẽt, docet patronus, & ab ea lege eos excipi, qui pro patria pugnant: cum iniquum esse videatur vt is in discrimen capitis adducatur, qui suos ciues arcendis hostibus à muris defendit. Insuper legum contrariarum status est, quando lex legi repugnare videtur, quæ licet iure nunquam inter se repugnent (nam altera alteram antiquaret) tamen casu & euentu colliduntur. vt lex est: Imago mulieris in gymnasio ne ponatur. Rursus lex est altera, Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur. Hæ duæ leges casu & euentu colliduntur. Accidit enim, vt mulier tyrannum occiderit: quo fit, vt tyrannicida sit. Quare mulieris imago secundum eam legem in gymnasio poni debet: id autẽ lex altera vetat: Leges igitur inter se contrariæ sunt. Ita sunt tria genera, quæ controuersiã &c.) Cicero tres tãtùm species status legalis facit, & hic, & in Partitionibus, & alicubi in libris de Oratore: tametsi omnes in eodem opere ad ambiguitatem reuocet. Verùm in Rhetoricis quartam speciem adiicit, quẽadmodum & Quintilianus libro septimo fecit, qui ratiocinationem statum esse legalem scripsit. & est, quando ex eo quod scriptum est, aliquid quod non sit scriptum, simile tamen est scripto, colligitur. Vt an Clodius adulter sit occidendus, rationatione colligimus, Clodius tamen lege non continetur. alioqui priuilegium, id est, de priuo homine lex foret. neque lex Clodij meminit, quippe qui deprehensus in adulterio, citra discrimen in vniuersum puniri debeat. Iam hoc perspicuum est, non magis in legibus, quàm in testamentis.) Diximus ambiguitatem, scriptum pugnans cum sentẽtia, & contrarietatem legum, status esse legales. Sed animaduertendum est eos non in legibus modò, verùm in omni scripto locum habere, id quod & Quintilianus admonet capite sexto libri septimi, vbi dicit: Quod de legibus dico, idem accipi volo de testamẽtis, pactis, stipulationibus. quod denique de scripto, idem de voce.*

LATOMVS. Græcè στάσις.) *In omni causa existit status aliquis, sed is magis in concertando apparet. Omnis enim oratio circa coniecturam, finitionem, aut qualitatem versatur. Sed hæc porrò in certaminibus in aliam quæstionem descendunt, quæ nata hinc inde ex firmamentis Græcè* κρινόμενον, *Latinè iudicatio appellatur. Existunt status.) Horum exempla vide in veteri rhetorica, & apud authorem ad Herennium, & apud Quintilianum libro septimo.*

HEGENDORPHINVS. In quo primùm.) Hoc est, status est prima conflictio accusatoris & defensoris: vt, Fecit homicidium, non fecit homicidium: quæstio nata ex illa conflictione prima, appellatur hic à Cicerone status, quanquam Fabius libro tertio Ciceronis sententiam non vehementer probat, & ipso Cicero in Partitionibus aliter de statu loquitur. Cæsar contra Catonem.) In libris duobus, quos inscripsit Anticatones, quòd essent in Catonem Vticensem scripti, quem Cicero aliquot libris laudauerat, author Plutarchus in vita Ciceronis. Cum scriptum ambiguum est.) Id est, quid senserit scriptor, obscurum est: & quod scriptum est, duas pluresve res significat. Verbáne plus.) Quòd verò sententia plus quàm verba scriptorum valere debeat, indicat lex, Scire leges. ff. de Legibus. In stipulationibus.) Stipulatio est contractus ex interrogatione & responsione. Inde stipulari, est aliquid promittere vel dare velle, vel facere velle.

COVEANVS. Contra Catonem meum.) Cicero Catonem Vticensem mortuum, rogatu Bruti laudauit libro edito, aduersus quem Cæsar Anticatones scripsit: cuius libri meminit Cic. in 12. epist. ad Atticum, & in Oratore ad Brutum, quem Catone statim absoluto, aggressus est scribere. Alius est liber Ciceronis, qui nõ Cato, sed Cato maior inscribitur, qui de Senectute est.

Qua de re agitur.) Quoniam ad Iureconsultum scribit, Iureconsultorum verbis lubenter vtitur, quale est hoc, Qua de re agitur. quod nunc mauult, quàm iudicationem aut disceptationẽ, quæ κρινομένη *propria translatio est. Hæc continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis.) Aliter idem ipse Tullius in Partitionibus, Sed distinguendi, inquit, gratia rationẽ appellamus eam,*

quæ affertur à reo ad recusandum depellendi criminis causa, quæ nisi esset, quid defenderet non haberet: firmamẽtum autem, quod contrà ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem & ex firmamenti conflictione & quasi concursu quæstio exoritur quædam, quam disceptationem voco: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri solet.

COMMENTARIVS. De proposito.) Causæ tractatio nihil variat à proposito, nisi quædam habet (vt ait Fabius) ex peristasi & circunstantia. Vtilitas.) Per vtilitatem non solùm Cicero complectitur commoda, sed etiam honestatem, vt docere possunt res expetendæ. Sed definitæ.) Ait præterea ab hypothesibus, id est causis, faciem quandam existere quæstionum ex intentione & depulsione, quam appellamus statum. his etiam statibus apti sunt quidam loci. Harum causarum.) Duplex potest esse sensus, aut quòd causarum argumenta iam antea sint exposita in Topicis, aut quòd sint quidam loci proprij quæstionum & causarum, ex quibus argumenta ducuntur: quæ argumenta scribuntur in libris oratoriis. Referri tamen possunt ad locos. Refutatio autem.) Fabius putat statum oriri ex conflictu intentionis & depulsionis, Cicero ex depulsione: vt, non feci. quod hac de causa dixisse videtur, quia ipsa depulsio formam quæstionis efficit. Atque etiam.) Antea de statu loquutus est vt in materia iudiciali, propterea quòd in ea maximè apparet huiusmodi quæstio. Docet etiam statum esse in aliis causis, quod probat Fabius libro tertio. Nam & negantur.) Fabius quoque ait statum esse coniecturalem cùm incertum est an fieri posset id de quo deliberatur: vt an Isthmos incidi possit. sed interim quoque cùm certum est fieri posse: vt, an Scipio sit traiecturus exercitum in Africam, an Hannibal sit ab Italia discessurus. At cùm aliquid.) Materia deliberatiua maximè continetur qualitate, vt Docet Fabius, & vt probat. Finis enim de rebus expetendis & fugiendis est. nonunquam quoque definitione, vt qui sit tumultus. & apud Demosthenem, An Philippus reddat Haloneſum. Quibus omnibus.) Cicero (vt scribitur in epistolis ad Atticum) scripserat laudationem Catonis Vticensis. Itaque Cæsar cùm videret inimicum ita laudatum, vt certaret cum eloquentia Ciceronis, scripsit libros Anticatonum, id est, contra Catonem. Sed quæ.) In finitione & qualitate adferenda est ratio & depellenda, vnde exoritur quæstio quæ dicitur iudicatio. Fabius tamen existimat lib. 3. statum, iudicationem, & continens, eadem esse. Quibus autem.) Continens alibi vocat Cicero quod ab accusatore opponitur contra rationem defensoris. hic verò appellare videtur firmam illam causam quæ tuetur suum factum defensor. Sed quoniam.) A generalibus statibus, de quibus diximus, exoriuntur alij qui in scripto versantur. qui quanquam species sunt superiorum, tamen quia aliquid peculiare habent, seorsum etiam tractantur. Tum legi lex &c.) Omisit syllogismum Cicero, quem tamen reducere possumus ad scriptum & sententiam. Nam ad sententiam pertinet legislatoris, an id de quo minimè scripto est cautum, perinde haberi debeat atque illud quod scriptum est.

Loci per singulas partes principij.

Nec solùm perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adiuuantur, partim propriis, partim communibus: vt in principiis, quibus vt benevoli, vt dociles, vt attenti sint qui audiant, efficiendum est propriis locis. Itémque narrationes, vt ad suos fines spectent, id est, vt planæ sint, vt breues, vt euidentes, vt credibiles, vt moderatæ, vt cum dignitate. Quæ quanquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi. Quæ autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maximè valeant, dictum est in iis in quibus de omni ratione dicendi diximus. Peroratio autem & alia quædam habet, & maximè amplificationem: cuius affectus hic debet esse, vt aut perturbentur animi,

Narrationis.

Confirmationis.

Perorationis.

aut tranquillentur: & si ita iam affecti antè sunt, vt augeat eorum motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo & misericordia, & iracundia, & odium, & inuidia, & cęterę animi affectiones perturbantur, præcepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere cùm voles. Ad id autem quod te velle senseram, cumulatè satisfactum esse debet voluntati tuæ. Nam ne præterirem aliquid quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quàm à te desiderata erãt, sum complexus: feciq́ue quod sæpe liberales venditores solent, vt cùm ædes fundúmve vendiderint rutis cęsis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa aptè & loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id quod quasi mãcipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

Conclusio huius libri.

VISORIVS. Nec solùm perpetuæ actiones.) Orationum (inquit Quintilianus) alia est perpetua, alia concisa. Perpetua est, quam vnus totam sine alterius interpellatione dicit: vt sunt omnes fermè Ciceronis orationes. Cõcisa verò dicitur, quæ alterius sermone interrumpitur sic, vt modò hic, modò ille, per vices, inquam, vterq; loquatur: quales sunt altercationes vmbratiles, dialecticorum disputationes, alternantia scholasticorũ certamina, dialogi, necnon sermo qui inter duos vel plures suscipitur. At Cicero perpetuas actiones hoc in loco secus accipit quàm definiuimus, nẽpe pro integris, vt sit eius sensus, Nõ modò tota oratio, vel integra, si mauis, actio suos locos habet, verumetiam partes orationis suos habent. De locis totius causæ superius dictum est: Nunc partium locos prosequamur. Partes orationis quatuor sunt, procœmiũ, narratio, probatio, & epilogus. Nam eũdem ordinem nobis natura præscripsit, vt aliquid ante rem emerẽdi fauoris gratia dicamus, tum rem exponamus, deinde expositam probemus. Insuper probatam, perorando vel amplificemus mouendorum animorum causa, vel memoriæ iudicum refricandæ gratia breuiter repetamus. Harum partium duæ ad mouendos animos valent, principium & peroratio: ad rem docendam duæ, expositio & probatio. Non quòd vbique orator non doceat & moueat, sed quia magis in principio & peroratione quàm in reliquis partibus affectus mouet: eadem ratione licet vbique doceat, id tamen præcipuè narrando & probando facit. Vt in principiis.) Principium est auditorum ad causam præparatio. Principij, authore Quintiliano, nulla alia causa est, nisi vt auditorem, vt sit in reliquis accommodatior, nobis præparemus. idque tribus maximè rebus fieri, inter authores conuenit, si beneuolum, docilem, attentum reddiderimus. non quòd hæc per totam orationem diligẽter non sint obseruanda, sed quia in principiis maximè necessaria sint: per quæ in animum iudicis, vt vltrà procedere possimus, admittimur. Vt autem amicè & beneuolè audiamur, à personis nostris, disceptatorum, aduersariorum incipiendum est. è quibus initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officij, iustitiæ, fidei, cõtrariisq; rebus in aduersarios cõferẽdis, & cũ iis qui disceptãt aliqua cõiunctionis aut causa, aut spe significanda. Et si in nos aliquod odiũ offensióve collata sit, tollenda ea minuendáve aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando. Vt autem dociles & attenti sint qui audiunt, à rebus ipsis exordia ducamus oportet. Docilis enim auditor erit, si genus naturámque causæ principio complectaris, si definias, si diuidas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, neq; memoriã multitudine. Insuper attentus erit, si magna, si necessaria, si cum eo cõiuncta proponas. Verùm neq; à personis quidem, vel rebus semper exordimur. Nã interim à rerũ personarúmque circunstantiis incipimus: vt ab habitu pro Milone, à loco pro Deiotaro, à tempore pro Calio, ab opinione contra Verrem, Cicero principium duxit. Itémque narrationes.)

Narratio est rei factæ, vel vt factæ vtilis ad persuadendum expositio. Eam Isocrates apertã esse, breuem, & credibilem præcipit. Erit autem aperta, primùm, si fuerit exposita verbis propriis, significantibus, non sordidis quidem, non tamen exquisitis, aut ab vsu remotis. Deinde, si distincta fuerit personis, locis, temporibus, & cæteris qualitatibus: ipsa etiam pronunciatione in hoc accommodata, vt iudex quæ dicuntur, quàm facillimè capiat. Porrò breuis erit, si inde cœperimus rem exponere, vnde ad iudicem pertinet: deinde, si nihil extra causam dixerimus: tum etiã si reciderimus omnia quibus sublatis nec cognitioni quicquam, nec vtilitati detrahatur. deniq; credibilis fiet, si primùm animum nostrum consuluerimus, ne quid naturæ nostræ contrarium dicamus: deinde si causas & rationes factis de quibus quæritur præposuerimus: tũ si personas, loca, tempora, & alias circunstantias idoneas constituerimus iis, quæ facta esse dicemus. Adhæc, ordo, & ductus, & consecutio narrationem credibilem reddet. Postremò vtilissimum fuerit, argumentorum semina per narrationem spargere, & quæ narrata erunt interim breui argumento confirmare. Ita tamen, vt nos in narratione esse, non in confirmatione meminerimus. Vt euidentes.) Euidentia est, quam Græci ἐνάργειαν ἢ ὑποτύπωσιν, nos illustrationem, repræsentationẽ, & sub oculos subiectionẽ vocamus. Quæ sic à Quintiliano definitur, vt sit proposita quædam rerum forma, sic expressa verbis, vt res potius cerni quàm narrari videantur. Eam Quintilianus lib. 4. narrationi nõ esse adiiciendam dicit, vt quæ sub perspicuitate contenta sit. Tamen inter perspicuitatem & illustrationem, Cicerone teste, hoc interest, quòd perspicuitas faciat vt intelligamus, illustratio verò non modò vt intelligamus, verumetiam vt videre videamur. Quæ autem sequitur narrationem fides.) Fides probatio est. Probationem autem voco nostrorum confirmationem, & contrariorum reprehensionem. De argumentis quibus fit fides, alibi dictum est. Itaquè peroratio superest. Ea est orationis conclusio, quæ partim in rebus est, partim in affectibus. quæ est in rebus, enumeratio dicitur: quæ in affectibus, amplificatio. Est autem enumeratio, antedictorum breuis repetitio, quam Græci ἀνακεφαλαίωσιν dicunt: nos vtcunque recapitulationem transferimus, quòd enumerando per singula capita decurramus. Amplificatio verò est, grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ad id autem quod te velle sensera.) Hæc est huius operis peroratio, qua Cicero ad Trebatium scribit, se plura hoc opere complexum fuisse quàm Trebatius desideraret. Nam Trebatius locorum tantùm expositionem à Cicerone quæsierat: Ciceroni verò satis visum non est locos omnes exposuisse, verùm etiam è iure ciuili omnium locorum exempla desumpta tradidit, necnon pleraque oratoria præcepta miscuit: qua in re visus est liberales venditores imitatus fuisse, qui cùm ædes fundúmve vendiderint, rutis cæsis receptis, aliquid tamen emptori concedunt, quod ornandi causa aptum & positum esse videatur. Rutis cæsis.) Inquit Mutianus iurisconsultus in libro de Rerum & verborum significationibus, ea rutis & cæsis intelligi, quæ nec terra nec opere structili tectorióve continentur, quale est opus intestinum. Opus intestinum appello, vt sunt scamna, sedes, grabati, abaci, scrinia, armaria, mensæ, tripodes: denique quæcunque materia constant. nos vulgo minutiariam appellamus. Receptis.) Recipere, inquit Nonius, est exceptum facere, vel, si mauis, retinere. vt Cellius: Quando mulier, inquit, dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neq; ad virum transmittebat, ea recipere dicebatur: sicuti nunc quoque in venditionibus, quæ excipiuntur, neque væneunt.

LATOMVS. Partim propriis.) Qui in personis & causis positi sunt, & interim extrinsecus sumuntur. Rutis cæsis receptis.) Verba sunt iurisperitorum in lege Prædij, cùm prædium ita venditur, vt omnia quæ à solo separata sunt, recipiantur, vt saxum, calx, arena, materia, demessa seges. Ruta dicta sunt ab eruendo, id est, effodiendo.

COVEANVS. Vt planæ sint.) Non elatis intentæ verbis, & sine vlla verborum insolentia. Vt breues.) Vt euidentes & dilucidæ: quod assequemur conseruato rerum ordine & verborum perspicuitate. Vt credibiles.) Aptæ scilicet locis, tẽporibus, personis. Vt moderatæ.) Hoc est, affectibus non perturbatæ, non inflammatæ, non ardentes. Vt cum dignitate.) Ne scurriles sint, aut humiles & abiectæ. Et alia quædam habet.) Enumerationem. vide Partitiones oratorias. Maximè amplificationem.) Quæ sic definitur, Grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Aliis libris.) In libris Aristotelis artis Rhetoricæ.

Rutis cæsis receptis.) Q. Mutius libro singulari τῶν ὅρων, In rutis, inquit, & cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere structili tectorióve non cõtinentur. Recipere autem est excipere &

reseruare sibi: vnde seruus receptitius dicitur, quem mulier cùm dotem viro diceret, recepit: vide Gel. lib. 17. cap. 6. sic illud Iaboleni in l. Qui concubinam. §. Cùm in testamento de Leg. 3. intelligo, Si fundum mihi vendere certo precio damnatus es, nullos fructus eius rei ea venditione recipere tibi liberum erit. Quod quasi mancipio.) Propriè enim mancipio dari dicitur, quod venditur.

COMMENTARIVS. Nec solùm.) Accõmodauit antea quæstionibus & statibus locos eos: nunc aptat orationis partibus. Sed partes orationis aut proprios habent locos, id est sibi peculiares, nec aliis partibus cõmunes: aut etiam cõmues habẽt. sed vtriq; loci referri debẽt ad topicos, quos aptè cõmunes appellare possumus, quia communes sunt omnibus disputationibus & orationis partibus. Euidentes.) Plus est narrationem esse euidentẽ q̃ planam. est enim euidentia, virtus quæ rem ita explicat vt oculis penè subiecta videatur. Cæterũ tres virtutes ponit Cicero, quæ nõ magis sunt propriæ narrationis quàm cæterarũ partiũ, vt docet Fab. lib. 4. Moratæ.) Morata oratio est, quæ ita accõmodatur personis vt aptè earũ mores exprimat. vocant Græci ἠθοποιὸν λόγον. Peroratio autem.) Duos efficiũt locos perorationis, epilogũ & amplificationẽ. Amplificatio est in affectu. sed affectus vel qui non est, efficitur: vel qui est, in auditore augetur, vel contrá. Suppeditantur aliis libris.) Fortè intelligit quæstiones Tusculanas, in quibus agit de animi perturbationibus. aut certè intelligit libros Stoicorum & Platonis de morali philosophia, qui copiosissimè de hac materia tractant. Rutis cæsis.) Vlpianus interpretatur ruta cæsa, quæ eruta sunt, vt est arena, calx, creta: & quæ cæsa sunt, vt sunt arbores cæsæ & carbones. Mutianus tamẽ iurisc̃õsultus aliter. Ruta enim appellat quæ terra nõ cõtinentur, aut opere structili, aut tectorio: cuiusmodi sunt scabilia, plutei, & omne opus intestinum. Quasi mancipio dare.) Mancipio dare, verbum est iuris. ~~significat enim rem prorsus abalienare, & alterius dominio tradere.~~ Hac autem vtitur loquutione, propterea quòd videbatur ex stipulatione hunc librum debere Trebatio.

ANNOTATIONES QVÆDAM breues ad Topica Ciceronis, per Vitum Amerpachium.

Maiores nos res scribere ingressos, C. Trebati, &c.) Vide epist. 19. lib. 7. Famil. epist. Cic. captat beneuolentiam à studio gratificandi. Cum enim mecum in Tusculano esses, &c.) Exponit occasionem tum sui testificandi studij, tum scribendi huius libri. Quibus eo minus ignoscendum est, &c.) Comparatio. Non potui igitur tibi sæpius, &c.) Conclusio. Ne ipsi iuris interpreti fieri videretur iniuria.) Argumentum à vitatione faciendæ iniuriæ. Sed dũ fuimus vnà.) Excusatio dilationis huius officij. Vt autẽ à te discessi in.) Exponit reliquam occasionem. Itaque hæc cum mecum.) Huius expositionis conclusio. Mandatorum tuorum.) scilicet exequendorum. Sed iam tempus est ad id.) Præcisio. Cum omnis ratio diligens.) Diuisio rationis disserendi. Stoici autem in altera.) Collatio cum Aristotele, Stoicorum in hac disserẽdi ratione tractanda. Et vtranque, si erit ocium.) Propositio de hoc, & futuro Dialecticæ tractandæ opere, quam tamen artem non tractauit. Omnis nãque vis logicæ.) Partes dialecticæ. Vt igitur earum rerum, quæ, &c.) Quam ob causam loci perdiscendi sint. Itaque licet definire.) Quid sit locus, & quid sit argumentum. Sed ex his locis, in quibus argumẽta.) Diuisio locorum, quæ rudem & breuem etiam eorum tractationem continet. estq; prima pars totius opusculi, ac vna de præcipuis. In ipso.) scilicet hærent. Tum ex toto.) scilicet qui sunt. Totum hic pro definitione accipitur, & partes pro speciebus, vt statim in exẽplis videri potest. Locos pro argumẽtis posuit per synecdochen. Ea dicũtur.) Id est, ij loci, genere pro specie posito. Sed ad id totũ.) Definitio. Tum definitio adhibetur.) Hic Definitio dicitur, quod iam dictum est totum. Ius ciuile est æquitas.) Exẽplum. Eius autem æquitatis vtilis est.) Est enthymema, cum definitione iuris ciuilis, quæ pars est subiecti antecedentis: hoc est, regula propemodum, vt vocant, principij categoriarum, quam nõnulli quartam figuram syllogismi faciunt. Hic autem esset integer syllogismus: Cognitio æquitatis constitutæ iis qui sunt eiusdẽ ciuitatis, est vtilis: Iuris ciuilis cognitio, est cognitio talis æquitatis: Igitur iuris ciuilis cognitio est vtilis. Primi primæ figuræ modi. Tum par-

tium enumeratio.) Partibus hic significantur species. Si neque censu, neque vindicta.) Hæc non sunt propriè libertatis partes, sed aut species, aut causæ, aut modi, quorum quilibet integram & plenam libertatem affert. Neque est vlla earum rerum.) scilicet factus liber. Tũ notatio.) Scilicet adhibetur. Cum lex AElia Sanctia.) Integer syllogismus: Assiduus est dictus ab ære dando, hoc est, opibus: Lex AElia Sanctia iubet assiduum assiduo vindicem dare: Igitur iubet dare dantem æra, id est opulentum, seu locupletem. AElius.) Sic Paulus iurisc. ab etymologia filijs familiàs argumentatur, L. in suis hæred. ff. de liberis & posth. hæred. inst. Locuples enim assiduus.) Gell. lib. 16. cap. 10. Assiduus in XII. tabulis & pro locuplete, & facile munus faciente, dictus ab assibus, id est, ære dando, cum id tempora reipub. postularent: aut à muneris per familiam copia faciendi assiduitate. Nã alia coniugata appellamus, alia ex genere.) Diuidit affecta in suas partes. Comparatio verò maiorũ, minora respicit. Coniugata dicuntur, quæ.) Hic locus nihil à Notatione differt, nisi quòd etymologia differt à deriuatione, ac in vtroque res manet eadem, quatenus valet conclusio. Nam siue dicatur, Ager est compascuus, vt hic: siue, Compascuus dictus est à pascendo, Ergo ius est compascere: consecutio vim habet à iure cõpascendi, non à sola voce, vt vult Latomus de notatione. A genere sic ducitur.) Maior. Non potest ei pecunia.) Cõclusio. Forma enim à genere.) μεγίστη. Numerata autem pecunia.) Minor cum repetita conclusione. Aliter fit in his, Hoc est animal, igitur & homo. nam etsi est argumentum à genere, tamen ordine ac natura peruersa, vt est videre in hac argumentatione integra, Omne animal est homo, Equus est animal, igitur equus est homo. Genus est enim vxor.) Hoc argumentum est quidem à specie ductum, sed accommodatum ad aliam speciem, non ad genus. Ac esset integer Syllogismus: Legata pecunia debetur soli matrifamilias, Fabia non est materfamilias, Igitur non debetur ei legata pecunia. Vel hypotheticè, vt Cicero: Si Fabia non est vxor materfamilias, non debetur ei legata pecunia: Sed Fabia non est vxor materfamilias: Igitur non debetur ei legata pecunia. Huc allusit Virgilius, cum inquit libro primo Georgic. Téque sibi generum Tethys emat omnibus vndis: vt etiam annotauit Seruius. Vitiúmve fecerunt, quarum.) Ab exemplo est potius hoc argumentum, quàm à simili, secundum Rodolphũ, & exactam rationem, cũ duo conferãtur in vno tertio, non duo cum duobus. A differentia, non si vxori vir.) Parum hic locus differt ab eo qui sumitur à forma, cùm differẽtia ferè genus includat, aut expresse additũ habeat, vt hoc loco: & genus cum differentia constituat speciem, quam formam appellat Cicero. Si viri culpa factum est diuortiũ.) Non est integra hic argumentatio, sed tantũ prima pars syllogismi hypothetici, vt etiam in præcedentibus, & sequẽtibus ferè. A consequentibus, Si mulier.) Non ex consequẽtibus ductũ est hoc argumentum, sed ex antecedentibus etiam, vt præcedens, cũ nuptiæ vetitæ sint velut causa, cur nihil de dote apud maritum liberorum nomine debeat manere. A filio.) Formula iuris & legũ est, ac significat, post institutionẽ filij. sic, A secundo hærede, post substitutionem in tabulis testamenti. Quod fornix vitij fecerit.) Scilicet parietis adiuncti ad cõmunem parietem. Non enim eius vitio.) Causa efficiens hic est, nõ esse vitium, id est, ruinam aliquã adiuncti parietis factã vitio: id est, culpa demolientis parietem communem. effectus, non esse præstandum hoc damnum destructi parietis, ab eo qui sit demolitus. Ab effectis rebus hoc modo.) Non est ab effectu sumptum hoc argumentum, sed contrà etiam ab efficiente, quod est hic mulieris in manum viri conuentio: & effectum est, bona mulieris facta esse dotis nomine. Vt, si in vrbe fines non reguntur.) Exemplum debebat affirmatiuum esse potius, vt in eius conuersione valet magis negatiué. ac id vulgo etiam est notum, quòd ex maiore valeat argumentum affirmatiuè, ex minore verò negatiuè. vt, Alienos curat, igitur suos quoque: Suos negligit, igitur alienos non curat. At in lege ædes non appellantur.) scilicet Duodecim tabularum. & est obiectio. Et sunt cæterorum omnium.) Id est, pertinent ad cæteras omnes res. id est, sunt omnium rerum aliarum gratia, hoc est, mobilium.

Verba legis hic, vsus authoritas, &c.) ita construi debent: Biennium est authoritas vsus fundi: vt, Authoritas, capionem significet. Quæ autem extrinsecus.) De secundi generis locis. Id solum esse.) Id est, spacium, aream. Tectum.) Scilicet ædium. Ex quo.) Scilicet tecto. AEdeis.) Scilicet & parietem communem. His igitur locis.) Conclusio primæ partis. Ad omne argumentum reperiendũ.) Id est, Hi loci notæ quædam & signa sunt argumentorum inueniendorum. Sed quoniã auidum hominem.) Propositio figurata de secunda parte, quæ est copiosior tractatio de natura & ratione locorũ. Quando ergo vnusquisq; eorũ locorum, quos exposui.)

Repetitio propositionis, omissa allegoria, cum additione cuiusdam alterius causæ, ac speciei. Definitionum autem duo sunt genera.) *Diuisio definitionis à rerum, quæ definiri possunt, differentia.*

Rursus ea dico.) πάλιν. *Aliæ sunt partitionum.)* *Alia diuisio. Sic igitur veteres præcipiũt.)* *Modus faciendarum definitionum, sumptus ex sexto libro Topicorum Aristotelis. Hæc sunt eius verba,* τὰ δὴ τοιαῦτα λητέον μέχρι τότε, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον, ὧν ἕκαστον μὴ ἐνδέχεται πλείω ὑπάρξει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐνδέχεται πλείω. *Aut possessione retẽta.)* *id est, ratione proprietatis, quod alius dominium eius habuerit: & qui mortuus est, vsumfructũ. siquidem vsusfructus, post mortem vsufructuarij, redit ad proprietarium. Partitionum autem, & diuisionum.)* *Transitio. Græci tum* ἔννοιαν, *tum* πρόληψιν.) ἔστι δὲ πρόληψις ἔννοια φυσικὴ τοῦ καθόλου. *Chrysip. apud Suid. & ibi additur,* ἐπίκτητος δὲ ὁ φιλόσοφος λέγει πρόληψιν διονεὶ κατάληψιν, ἢ δόξαν ὀρθὴν, ἢ ἔννοιαν, ἢ καθολικὴν νόησιν, ἀποπεπλυμένην, τυτέστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἐξωθεν φανέντος, *&c. Sæpe etiam definiunt & oratores.)* *Definitiones oratorum, & poëtarum. Quid esset littus, ita defin.)* *Quintilianus lib. 5. cap. vlt. in fine idem habet. Partitione autem sic vtendum est.)* *De partium enumeratione secundo loco hærentium in re, vbi obiter iterum de partitione ac diuisione dicitur.*

Nullam vt partem relinquas.) *Scilicet vbi sunt finitæ partes. Itaque in oratoriis artibus &c.)* *Exemplum. Multa etiam ex notatione.)* *De notatione tertio loco inhærentium.*

Aristoteles σύμβολον.) *Arist.* περὶ ἑρμην. ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. *Vt cum quæritur postliminium.)* *Exẽplum. Non dico quæ sint.)* *Antitheſis. Mancini causa.)* *Florus Epito. 56. Sequitur is locus.)* *Quartus locus. Cuius primus locus est ex.)* *Primus locus affectorũ ad rem, qui & quintus inhærentium est.*

Vt si aquam pluuiam eã modo.) *Significat in iure, vbi de aqua pluuia sancitur, nõ omnem quæ imbri collecta est, intelligi, sed tantũ nocentem, id est, lædentem vicini fundum. Cum autem à genere ducetur.)* *Secundus locus affectorum. Genus est aqua.)* *Aldus hæc, Genus est aqua, &c. malè separat à præcedentibus, cùm aqua pluuia nocens idipsum genus sit, in quo quasi ius arcendi continetur: hoc est, proximum arcendæ, & non arcendæ, quæ iure arcendi continentur, seu de quibus in iure constitutum est. Commodè etiam tractatur hæc.)* *Modus argumentandi ex genere. Similitudo sequitur, quæ latè patet.)* *Tertius locus affectorum, qui totus populariter ferè tractatus est.*

Sunt enim similitudines.) *Diuisio. Si tutor fidem præstare debet.)* *Exemplum.* Παραγωγὴ *nominatur.)* *Aldus legit* ἐπαγωγὴ, *& melius congruit. Alterum similitudinis genus.)* *Secunda species. Quemadmodũ si in vrbe.)* *Exemplum. Ex eodem similitudinis loco.)* *Exempla sumi ex hoc loco. Ficta etiã exempla.)* *De fictis exemplis similitudinis. Finge mancipio aliquẽ.)* *Exemplum hoc valet ad probandum, ex facto neminem obligari, vbi ius repugnet. ac potest accommodari ad similia, cuiusmodi esset, Si vir vxori, aut cõtrà vxor viro donasset, quod est iure prohibitum. Sequitur similitudinem differentia.)* *Differentia, quartus locus. Deinde locus est.)* *Cõtrariũ quintus locus. & Cõtraria Cicero hic appellat, quæ Aristtoteles* αὐτικείμενα, *vulgus opposita vocat. Contrariorum autem genera.)* *Diuisio. Eodem autem genere dicuntur.)* *Imò quæ sub vno genere, vt species, continentur, cùm in aliis etiam Categoriis eodem genere dicantur, sola tamen qualitas habeat contraria. Si stultitiam fugimus.)* *Exẽpla. Ab adiunctis autem.)* *Adiuncta sextus locus, addita repetitione. Sed locus hic magis ad.)* *Ad quas causas plurimum hic locus valeat. Admonet autem hic locus.)* *Quæ sit vis huius loci. Nihil hoc ad ius.)* *Excusatio de huius loci tractatione. Ante rem enim quæruntur.)* *Diuisio. Deinceps est locus dialecticorum.)* *Consequentia & antecedentia, septimus locus. Tractandi triplex.)* *id est, Idem argumentum accommodatur propositæ rei tribus modis. Si pecunia signata argentum est.)* *vt si dicerem, Si homo animal est, corpus est: Est autem animal, est igitur corpus. A positione antecedentis. Numerata.)* *Signata. Est autem numerata pecunia.)* *A destructione consequentis, ad copiam oratoris hæc potius pertinent, quàm ad species argumentationis.*

Appellant autem dialectici.) *Explicat rationes præcedentiũ exẽplorum, quæ sunt tres argumentãdi species hypotheticæ, vt vocãt. & harũ duæ primæ sunt verè cõditionales, postrema copulatiua. & eadem est natura primæ, ac tertiæ. Cum autẽ aliqua &c.)* *Nõ si bonus est, non meretur laudẽ: Sed est bonus, ergo meretur laudẽ. Sed hoc genus reuera nihil differt à primo. Et ex his primum sumpseris.)* *Ponitur potius cõsequens, vt antecedens. ac nihil differt hic modus à secundo reipsa, cum duæ negationes affirment. Vt Homerus propter excellent.)* *Simile. Hunc metuere.)* *Exempla.*

Alterum in metu non ponere?) *Hæc tribuunt eisdem quomodocunque pugnantia, seu non cohærentia. Reliqui dialecticorum modi.*) *Aliæ formæ syllogismorum hypotheticorum. Quæ conclusiones ideo ratæ.*) *Ratio consecutionis in disiunctiuis argumentationibus. Tota ratio conclusionum huius generis est ex eo, quòd alterum naturaliter cohærentium aut est superius in eodem genere, aut frequentius accidens, ac ita quasi, aut penè superius: alterũ inferius aut rarius accidẽs, & velut inferius, aut angustius quiddam, aut inter se repugnantia. hoc est, hæc res causa est, cur iam antecedẽs, iam consequens inferatur, vel per affirmationem, vel per negationem ex alterutro iterato, seu assumpto: & hoc etiam aut affirmatiuè aut negatiuè, ac propterea certo præceptorum numero cõprehendi nequit, nec iudicari, nisi ex hac generali tanquam regula. Nec frustra est, quòd Aristoteles omisit has argutias, quæ fortasse parum etiam ad veram & synceram dialecticam pertinent. Et Cicero non minus confundit ipsarum inter se rerum connexionẽ cum his argumentãdi modis, quàm errat Latomus, qui annotauit hos locos nec sumi nisi per conditionem: & non concludi nisi hypothetico syllogismo posse. Proximus est locus rerũ efficientiũ.*) *Causæ, octauus locus affectorum ad rem cum propositione. Harum exemplum.*) *Anthypophora. Causarũ igitur genera.*) *Diuisio causarum. Huius generis causarum.*) *Alia diuisio causarum. Ex æternitate pendentium.*) *Cell. lib. 6. cap. 2. Sunt enim aliæ causæ.*) *Alia diuisio. Quare cum inciderit causa efficiens aliquid.*) *Quãtum valeant huius generis causæ. Non enim si sine parentibus.*) *Exẽplum. Cæsæ cecidissent abiegnæ*) *Euripid. in principio Medeæ. Ad Herennium lib. 2. Atque etiam est causarum diß.*) *Alia diuisio. Habitu, vt facile & cito.*) *Sic inter hæc duo nullũ est discrimen. Omnium autem causarum.*) *Alia diuisio. Sed tamen earum causarum.*) *Alia diuisio. Etiam vt ea quæ fiunt.*) *Similes effectorum diuisiones. Perturbationes animi.*) πάθη, *affectus. Deiiciuntur.*) *frangunter. Toto igitur loco causarum explicato.*) *Vbi, & quomodo in causis forensibus hic locus A causis plurimũ valeat. Videntur esse prudẽtia.*) *id est, versari scientia. Et patronis diligentibus.*) *Iurisconsulti alij sunt, & alij patroni, hoc est causidici. Vbi verò etiã.*) *scilicet est additũ: & quæ sequuntur, vt inter bonos bene agi oportet, sunt verba legis, aut prætoris. Parati esse debent.*) *scilicet iurisconsulti. hoc loco, id est differentia causarum. Coniunctus huic causarum loco.*) *Nonus locus affectorum ad rem. Reliquus est comparationis locus.*) *Locus affectorum ad rem.*

Cuius genus & exẽplum.) *Propositio. Cuius genus suprà positum est.*) *Transitio. In quibus spectantur hæc.*) *Ordines eorum quæ comparantur. Perfecta est omnis argumentorũ inueniendorum præceptio. Transitio ad locos eos qui assumũtur extrinsecus. Artis expers.*) ἄτεχνα. *Nam & ingenioſos, & opulentos & ætatis spatio probatos.*) *Explicatio partium secundi membri testimoniorum. Ad eam vulgi opinio.*) *Malè. Si aut ars quædam adhibetur.*) *Fortuna omissa est.*

Cuius generis etiam illa sunt.) *Additio.* αὐτήκοοι δὲ βουληθέντες ἐπὶ γενέσθαι αὐτοῦ παυσανίᾳ τὰ λεχθέντος ἀπὸ τοῦ προφάσεως τῆ αὐθρώπῳ, ὧν τάναγνα ἱκέτις οἰχομένῃ, καὶ σκηνῆς αμφὶς διπλῶ διαφράγματι καλύβην, ἐς ἣν τῶντε ἐφόρων αὐτὸς πυνθάνεται, καὶ παυσανίᾳ ὡς αὐτὸν ἐληλύθοντος, καὶ βρώτων, τὴν πρόφασιν τῆ ἱκετείας ἤδοντο πάντα σαφῶς. *Thucyd. lib. 1. Vt Stalerio nuper accidit.*) *Exemplum. Recẽtiores legunt Staterij. In Palamedem cõiecta susp.*) *Ouidius libro demo tertio Metamorphoseos,*

Vellet & infelix Palamedes esse relictus:
Viueret, aut certè letum sine crimine haberet,
Quem malè conuicti nimium memor iste furoris
Prodere rem Danaûm finxit, fictúmque probauit
Crimen, & ostendit quod iam præfoderat aurum.

Quæ autem virtute fidem.) *Explicatio de naturæ authoritate: id est, secunda parte locorum expertium arte. Ex quibus alterũ natura valet.*) *Diuisio huius partis in aliæ duas. Quod ineſt his deorum oratio.*) *Diuina testimonia. In homine virtutis opinio.*) *Humana. Expositis omnibus argumentandi.*) *Conclusio totius tractationis de locis. Quæstionum sunt duo genera.*) *Prima diuisio. Tertia pars huius operis, de quæstionum generibus, & est præter institutum ferè addita, vt & sequens. Quæstionum autẽ quacunque de re.*) *Secunda diuisio, quæ est propositi in suas partes: reuera tamen est etiam generalis, & communis controuersiæ cum proposito, sicut sunt cum illa huic genera causarum, de quibus in sequentibus. Cognitionis quæstiones.*) *Tertia diuisio.*

Coniecturæ ratio in quatuor.) *Quarta diuisio quæstionis An sit. Sit nécne, sic ecquídnam.*)

Exẽpla huius diuisionis. Causa autem efficiens sic.) Hæc est cognata præcedenti, & tamen videtur significare de faciente & materia. *Cum autem quid sit quæritur.)* Quæstio quid sit, cum sua diuisione. *Cum autem quæritur quale quid.)* Quæstio quale sit, cum suis partibus. *Si expetendæ diuitiæ.)* Si, pro an, vt & Græcorum. *Actionis reliquæ sunt.)* De quæstionibus actionis.

Loci autem qui ad quasque.) Quarta pars operis: qui loci ad quas quæstiones accõmodati sint. *Vt dixi aptiores.)* Qui sint plurimum apti ad quæstionem An sit. Ad definitionem autem pertinet ratio.) Qui loci maximè, quid sit, quæstioni conueniant. Ad tertium genus quæstionis.) Qui, ad quæstionem quale sit, in primis conueniant. Itémque cum de honesto.) Quia de contrariis idem est iudicium. Deinceps de causa pauciora.) Trãsitio. Tria sunt igitur genera causarum.) De generibus causarum, secũdo genere quæstionum. Græcè στάσις dicitur.) De statibus, aliæ pars opusculi. Quintil. lib. 3. cap. 6. Quod idem contingit in laud.) Potest etiam in deliberationibus contingere. Eam Græci κρινόμενον) Quintilianus lib. 3. cap. 13. Qui appellantur legitimæ.) Status legitimi. de his & similibus, Fab. lib. 7. cap. 6. 7. 8. 9. 10. Iam hoc perspicuum est.) Plures, quàm tres, legitimos status fieri posse. Perpetuæ actiones.) Integræ, totæ orationes. Perpetuam orationem vocat Ascon. in 2. Verrin. Partim propriis.) De locis propriis & communibus orationis, & eius partium. Sunt propria narrandi.) Narratio qualis esse debeat. Affectiones perturbantur.) mouentur. aliàs hoc solo verbo significat affectus. Cumulatè satisfactum.) Epilogus. Vt cum ædes.) Simile. Concedat tamen aliquid emptori.) l. fundi. ff. de act. empt. & vend.

FINIS.